



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Consequentibus Pertexens, Quae post beatum S. Xaverij
Obitum Soc. Patres ad Dei gloriam in iisdem Prouinciis gessere

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1667

urn:nbn:de:hbz:466:1-11445





N. IV. 13.


III


Th. 4862.

17









2665

ASIATICÆ
HISTORIÆ
SOCIETATIS IESV,

PARS POSTERIOR,

LIBRIS QVATVOR CONSEQUENTIBVS
PER TEXENS,

Quæ post beatum S. Xauerij Obitum Soc. Patres ad
Dei gloriam in iisdem Prouinciis gessere.

Ex Italico R. P. DANIELIS BARTOLI Romæ excuso,

Latine reddita à R. P. LVDOVICO IANINO,
utroque Societatis eiusdem Sacerdote.



LVGDVNI,

Sumptibus ADAMI DEMEN, Vico Mercatorio,
sub signo Fortunæ.

M. DC. LXVII.

Cum Approbatione & Priuilegio.

HISTORIA
ASIAE

SOCIETATIS IESU

PARS POSTERIOR

LIBRIS QUATUOR CONSEQUENTIBUS

PARTIBUS

Quae post beatum S. Xaverii Opusculum Soc. Ies. ad
Evangelium in illis provinciis edita.

Ex auctoritate R. P. DANIELIS BARTOLI Romae

Imprimenda a R. P. LUDOVICO IANINO

vicario generalis eiusdem Societatis



LVCIVM

Imprimenda a DAMIENI M. N. Vico Mercatorio,
sub signo Torosae.

M. DC. LXXII

Caes. approbatione et Privilegio



CLARISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO
D. IOANNI BAPTISTÆ

D V L I E V,

EQVITI, BARONI DE CHARNAY,
REGI A CONSILIIS, IN LVGDVNENSI CVRIA

PRÆTORI.

SICIO Te (VIR ILLUSTRISSIME) pu-
blicis distentum curis, & Prætorij mune-
ris assiduo strepitu circumseptum, vix
posse animum literis amœnioribus laxare, quas
tantopere deperibas, & quarum hic tibi aliquod
specimen parabam; cum præsertim id munus ci-
uilibus Themidos, cognitione causarum tam saga-
ci, perspicacitate iuris & æqui tam acuta, tam
intelligenti legum peritia exequaris, & tan-
ta (quod caput est) integritatis laude, ut possis no-
uus in tribunali Iudex, veteribus pro magistro es-
se: quam tibi approbationem claro præconio tribuunt,
qui quoties de Iure cuiusque pronuntias, facile ad-
uertunt, haudquaquam te domo causas præcoces,
& crudas, obiterque libatas in forum asferre; sed

Meditari

meditatio sancteque perspectas, & libratis earum
equalance momentis omnibus iudicare. At scio pa-
riter ingenium tuum, capax in multa, & varia di-
uidi; oblectatum iri narrationibus de orbe altero
eruditis, curiosis & certis, si succisui aliquid, per fo-
ri silentia temporis, huic opusculo non negaris; quod
tibi dicandum idcirco censui, ut scires familia tua
clarissima, a vi, patruum & parentis beneficia erga nos,
non fuisse male apud homines collocata, qui (quic-
quid vulgus imperitum, aut maleuolum garrat)
eorum insistent vestigiis, quos Tibi operis pars hu-
ius altera exhibet; nam prior Indorum Apostolum,
magnum Patrem Xauerium expressit, sed tan-
quam illum Indis celebratum Monocodiaten, Pa-
radisi auem, eoque gestorum magnitudine proue-
ctum, Vbi exhausti posuere cubilia venti, &
quem sit mirari facilius, & sequi, quam assequi:
alios hic leges tanto Patri ut minime pares, sic ne-
que degeneres, quos virtus heroica, & seruandarum
ardor animarum nobis posteris in exemplum dedit,
& quorum labores religiosos & arduos, nullus est
in societate (audeo dicere) quin cupide ambiat: hic
mihi huius munusculi scopus, hac summa obsequij
gratulatorij quod tibi demisso, & propensissimo stu-
dio defert, & dedicat

ILLVSTRISS. PRÆTOR,

Addictissimus, & obsequentissimus
seruus LYDOVICVS IANINVS.

nia obtinerent, & corporatis qui eam incolebant dæmonibus condignos inferos conderent. Atque ut solum minimè arderet, quinque per annum integris mensibus, regio vniuersa cælo vratur æstuolissimo; putres dum spiras, non refrigerandis pulmonibus auram te ducere, sed torquendis visceribus vaporem igneum. Porro auem in ea, vel aliud animal non cernas, ut quibus nec potus, nec pabuli quicquam sit: stillat tantum quidem sub auroram quotidie ros, & in grana concretus de faporis dulcedine, manna nomen sortitur. Cæterum insula etsi eam videtur natura eiurasse, damnasseque æterna egestate, haud tamen eguit habitatore vel hospite, sed fuit multitudine incolarum frequens, Vrbeque claruit tam opulenta, & splendida, ut vulgo iactaretur, si foret annulus orbis vniuersus, gemmam eius. Ormuzium fore (hoc illi nomen, & ea tunc fama, nunc magna ex parte solitudo, & rudera) imminabat enim sinus Arabici, & Persici ostiis, porrectoque in mare ex tribus angulo (nam triangula est) aliorum duorum velut brachiorum tranquillo complexu, portus efficiebat duos, alterum orienti obuersum, alterum occidenti, stationis vtrumque omni ex parte tutissimæ, & capacissimæ. Hac affectis lucrorum opportunitate Persis, Arabibus, Armenis, & vtraque ex India, & Sinis, & Æthiopia, & regnis Africa reliquis, nostraque aded ex Europa mer catoribus, & institoribus, eò tandem Ormuzium creuerat ut nulli esset Orientalium vrbium secunda, & promereretur regni sedem Perfarum ad limites ex aduerso iacentis; aulaque in eam, Bozoia ex vrbe demigraret: spirabant compita, vici, fora, ædificia omnia magnificentiam amplitudinem, & elegantiam; domos opere maurico perpulcro encaustum candidum variabat. Tecta illarum plana, vbi homines noctu sub dio, ad somnum coguntur decumbere, lectorum vice in conchis ligneis distenti, & capite tenus aqua merli. Ardent enim inmodicis æstibus, quales nec patitur Guinea, nec S. Thomæ insula sub æquinoctij linea; & salugine halitus ex lapidibus expressi miserè vaporantur. Cælo nihilominus fruuntur salubri, morbosque propemodum ignorant; quæ corporum sanitas deberi dicitur sudori quo madent perpetuo, humores noxios exsugente. Nec prætereundum quod illic naturæ peruicacia edit prodigium; dum venti cæciæ calidissimo flatu refrigerat corpora, & aquas; apeliotis frigidissimo incendit. Itaque spirante ardorem cæcia hibernis vestiuntur, quibus ut se pluribus onerant, ita refrigerantur iucundius. Ventos vero temperatores, æstati mitigandæ quæ partem anni maximam obtinet, modulantur; & ingenioso tuborum & flexuum tormento in conclauia & aulas, domumque omnem trahunt cum æmœnissimo frigore. Incolarum pars minor indigenæ, negotiatorum vndique aduenarum potissima, & vulgo Arabum. Sed omnes promiscuè illic linguæ sonant. Penes regem olim fuerat rerum summa, fere titulo tenus; consularis enim quædam auctoritas, eò ultra priuatam potentiam, opumque processerat, ut de regno reipublicam faceret. Reges quinetiam suspectos recuperandæ summæ potestatis, orbaret.

baret oculis, & palatio conclusos diuturnis malis absumeret. Iamque
 huiusmodi crudelissima fors quatuordecim Reges inuoluerat cum eò
 appulit Alfonso Albuchereus qui nauibus septem & viginti præliari-
 bus, insulæ admotis, eaque multis impressionibus expugnata, etiam vr-
 bem cepit, Regemque Zeifadinum restituit. Arce demùm ex pacto fœ-
 deris vrbi imposita, & muris solidè munita vertigale regnum Lusitania
 Regi fecit, Seraphinorum quot annis decies quinquies millium. Hæc
 rerum Ormuzij forma ciuilibus, & Physica cum Gaspar Berzeus de quo
 hic aginus ad eam applicuit; morum autem ac vitæ ratio, qualis nul-
 quam gentium detestabilior, colluione omnium scelerum, haud mi-
 nus illuc aperta, & libera quam omnis generis mercium. Sectarum
 quantum orbe toto putet, fœcem totam eò confluentem, in se contrahe-
 bat Christianorum improbitas, & Mauros, Iudæos, Ethnicos viuendo
 referebat. Erat qui sacris vice Episcopi præesset; erant cum eo & Sacer-
 dotes quinque, sed (quod erubescunt eius sæculi acta) tam infami vita
 characteris Diuini sanctimoniam fœdantes, vt vel apud suos probum
 audirent Christianitatis. Mysteriorum & diuini Verbi administratio,
 multis inde ab annis desierat, cum Deo fernens Episcopus breuem tunc
 illi operam dedit, nec ita fructuosam, quòd eius conatus mors præ-
 propria occuparit. Florebat è contrario Mahometes superbo Fano, si
 quod aliud tota Orientali plaga, hominumque ad illud conferta fre-
 quentia colebatur. Grassabatur in populum maximè crimen triplex lu-
 xuria, crudelitas, & auaritia. Priorem Arabes, & Persæ inuexerant ea
 fandi omnis & honesti euersione, & confusione vt inde Sodoma dicere-
 tur; matrimonia rara, quæ forent vtcumque licita: concubinatus pas-
 sim, atque inter externos proiectior; crebra coniugiorum adulteria,
 Christiani absque vilo pudore non modo ethnicas, Saracenas, & Iu-
 dæas ducebant, sed susceptos ex iis liberos, materna superstitione im-
 bui, per sceleratissimam ignauiam sinebant: fouebantque has turpitu-
 dines, luxus exotici profusæ delitiæ, quas in solum commodi omnis
 expers, auti copia venales vndique trahebat; quæ opum copia non par-
 tus industriæ, aut negotiorum fuit, sed perfidiæ, ac fraudis. Negotiato-
 rum ars summa censebatur, perplexis, multiplici dolo ambagibus, alie-
 num suo adiungere. Nulla promissis, & conuentis fides, iniquum sce-
 nus, in quotidiani commercij transcriptum iura. Scripsit ad amicum in
 Lusitaniam P. Manuel Cabralis, qui Berzeo successit; [Si cogeretis Se-
 natus Dæmonum, ad contractus formam ex omni furandi specie con-
 cinnandam, nunquam eius tot modos, rationesque excogitaturum, tam
 probabili fūco subornatas, & æquo simulatas ita plausibili, vt in dies
 videbat excogitari Ormuzij, quam idcirco iniusti scænoris Academiam
 vocaret India] pergiteque dicere, Martinum Nauarrum, elucidandi cano-
 nis insignem eo tempore magistrum, si Ormuzium veniret, prima in iis
 in quibus eminebat noui studij tyrocinia positurum ad nouam lauream
 doctoris petendam; adeò illic infinita esse quæ illum fugerent in argen-

taria ratione. Postremo barbara feritate præ cæteris milites sæuebant, quanquam nec ab vlllo reliquorum criminum immunes. Cuicumque, (quod nunquam deest) de femina esset, aut lucris contentio, præsto erat huic miles sicarius, a quo riuales sui caput pretio emeret, qui velut sanguinis professus Mercaturam, nundinaretur eius mortem. Ormuzij denique immania scelera quantæ essent Orientalibus omnibus execrationi, & horrore, testatur vel vnus Xauerij metus, qui pertimescebat identidem ne tota cum suis insula, repentino hiatu sorberetur, optabatque vehementissimè illius emendatione anteuertere illam cladem, nisi se à Deo ad recludendos Euangelio aditus in Iaponiam vocari sentiret apertius, quàm vt dissimulandæ sibi eius vocis relinqueretur locus. Gaspar verò Berzeus compertâ iam vrbs conditione tam impiâ, flagitiosâ & lamentabili, de se ipse conquerebatur mœrens, quod maiores ad eam expugnandam virtutum comineatus Goæ non parasset, quàm quibus putabat parem se operi tam arduo non esse.

2.
Berzei ortus, iuuentus, conuersio, & tyrocinium.

Natus est Berzeus anno 1515, Francisco, & Agnete honestis parentibus; Gœsio patria siue vt indigenæ efferunt Gufio, Zelandiæ vrbe. Prima eius ætate Latinis, Græcisque literis exulta, Louanium missus in Collegio Castrio Philosophiæ impendit operam, eiusque cum laude ingenij decursâ lauream, & magisterium retulit, annum agens vndeuigesimum. Mox aut videndorum appetens nouorum, aut conditionis alicubi optimæ studio, pertæsus literarum, euadit in militem, datque in iis nomen quos tum Carolus quintus Imperator, Coloniae, aduersum Gallos, conscribebat. Verumenimvero desiderijs futilibus malignè respondit aliquot annorum militia, assiduæ in oculis mortes; continuata ærumnis pericula, terra, marique perpes, & crudelis labor, quâ transmittendis è Germania in Italiam alpihus bruma sæuiente; quâ reperitis sæpius, vita ægrè subducta naufragiis; Deo sapientibus tot malis erudiente terrenam animam, vt intelligeret quâ tristium iussuum mercede suos mundus haberet auctoratos; deinde vt Christi postmodum in castris, exprobrarent suam ignauo stultitiam, si Deo placendi, & beatitudinis aeternæ stipendio, minora auderet, quàm olim ære vili, quo miles vitam & sanguinem locarat; fateturque ipse quamlibet multa, & aspera, & Deo gloriosa perageret (constat autem ea certissimis testibus operarum decem strenuissimas vires superasse) semper tamen sibi coram insultasse vitæ imaginem in tyrannide sæculi exantlatæ, & occentasse præsentis in Dei obsequio languorem. Deterfis igitur miseriarum acri collyrio animi oculis, librataque hinc præmij festuca, hinc malis ingentibus quæ de militia referebat, cordata se sensit pulsari cogitatione, si nempe tantumdem Christi causa præstaret, sanctum se fore ac Deo carissimum, nam ex eo armorum inauspicato ministerio quid posset denique sibi obtingere, præter vitæ vndecumque infaustæ exitum infeliciorem? fore autem easdem calamitates illas suas immensum vtilis, quæstuosum laborem, & pretiosa pericula, si Deo illa

illa venderet, aut donaret; in iis dulce futurum viuere, beatum mori & eorum post mortem gloriosis præmiis æternum frui. In hæc Dei vocantis arcana monita crebro animum reuoluens, sensimque alter à seipso euadens, statuit denique longum vale sæculo dicere, siue iniquo in posterum, seu blandituro, Deoque se penitus, & sibi, rebusque æternis reddere. Obfirmarunt ad hoc hominem tot illa quæ passus erat naufragia; horum subinde animo recurrens species, exhibebat hunc sibi met iactatum, aquis haustrum, emersum, fluctuantem, sed miris modis morti diuinitus ereptum, vt vitam viueret meliorem. Ergo ab stipendiis iam liber, sui que arbiter, consultum diu festinat exequi; sed in via delectu quam deinceps teneret, erratum ab se initio, post pauca comperit, cum re apud Deum expensa maturius, agnouit tandem quid futurum esset illi gratissimum. Solenne iis est qui diuinorum sunt adhuc rudes, & nouitiæ virtutis, vt summam illius reponant in solitario secessu, & cruda corporis afflictatione. Corpus enim hoc suum, hostem suæ salutis primarium experti, vt primum sibi putant incumbere illius domandi officium, ita præcipuos pietatis conatus in eo constituunt. Sic Montis-ferrati solitudo statim Berzeo perplacuit: sunt in iis rupibus cellarum tuguria, sunt imitatores veteris anachoreseos; & reguntur à Monachis S. Benedicti. Aliquod inter illos tyrocinium fecerit, non satis comperio, sed is sua quadam ad Ignatium de se epistola (quam testem habeo eorum quæ dixi hæcenus, & quam propterea indico quod multos videam illius ignorantia, scripsisse de Berzeo, à vero aliena) sic de se loquitur [postquam mihi eremus Montis-ferrati fastidio venisset, societatem adamavi, & in eam admissus tandem sum] vtcumque res fuerit, Vlyssiponem transit, ac dum normam viuendi rimatur virtutis ingenio quam parturiebat idoneam, Sebastiano Morales nobili Lusitano, & ærarij regij Præfecto suam operam defert, excipiturque ab illo in famulum, vxoris Batauæ rogatu. Pergens interea enixis precibus poscere vt coopretetur in partem diuini famulatus quæ foret Deo maximè accepta: iis dum assidue insistit inter quotidiana officia quibus dominum suum in aulam affectatur, Simoni Roderico sæpius occurrit vni ex primis Ignatij sociis cui erat principis institutio commissa. Huius demissione, modestia, omnique agendi ratione ad sanctimoniam castigata mirificè captus, de illo inquirat, de instituto illius, & ordine, de sociis quos sibi adiungeret. Scopum quo tenderent eorumque ad illum studia cognoscit, sentitque mox ad eorum cœtum vehementer se agi, quare absque mora post aliquos cum nostris congressus admittitur, & à Simone Conimbricam ad tyrocinium destinatur, vbi consuetis meditationibus probatus Societatis induit habitum April. 20. ann. 1546. quem diem postea semper habuit fortunatissimum, nullum posse ratus in omni vita beatiorum sibi contingere, nisi quem tam felix casus adduceret, quo fundendi pro Christo sanguinis daretur copia, & à fidei hostibus necaretur. Hominis extra se positi, & gestienti gaudio insani videntur

literæ quibus creberrimis hanc suam de ingressu in societatem latitiam repetit, placet hic vnas in aliarum specimen ponere omnino singulare. Scribens enim Ormuzio ad nostros Conimbricam [ô carissimi in delitiis, inquit, fortunata plane hora illa qua fecit Deus mecum seruo suo misericordiam, & de sæculi ereptum luto, collocavit cum principibus populi sui, hoc omnes vos nomine appello, & voce quidem haudquam submissa, sed palam per vias, & compita exclamans, venite & videte quanta fecit Dominus animæ meæ: misericordias Domini in æternum cantabo, qui me in societatem hanc adlegit sanctam, Patri nostro Ignatio inspiratam diuinitus, & ab eo nouem cum sociis inchoatam. Quantum debeo mifer P. Magistro Simoni; Ioanni, & Morales, qui me prope inuitum in eam pertraxere? quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? præter admirationem & lacrimas quod reddam nihil suppetit, quid porro sentiant qui sunt in Societate, virtute præstanti; si me homulum vilem, tanti boni possessi, tam dulcis afficiat sensus? ô sancta vinea! cognitionis sui excepta solo, trunco inserta crucis Christi, eius sanguine irrigata; pastinata labore martyrum, Confessorum muro circumdata; Virginum septa custodiis, possessore Christo veneranda: etsi es in speciem tenera, & nuper velut ex primigeniæ solo Ecclesiæ translata; solide tamé coalescis: extendis amari ad mare radices. Amore in proximos: tuo & sudoribus terram imples: quisquis de Societate nostra Christum non sequitur, & hunc crucifixum anathema sit. Quæ conuentio luci ad tenebras? laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, &c.] Sic ille non satis gaudij sui potens, & velut animo exerrans.

Quod autem venisset in tyrociniū, annos natus vnum & triginta; conditione, & inopia seruus; nec de ingenio, & literis verbum vllum misisset; addictus est ministeriis laicorum, datusque adiutor socio custodis ægrotorum, & paucis post mensibus satrinæ præpositus. Constabat iam tum Conimbricense Collegium plus centum capitibus, qua tyronum qua Scholasticorum, lecti omnes & feruida virtutis, sui præ omnibus vincendi, & publice abiiciendi ardore; incendebatque hunc Simon Rodericus, reuifens illos quoribus licuisset ab officiis aulicis vacare. Ergo aliquando cum circumstiterent sedentem suosque certatim quisque animi hæuos coram aperiret, vel contemptum ex iis, vel iisdem remedium captans, cæpit quoque de genibus Berzæus magno sui pudore dicere, teneri se concionandi tam importuna prurigine, vt eam non posset ab se depellere, quod eius dictum sociis omnibus latum risum excussit, aded extra rem & opinionem accidit: hominem agrestem, & qualis ipse tunc putabatur, idiotam, insuperque patria, & lingua peregrinum, pulsari tam nobili tentatione potuisse. Hanc illi Simon detractum iri facile credidit, si sui ipsius coram in ea re periculum faceret & simplicitatis suæ illos qui aderant spectatores haberet, & testes; iubet illum in scamnum coascendere, ac de argumento quod menti pri-

mm

mum incideret sermonem habere. Paruit illico, dixitque haud scio de
 quibus, sed absurditate tam inexpectata ut qui audiebant omnes in ri-
 sum soluerentur, & ambigeret nemo quin illa sui experientia peruietus
 omnem refugeret concionandi cogitationem. Quippe incompositus, in-
 fulta corporis statura, & voce; verbis, qualia externo, syllabarum, &
 agrè exeuntibus peiusque corruptis. Desierat, interrogatusque denuo
 ab Simone, e quid sua ipsi concio placuisset, quidue nunc de se ipse
 sentiret: non minus confidenter quam si omnium ex ea tulisset approba-
 tionem, respondit sibi nihilo secius animo hærere, euasurum se in bo-
 num concionatorem: quod Simon tacitè, Deique haud dubiè instinctu,
 apud se recogitans, tam singulari hominem virtute non ab se fortassis,
 sed motum cœlitus ita loqui, seorsum ex eo percontatur numquid in li-
 teris operæ posuisset? cognitòque illius in Philosophicis studio, & Ma-
 gisterio artium quod inde reportarat, miratus quod hæc longo & humili
 pressisset silentio, illum Theologiæ confestim applicuit, curauitque sa-
 cris initiari ordinibus. Sic mente tyrocini Octauo Sacerdos, ipso Chri-
 sti nascentis celeberrimo die Sacrificij adorandi Deo primitias obtulit.
 Post quæ mox in publicum mitti, obire oppida & pagos, concionari,
 non iam absone ut nuper, & ineptè, sed vel peculiari Dei dono, vel occul-
 tata eatenus naturæ dote, tam eleganter, & efficaciter, ut breui famam
 adeptus sit sapientis, & apostolici præconis. Quibus eam sui spem fecit
 Simoni pro conuersione Indiarum, ut eò illum destinaret. Agebat Ber-
 zeus quadragesimum tunc diem in pagis circa Conimbricam verbo Dei
 lustrandis, cum decretæ illi prouinciæ ad eum nuntius mittitur Ludo-
 uicus Gonzales, simul eius vices illic obiturus; offendit conferentem se
 Figuerio ex pago Pedrogam, ut verba ad populum faceret, indicit de
 reditu in Collegium, & profectio in Indiam. Quæ Berzeus haud ali-
 ter accepit, quam si mendicus è suo centone ad purpuram thronumque
 repente tolleretur: hæsit aliquandiu præ gaudio stupens, recepto mox
 animo, ac voce, prostratus in genua, multis cum lacrimis egit Deo im-
 mensas gratias, immensi insperatique boni; suos illi sudores liberalis-
 sine obtulit, ac si non dedignaretur admittere, vitam quoque ipsam,
 & sanguinem. Inde conuersus ad Gonzalem, pollicitus est illius, &
 beatissimi quo se impertiverat nunciij, fore perpetuo memorem, & re-
 pensurum ipsi apud Deum partem bonam votorum quæ esset precando
 facturus. Pedrogam peruenerant, & conscenso Berzeus pulpito, illos-
 que iam exerens apostolici ardoris spiritus, quibus ea edidit apud Indos
 quorum narrationem inchoamus; vi tanta dixit, ut peccatorum dolo-
 re, ac fletu populus rumperetur. Quare occasione usus, ex pulpito ad
 confitentes audiendos sedit, eiusque diei reliquum, & noctem solidam,
 ad duas ante meridiem consequentis diei horas in eo insumpsit. Post quæ
 re diuina peracta, quos expiauerat sacro epulo refecit. Vlyssiponem Co-
 nimbrica transgressus; Martij decimo septimo 1548. in Indiam soluit,
 appulitque Goam eiusdem anni Septembris tertio. Appulere cum illo
 omnium

omnium

omnium vectorum, Præfetti potissimum; tam illustria de ipso encomia, prædicatio tam constans sanctimoniam ipsius, & feruoris, tum illa semestri navigatione omnibus probati, tum vero dum rescicerentur Mozambici (de quo scriptum alias à nobis) ut et laudes Xaverium diu perplexum habuerint. In procinctu is erat ad Iapones, Goæ discessum opperiens, & illo quærendarum Deo animarum incitatissimo studio, exquisitaque industria, patientia ærumnarum, & cuiuslibet laboris, demissione sui que contemptu (quæ in Berzeo eminebant omnia luculenter) magnopere persuadebatur, ut eum sibi deligeret in Iaponiam comitem. Verum aliunde nimium quantum intererat sustentari Goæ Christianorum pietatem, & Collegio Goano quod totis Indijs in sanctitatis academiam crescebat, præesse virum, quem clara exempli magni lux haudquaquam parcius, quàm prudentiam commendaret; ijs vero qui essent in varia per orientem spargendi loca magister foret apostolicæ virtutis, eosque fingeret ad implendas expectationes diuinæ gloriæ, quæ de ipsorum laboribus sperabatur copiosissima. Quibus item Berzeus doctibus excellebat. His ergo duobus iusto examine libratis sensit Xaverius præponderare alterum priori, & Berzeum Collegio præfecit: quantâ quidem nostrorum voluptate qui abeuntis Xaverij iacturam videbant sibi non multum dissimili Rectore suppleri; tantâ Berzei molestiâ & dolore, ut cuius modestia premi se onere intolerabili reputabat. Quod autem apud sanctum patrem deprecando ac flendo nihil ageret, preces ad Deum, & lacrimas vertit, euicitque durando voti summam; resumpto enim Xaverius priore consilio Berzei secum in Iaponiam ducendi, noua luce afflatus est in ipso decernendi articulo, agnouitque certius Deum velle ut mitteretur Ormuzium Berzeus, quoad saltem Christo, aditus in Iaponiam pateret. Igitur securus tam deliberati Consilij, accersitum compellat, & quantum quidem, ait, dignatur Deus mihi ostendere, nec te Goæ iubet, uti statueram; nec in Iaponia, quo te ducere cogitaram versari, sed tuis laboribus campum alium pandit angustiorem, esto Iaponia, sed sacræ culturæ haud minus, quantum intelligo egentem; Ormuzium itaque iter para; & si pergit tibi Iaponia coram esse, dum ego cum paucis illuc tibi viam aperio, tu stude interea illam promereri, & digna ethnica superstitionis e Iaponia exturbandæ Ormuzij rudimenta pone.

3.
Monita Berzeo Ormuzium petenti à Xaverio tradita.

His lætus & gestiens Berzeus, quod vna & manus regendi excuteret, & tam clara occuparetur expeditione, nauim Goæ Ormuzium parantem conscendit, verum haud prius quàm ab Episcopo Albucherco sancta muniretur adprecatione, cui quicquid erat in sua potestate, auctoritatis, & priuilegij prolixè addidit, protectionis illius gaudio incomparabiliter affectus. Sub hæc post mutuos nostrorum, Xaverij maxime amplexus, portu soluit Berzeus, sed accepta paucis quàm abiret diebus ab Xaverio carta, ubi vir sanctus sua manu paræneticam de ijs institutionem illi præscripserat; quæcumque ad sanctè viuendum, & rem fructuose gerendam

dam spectarent. Ea quod & tanti doctrina magistri sit (quo vno abunde suum pretium tuetur) & plena singularibus arcanis ad regendam virtutem priuatam operatorum , & operam quam hominibus impendunt, opinor legentibus non erit iniucunda. [Prima igitur, inquit, tua, tui metipsum cura sit. Caue vnquam vel Deo, vel animo seu conscientia tua defis, his enim duobus, fies ad alios iuandos habilior. Esto in vilibus obeundis promptus, & alacer; vt demissionis sancta pares tibi virtutem & augeas. Quare pias preces tute ipse trades Lusitanorum filiis, mancipiis, ciuibus Christianis, & mortalium nemini id officium credes. Sic te tuaque facilius intuentibus probabis, plusque iis proderis, si qui tua ope egerint venturis nimirum ad te audiendum libentius, sacraque doctrinam condiscendam. Pauperes in nosocomio viles & identidem, ad eos verba facies de necessariis, ad conscientiam illorum spectantibus, hortaberis que ad sacra confessionis, & communionis mysteria, vt qui ferè admissa peccata, morbis luant; ac si tibi licebit non modo confitentibus aures dabis, sed quamcumque poteris opem feres, tum per te ipse ministrando, tum subsidia corporum ab aegrotantium custode, & & procuratore iis comparando, quem item in modum adibis ad carceres sapius, vrgebisque ad officia hominis Christiani, & quoad valebis, ad animum, serio vitæ omnis peractæ confessione integra purgandum, nam sunt in hoc hominum genere, qui nunquam rite confessi sunt: sodalibus vero misericordia inculcabis, eorum incumbant liberationi, & egestati pauperum leuandæ. Sodalitatem quoque illam quacumque poteris iuuabis & si quando reddenda incident quorum aut dominus ignoratur aut conditio incerta liberam patitur restitutionem, ea sodalitati misericordia addices omnia, etsi alioqui ob oculos habeas quorum sustentandæ inopia censeris optimè collocanda; cuius mei consilii sunt hæc quas subdo rationes. Prima quod in tanta confusione mendicabulorum, multi foedissima scelera, furo egestatis miserabili prætexunt. Hos autem sodalium in omnes vigilantia, & cura faciliè discernet ab reliquis, tuque securius sodalium manibus quam tuis; nullo doli metu ea dispensabis. Deinde, si semel vulgabitur, habere te quæ pauperibus diuidas, confluentur ad te pascendorum magis studio corporum; quam ad leuamentum animarum; quod nequaquam fiet, si semel intelligant, quod ijs conferas nihil tibi esse in oculis præter pia conscientia adiumenta. Tertio neminem offendes, suspectum te meministi facies sacra pecunia in tuos vsus imminuta, quod qui essent procliuitate improba faciliè ausuri; de aliis faciliè suspicantur. Quibus incommodis mature occurritur, si quod dixi, sodalium manibus, distribuenda in pauperes pecunia credatur. Posset tamen tam grauis vrgeret ratio vt secus tibi omnino agendum ex Dei gloria iudicares, quod tunc vt facias non veto. In familiari consuetudine caue nisi de piis, & animi rebus colloquia conferas; tam vero cautè ac prudenter etiam cum amicissimis, vtque tibi visi fuerint, intimis, agito; vt si eos quandoque habiturus esses inimicissimos Sic

B

vbique

vbique cunctis relicturus es documenta tuæ probitatis, ac si costibi renuntiare amicitiam contingeret, sua solum id culpa, suo cum dedecore fecerint. In tanta hominum actutus prauitate, teipsum circumspecte, tibi attendito; in hac tui sollicitudine Deus tibi iucundius sapiet, & tui ipsius perspicientiam assequeris in dies clariorem. Nostri, mihi credito neglectu, & multam amicis recedendi à nobis ansam damus, & offensionem aliis quibus nec amici sumus, nec satis noti. Prædicationem verbi Dei quoad in te fuerit omittes nunquam. Eius enim fructus cum ad vniuersos pertineat, singularis est ad Dei gloriam, & salutem animarum momenti. Videbis tamen ne difficilia pertractes, aut dubia. Claris esto contentus, & passim probatis, atque ad mores idoneis. Reprehendantur vitia, & norit auditor te diuinam offensam vehementer dolere, sortemque peccantium, flagitiosam vitam præcipitantium in aternas pœnas. Crebro dic de morte repentina, quæ improuisos de medio tollit; adde vnum aut alterum caput, de cruciatibus Christi Iesv: quo vel Deum compellet peccator, vel indignetur peccatori Deus, moueasque auditorium tuum omni industria ad detestationem scelerum, & vberes fletus, obeundaque confessionis & Eucharistiæ diuina Sacramenta. Obseruabis autem diligentissimè, ne quem de pulpito ex iis notasse videre, qui magistratu vel alio titulo in vrbe eminent; peiores facit reprehensio publica eiusmodi homines, non emendat. Præstabit illos domum conuenire, & vultu placido, ac sereno monere, sed quæ sita verborum suauitate beneuola, & blanda, quæ nihil præferat austerum, & asperum, imo aliis complexu peramico, aliis demissione tui, malecundo moniti libertatem, prout gradus cuiusque ferre videbitur: amicitiam si tecum profiterentur, eius fiducia arguendi erunt liberius; sed correctione aptata ad mensuram familiaritatis. Nolunt diuites, & potentes duriuscule secum agi, rati que pro nihilo si nos ab se auersos habuerint, patientiam veri, & nostri obseruantiam vltro excutiunt. In excipiendis confessionibus hominum negotiosorum, vel dissidentium, aut laborantium impuris amoribus; duo ex iis oportet exigas; primùm aliquot diis admodum serio in seipfos descendant, vitamque suam distincto examine retexant, notatis perspicue illius peccatis, & (quod tutius foret) in carta perscriptis. Alterum vt satisfaciant nominibus, quibus tenentur summo iure, priusquam absoluantur. Hoc est male parta iustis Dominis reddant; occasiones recidivas abscindant; inimicis reconcilientur. Fit enim plarumque, vt ad genua sacerdotis omnia promittant; accepta criminum absolutione, nihil præstent; hanc vero vt mitius expectent, & Christiana quæ debent officia exsoluant libentius, iuuandi erunt in re illorum meditatione quæ spectant ad primam Exercitiorum hebdomadam, vt probe agnoscant, quo fine à Deo sint conditi; quantum ab eo exararint; peccatorum quanta sit grauitas, sceditas, execratio coram Deo, & vindicta quam atrox. Mortis præterea certæ, incertum semperque imminens momentum, ætatis præteritæ seuerissimam rationem

ad

ad inexorabile tribunal; immensitatem pœnarum, & æternitatem. Aduertendum etiam nonnullos fallaci pudore turpitudinum admissarum sic infatuari, vt nunquam se satis Confessariis euoluant; sic terreri alios & percelli, vt diffisi, animo concidant. Hic multa opus est affabilitate & cunctatrice solertia donec animum omnem nudarint penitus, eleuandaque potius culparum grauitas misericordiae diuinæ fiducia, quàm terrenda metu iustitiæ vindicis. Addet quoque illis plurimum animi, si profitebere quæ ipsi confitentur haudquaquam tibi noua accidere, audisseque te olim magis insolita. Incides quandoque in homines, qui vel ex diuturna consuetudine cum infidelibus, aut omisso pridem Christiani epuli vsu sacro, siue ex alia pestilenti causa, vacillent in fide augustissimi Sacramenti. Sic istos in omnem versabis partem, vt suam tibi perfidiam, dubitationes & chimeras prodant; dehinc omnem contendes operam, vt hac nube discussa scabiantur indubitata persuasione Christi Iesu in Eucharistia præsentis; & si ex iis impetrabis, vt eius ad mensam frequenter accedant, magnopere iuuerit ad eos vna & suis criminibus, & erroribus eximendos. Si accedent Præfecti, Procuratores, ministri regij, & alieni negotij actores, apud te peccata posituri, exquires sollicitè, cuiusmodi lucra inde ij colligant? an exsoluant quæ debent? num in monopolia coëant? vtrum pecuniam regiam occupent in quæstus proprios? & his similia. Nec tibi sat dictum putabis si generatim responderint, de alieno se nihil habere. Nam cum eo vsque peruagata sint illic iniqua commercia, vix vt ea quisquam religioni ducar, audenter asserent, nihil se cuiquam debere, cum sint tamen reuera, multis restituendis obnoxij. Hæc ergo te ex iis expiscari oportet, per ea quæ attingi rogandi capita, ijsque factu necessaria indicere. Urbis Vicario summè obsequens esto. Ormuzium ingressus, mox ab eo manum ad osculum flexo genu vtroque poscito, nec aut concionum, aut confessionum, aut quoduis aliud, ipsius iniussu ministerium sacrum exerceto. Qualiscumque verò suborta causa suaserit, caue vnquam ab eo te ab alienes, stude potius quantum vales amiciores tibi in dies facere, vt hac tibi aditum facias, ad insinuanda illi primæ saltem hebdomadæ Exercitia; tantundem præstabis cum sacerdotibus reliquis, & multa significatione tuæ in singulos obseruantia captabis, fonebisque illorum beneuolentiam, vt eos si fieri poterit, ad easdem quas dixi meditationes inducas. Nec minus tibi commendatam velim erga urbis Præfectum obedientiam, demissionem, & obseruantiam; nec vnquam ab eo quicquid tandem tibi peccare videbitur, auersum animum præferas. At si amicum profitetur, & speras illi profuturum, vultu tranquillo, & hilari admoneto, tam beneuolè atque humiliter vt clarè intelligat, vnam in ea re, ipsius animæ salutem, & famam in populum tibi cordi esse, idcirco cælatum noluisse quæ vulgo de ipso dicerentur. Quia verò non defuturi sunt qui multa de illo apud te exoptulent, teque importunius vtgeant vt illum adeas, cauto hic tibi maximè opus est. Videturque

que conducibilis, si excusaueris diuinas in animis occupationes, per quas id tibi non liceat; nam si nec Dei (vt solent garrere) neque sui vilam habeat rationem, multo minus tui habiturum. Semper sit tibi commune bonum priuato antiquius, nunquam omittatur prædicandi labor, vt detur confessionibus audiendis; nunquam doctrinæ Christianæ suo quotidie tempore tradendæ cura, vt infumatur in peculiare aliud, etsi ad Dei obsequium faciat. Et teneri abs te constanter volo vt horæ vnius spatio præuertas eius scholam, quo vel ipse per te, sin minus per focium, vicos vrbs cum tintinnabulo obeas, ad colligendos in eam pueros, & plebem. Infidelibus conuertendis, quantum tibi licebit, temporis tribues, & Illustrissimum Episcopum, quo fructu hæc omnia peragantur, facies tuis literis certiozem. Lustrabis urbem quot noctibus, appositis ad mouendam populi pietatem oratiunculis quibus Deo pro ijs supplicet qui flammis piacularibus torquentur; & qui tenentur lethali scelere, & ad placandum vtrisque Deum, petes *Pater & Aue* singuli recitent. In communi congressu alacritatem præfer, ne quem asperitatis metus à fructu tuæ consuetudinis arceat, humanitatem verborum, & gratiam adhibe, ac vbi priuatim carpendus aliquis fuerit, fiat hoc amicè, condiaturque tam urbane, vt constet à te culpam damnari, non reum. Dominicis, & festis, hora de meridie prima ad alteram, vel ab altera ad tertiam in maiori æde, vel sacello misericordiæ, dices de capitibus symboli ad mancipia vtriusque sexus, ad Christianos indigenas & Lufitanorum liberos, postquam ipsemet illos ære per urbem agitato in templum coegeris, vt paulo ante, ad doctrinam sanctam vocandos monui. Ad hoc tecum hinc feres eorum capitum explanationem, ordinemque ac modum Christiano euilibet tenendum vt Deum precetur quotidie, geratque salutis suæ curam. Hanc verò formulam, pœnæ loco iis imperabis ad aliquod tempus, quos audieris pœnitentes, vt vltro deinceps, iam assueti ex illa viuant, quod iis multum profuisse experientia docuit, ac ne quem prætereat tanti boni vsus, non id modo apud eos laudabis etiam qui tecum rarius agere consuerint, sed per ædes sacras, in tabulis descriptum, propones, vt legatur ab omnibus, & ducantur ex eo apographa. Qui ad te Societatis desiderio accedent, si iudicabis idoneos, sedulo excoles: videbis attamen, ne domandi sui eorum humeris impatia onera imponas, sub quibus animis linquantur, & vbi erigi, & confirmari debuerant, desperent. In quo nouitas quædam omnino vitanda est quæ risu magis quam exemplo afficit. Aptæ est illa vincendi sui materia, ægrotis adesse in nosocomijs; vincitis in carcere; vtrisque ostiatim mendicare, & istiusmodi quæ passim occurrunt ministerijs exerceri; quos vero nostris meditationibus exercebis, & prouehendos susceperis in gradum virtutis minimè vulgarem; docebis animi motus prauos, candidè tibi penitusque nudare, valet enim ad eos debellandos mirum quantum is candor promouendumque in stadio sanctitatis, hoc si voles ab iis obtinere; fac te minime austerum, & seuerum putent; seueritatem

rem enim fiducia refugit, quæ dum iis deerit apud te, semper conscientiam tuam callidè vitabunt, quod potissimum dæmonis votum est, ut eos ab te, quam primum abducat, & à proposito pietatis quam duce te inibant, dimoueat. Cæterum illos cum animaduertes, superbix fastu, arrogantia, lasciuia & si quo alio vitio pulsari, hortare ipsimet apud se per otium ea excogitent, quæ illi expugnando idonea censeant; erunt enim illa remedia morbis ipsorum depellendis efficaciora, utque ipsis fiant inuentu facilia, præbis ipse aditum indagandi quò viam ingressi, per se cogitando illa inueniant, inuenta tecum communicent; tu quasi iam forent animorum ductores curabis ea in sermonem inducant apud ægros in nosocomiis, apud vinctos, & alios, indicentque illis ut feret occasio, ea ipsa quæ sibi pararint remedia; sic illos quam aliis porrigunt sanabit medicina, & cuius aliis auctores fuerint, animosius haurient. Vtere hac item cum iis regula quos deprehenderis sacræ absolutioni malè comparatos. Iubebis exquirere quid profuturum credant, sibi similibus, si quos secum eadem implexos catena dæmon obstringet. Post verò quam illa repererint, quæ tibi probentur, euinces non ægre ea ut ipsi sibi adhibeant.

Offendes interdum homines ita cæcos, adeoque in suis obfirmatos & saxeos malis, ut nullis artibus reduci valeant ad vllum sui sensum; interdum ex quorum vnguibus, alienum excuti non possit; qui more quadrupedum viuunt; quos odiis implacabilibus dæmon obstinatè incendat. Nullius istorum desperanda est salus, velut curationis experts, quin imo ad grauitatem periculi, augenda, inculcandaque remedia. Primum Dei amor, & reuerentia, à quo conditi, & redempti, qua fronte pergant in illum peccare? Secundum metus ignis sempiterni, iis certò nisi resipuerint parati. At enim quibusdam diurnitas scelerum; Deique, ac cæli obliuio, ita sensum omnem conscientix extinguit, & fidei lucem; ut nisi sub oculis positum, nihil certum putent, aut si putant, viuunt nihilominus velut falsum putarent, aut dubium; tertium his medicamenti genus adhibebis. Pones ob oculos tristes casus, & ingentes pœnas quas in sceleratos, eorum consimiles, etiam dum hiè viuunt consuevit Deus intorquere, aliis annorum numerum morbis lethalibus contrahit; tollit alios mortibus repentinis; quosdam vxoribus, & liberis orbatos, in dedecora publica, bonorum spoliationes, conflictationes; naufragia protrudit, & terra, marique infectatur; scitò harum calamitatum metu percelli complures haud paulo violentiùs, quam æternorum mentione: quæ si minus iis profit, non erit ab recto alienum hac via illos in viam reducere. In vniuersum hoc teneto, ne homines profligatæ vitæ aggrediatis corrigere, quin prius sagaci cogitatione perspexeris utrum pacato animo sint, & excipiendis quæ ab te dicentur composito, an vero perperam affecti, odio, indignatione, seu alia quauis perturbatione contra suam salutem obfirmati, nam si erunt ab istis liberi, pretium operæ, sperabis; sin autem, intempestiuum veniet quicquid

fategeris, tum quidem procul velut aliud agens hoc vnum tentabis vt comitate familiaris vsus, & affabili consuetudine, aptisque tempori præfidiis turbatos illorum animos serenes. Si tempestatem in iis ciebit ira & vindictæ libido, faciet ad eos mitigandos, excusatio ignorantia apud illos probata, datam inde offensionem causam, non autem lædendi studio; solere Deum aliquando, nostra peccata inflictis iniuriis plectere, indignè licet, contraque omne fas habeamur, haberi nos tamen vt sumus commeriti. Forte illos olim, eadem in alios peccasse, quæ tunc Deo ultore iis rependuntur, & in beneficiis ponendum, quod detur nunc illa expungere nomina, quæ exigenda sunt ex nobis post hanc vitam longè acerbis. Idem esto quibusvis de impotentibus animi motibus quale de ira iudicium, sedandi sunt prius quam progrediare ulterius, sed argumentis solidioribus quàm quæ vulgo rebus temporariis adhibentur, vt iis attentius, & maturius reputatis deprehendere incipiant, quantum errent ab omni ratione cum iis se sinunt turbinibus abripi. Huc illos vbi perduxeris, perges videlicet salutares curas, & conscientia negotia iis paulatim suggerere, monendo, arguendo, suauiter primum ac leniter, dein magis serio, nec sine aliqua imperij specie, vt iam æqui bonique omnia consulentes, diuinæ mancipis voluntati, & in via salutis constituas. Festis & Dominicis, & fixo quot hebdomadis die, certum deliges tempus simultatibus componendis, & truncandis captionibus litium, quæ sæpe in sumptus desinunt, sorte de qua pugnatur grauiore. Id cum fiat scribarum, & procuratorum culpa vt plurimum, incumbendum est iuuandis, illorum animis, & si quæ possit ad exercitia spiritualia pertrahendi. Si aues in tui, & aliorum profectum operam locare maximè fructuosam, cum singulari animi tui voluptate, ita cum peccatoribus versare, vt magna fiducia totum tibi peccus aperiant. Sunt hi codices animati, ex quibus vberius, quam ex mortuis discitur: iis instandum est, non modo vt inde supellex dicendi ad populum affluat; verum & ad pios mentis tuæ intimæ affectus. Quod nolim sic à te accipi, vt libris abstineas in lucem editis. Imo & hos lege, & ex iis selige, tum sententias diuinæ paginae, tum sanctorum exempla quibus pondus, & auctoritas accedat remediis quæ aduersus peccata præscripseris. Quandoquidem vero suppeditari tibi necessaria rex iubet ex eo te malim, quàm alio quouis ea excipere, & hoc mihi credas libertatem perdit, qui munus admittit, nam vbi vsus est reprehensione, pudet ea vti, & obmutescimus, aut si loqui nihilo fecius tentamus, exit sermo inanis absque pondere, & efficacia. De rebus tamen alicuius momenti & pretij id cape, nam de paucis arborum fructibus, & similibus reculis non veto; dumtaxat ea lege, mox vt illas acceperis, mitas inter ægrotos in nosocomio, seu vincos in carcere, aut alios pauperes tribuendas, vt constet non minus religiosæ charitati & abstinentiæ, tua ad pauperes recreandos parsimonia te studere, quàm modestiæ, & vrbantati, in accipiendis, quæ cum offensione diuitum reiecisses.

Notabis

Notabis nonnullos acquiescentes in suis flagitiis deliberata obstinatione, qui amicitia tua capi, & consuetudine videantur, haud quidem ut fiant ex ea meliores, sed melioris famæ, ac nominis; & ab tua impugnatione tutiores; donis quin etiam te sibi addicere conabuntur, quæ si putabis admittenda, fiat hoc sanè, sed omnino conditione hac, ut gratum habeant vicem te illis reponere, libertate amica monendi, & suadendi quæ ad ipsorum salutem facere videris. Si te ad prandium vocabunt; condices tu ipsis ad confessionem; si tu à opera in salutis suæ negotio uti nolent, tum verò illorum cumculos tibi palam patere significa, & flocci tibi esse, id genus benevolentia, quod inutile sit ad eos pro tuo munere, & sua graui necessitate adiuuandos.] Huc vsque Xauerius.

Discessit Berzeus Martio exeunte 1549. die priusquam Xauerius in Iaponiam solueret octauo; cumque vltra milliaria sesquimille non distet Ormuzio Goa, sed nactus est longam & laboriosam duorum mensium nauigationem, reiectus ad freti Mechani ostia in mare Erithreum, inter assidua vitæ discrimina, incursiones piratarum, & commeatuum ex improuisa itineris diuturnitate penuriam quas tot miseræ corporum Berzeus, opportunè vertebat; ad leuandas vectorum interiores miserias. Conferebatque ad hunc eius scopum tempus ieiunij maioris, ad pœnitentiã inuitantis. Concionabatur diebus festis ad ima decumani mali aut summa ex puppi; nec vel ipsi etiam ethnici, Saraceni, Iudæi volebant ab eius concionibus abesse. Mysteria fidei seruis & pueris enucleabat quotidie; sodalitate mercatorum instituta, cum iis hebdomada quaque, post varia pietatis exercitamenta, flagellationem voluntariam obibat. Die veneris sanctiori, ordinem digessit supplicantium puerorum, in nauis platea, qui seipfos quoque flagellis cæderent ob reuerentiam Christi parentis. Demum Paschæ diem festis gaudiis celebrem effecit eorum multitudo quos sacro tinxit baptisate, quosque sacramento pœnitentiæ expiauit: Calaiaten interea venit in Orientali plaga felicitis Arabia sitam, duabusque ab ea leucis, ad amnis fauces anchoræ mittuntur, illic dum aquantur, & reficiuntur commeatu nauæ, prosilit Berzeus, locique indigenas magnam partem Mauros affari aggreditur de Christi fide, spes statim tam certis prouentus vberissimi, ut Raymundus Pereira, nobilis Lusitanus mensium paucorum inter nos tyro, eiusque delectu Xauerij socius, multis institerit illic sibi liceret remorari, ad imbuendum penitus doctrina fidei populum, & sacris fontibus lustrandum. At enim Berzeus sapienter diffusus nouitio ardori, feruidè magis, quàm consideratè, grandia audenti, præmaturos conatus non probauit, aiens Ormuzij haudquaquam defore vbi suam operam explicaret, ignemque spargeret suæ caritatis. Sed fefellit euentus expectationem, impar cœli æstibus ferendis Goam fuit paulo post remittendus, ne Ormuzij interiret. Mascaten inde transfuehuntr, eiusdem oræ oppidulum, si vsquam alibi infelicissimum, quo Lusitani deportabant reos, decocto-

res

4.
Berzei gesta
Goâ Ormuzium vsque.

res se recipiebant; pertasæ maritos vxores securum quærebant liberumque asilum, Vocabat Berzeus latebram peccatorum, profitentium Christum ore tenus, & vitam trahentium ipsis sinter quos agebant Saracenis sceleratiorem, ac ne quid tantis deesset malis duodecimus laboratur annus, ex quo caruerant omni sacrorum vsu, & verbi Dei prædicatione. Vt autem primùm apud illos vocem exeruit, obtendenda fuit ramalibus velisque planities, tantus erat ad eum audiendum, omnis generis sectarum, nedum Christianorum concursus, qui tamen fuit post alteram concionem necessario omittendus, vt confessionibus diu noctuque audiendis daretur locus, quin & biduo ab appulsu vento vela vocante, apud Præfectum egere tot precibus incolæ, ne misso sibi diuinitus animarum præsidio tam cito destituerentur, vt in tertium diem, discessum reiecerit. Quo inter populi comitantis salutationes, & gratiarum actiones, nauim repetiit Berzeus recusato nauigio, quod ei summus eius oræ præfectus, liberaliter adornarat.

Iamque Ormuzium aduenturi fama præcesserat, nauisque alia, melioribus acta ventis Albuchercij literas ad Vicarium, & arcis Præfectum tulerat Berzei sanctitate, scientia, cæterisque laudibus refertas quibus addebat, imputaturum sibi quod in eum conferrent, velle ipsi adessent in ministerio Euangelico; muneris quod quò liberius, obiret ac plenius, scirent eum omni ad hoc munitum potestate. Auxit viri nomen, quod breui rescitum est vnum esse de Xauerij sociis cuius illic augusta memoria summam habebat venerationem. Quare nauim procul in portus conspectum vix prouectam lembis duobus excepturi occurrunt, altero Vicarius cum clero, Ormuziensis regie præfectus altero; suis cum famulis, reficiendo Patri dona escaria ab rege ferentibus: Christianorum iuxta, & Saracenorum turba ingens, littus impleuerat, quibus haud prius viri sancti vultus, quam virtus affulsit: nam agrè pedem in terra fixerat cum Vicario in genua procidit, seque illi permittens penitus eius sacram poposcit adprecationem; at is mutua vice amoris, & reuerentiæ, humo perhumaniter erectum, coëgit sibi dextrum incedere, ac præuio agmine supplicantium in morem clericorum, & populi; deduxit in arcem vbi à Manuèle de Lima eius arcis Præfecto mira comitate exceptus est, motaque grata lis aduersus Vicarium, volentem sibi tam desideratum eripere hospitem. Litem breui diremit Berzei modestia, contestata se numquam nisi domo publica ægrotorum pro hospitio vsurum. Illie sibi ac socio commune tugurium legit ex storeis, passus tantum id tegi rudi tabulato, ad defendendam pluuiam, & captandam subditi pro more regionis, nocturnam quietem, quanquam demptis quas dabat animæ suæ horis, & vtilitatibus alienis, raro vltra tres ad summum horas, è singulis noctibus decerpebat. Ingressum in urbem tanta breui occupationum circumstetit turba, vt nec cibo nec somno locum relinqueret. Incipienti enim absque mora, facinorosissimam Niniuem, pœnitentiæ præconio mouere, Deus manum adiunxit terribiliorem, ac
velut

velut scelerum oppressam lethargo experge facturus horrendis terræ moribus succussit quibus accedebant formidandi tota insula mugitus. Nouem tantum dierum spatio, terra iis motibus trigiesies concussa, morrales immenso terrore obruit scribitque Berzeus ipso sanctissimæ Triadi sacro die cum esset in pulpitem conscensurus, tam sæuo impetu quassatam, vt siue terrore extremi exitij, seu Deo impulsore, palantes vociferarentur per compita, adeste fratres, audituri Apostolum (manet hoc nostris patribus illic nomen) adeste ab eo docendi cur nobis minas repentinæ cladis intentet Deus, & quæ cælum iratum placare nobis valeamus. Ad has, subdit is, voces conuolare confertim Christiani Ianiseri, Hebræi, Saraceni, Schismatici, Ethnici, sua quosque ipse pro Secta, & Religione admonere, de morum emendatione, & errorum, quoad in tanta eorum colluue poterat, magno tamen in omnibus meliorum prouentu

Et hinc initium factum est disputandi cum doctissimis Iudæorum. Ipsa enim diei ratio Berzeum adegerat vt de Trinitatis adorabili arcano diceret: fecit, ostenditque, tres personas, Deorum trium censi nomine non posse; quod falso hebræi nobis imponebant, prophetarum voces de promptis ex veteri Instrumento, & Simbola quibus ejus secreti ad quod cæcutiunt Iudæi & adumbratur vera intelligentia, & probatur vnus scilicet naturæ diuinæ simplicitas in tribus personis re ipsa distinctis; isti sunt nonnulli ea concione, qui se ortos ferebant ab quondam profugis ex seruitute Balylonis, sibi que plurimum doctrinæ arrogabant. His cum Berzeo libuit experiri, quid possent disputaudo. Horum primarij Rabbini duo, Iosephus & Salomon vterque ab suis præsertim Salomon pro oraculo audiri solitus. Vocatus ab his ad solenne epulum Berzeus, libenter promittit, obstante licet arcis Præfecto Manuele, amicisque dissuadentibus, ne proditorij venæni hæc occasio neceretur, obiuit tamen condictum Berzeus, ajens Deum nec sibi nec suæ defuturum causæ, & obiuit solus. Vt major esset aduersarijs libertas, opponendi quod vellent. Aderant complures, etiam saraceni, quos seu propria ratio, seu curiositas mouerat, sublati mensis ad arma venitur, decertatur à medio Die ad primam noctem; conferuntur Hebraici textus cum latinis, viri sancti mentem ea Deus accendit efficacitate in causæ suæ propugnationem, vt præter friuola vix quicquam Rabbini, vrgenti referrent, ipsique deinde sese inuoluerent inuicem; ac demum in peius, dilaberetur quisque ad absurda, velut ambo parum cerebro constarent. Tantum nihilominus veri lumen inde obortum Salomonis qui doctrinæ in ijs tenebat imperium vt manus dederit, professusque sit se suis optare vt quicumque vellent, ad Christum transirent. Sibi quidem jam fixum, Gaspari Berzeo educandum filium tradere, pro se verò Deum enixe precari, sibi vt cœperat copiosius affulgeret. Cæteri quos vinci pudebat, & vires deficiebant ad vincendum, confessionem imbecillitatis callide deuitant; aiunt imparatis multa eorum quæ objectabantur non satis liquere; petunt sua responsa

5.
Berzei cum
Rabinis di-
sputatio.

C in

in diem alterum differri. Verùm interea perfidi communi sententia decernunt. Se nunquam deinceps in arenam cum Berzeo venturos, audituros tantum, interroganti nihil responsuros, nempe quod Marte se nimium impari cum eo congredi sentirent. Iosephus ipsemet Rabbiorum alter Patrem adit, rogat per quicquid est, parcat in posterum suos turpi verecundia onerare præsertim publicè; sibi vero priuatim velit æquior esse ac mitior, vt quem habeat absequentem discipulum, quamvis alioqui longo vsu sacrorum codicum eximie tritum. Suorum non paucos sequè imprimis salutari fonte initiatum iri percipide, nisi obftet metus infimæ egestatis, quæ prorsus de malè partorum restitutione, subsecutura sit. Hæc ne vafre ab eo existimentur dicta, eadem, Christianis, mauris, suisque hebraeis non semel repetijt, sapientiam Berzei magnificè prædicans & soliditatem legis Christianæ, quod item Salomon, eò profitebatur exploratiùs, quò ex singulari, & crebra cum Berzeo disputatione, mutus semper, & victus exierat. Rogatus itaque ab suis discipulis, de Berzeo testatus est multis commissionibus tentasse se passim plurimos diuinorum magistros, & scripturarum interpretes, parem noui huius Ordinis hominibus probasse neminem, proin Malacæ Xauerio, Berzeo Ormuzij doctrinæ palmam coactum cedere, sibi que omnino persuasum, tantam supra humanam scientiam, Dei opus esse: his ab hoste apud suos præstanti, docto, pertinaci testimoniis luculentis creuit mirificè Berzeus, auctoritate & obseruantia, quam multo excelsior sanctimoniarum fama cumulabat. Rogabatur itaque ad mensam sæpius ab Iudæis diuina ex eo audire cupidis; nec abnuebat, modo non alij apponerentur cibi, quam quos soliti erant vulgò ponere Christiani, aduocabatur & in synagogas, vt ad populum diceret, iamque in spem venerat, legendum se ab iis interpretem veteris testamenti, quæ idcirco euentu caruit, quod ex multis ad Christum conuersis, veriti sint, ne synagoga fieret solitudo. Quæ illos etiam exciuit causa, vt vicinis circum ex vrbibus euocarent Rabbinos, quicumque excellissent scientiæ nomine, & cum Berzeo illos committerent, sed suggestit semper famulo suo Deus responsa quæ vincerent. Et quamvis esset ingenio potens, sed ab nonnullis iure creditum est, illam sapientiam ineluctabilem, aduersus peritissimos linguæ ritusque Indæici, non aliunde ipsi quam diuinitus adfuisse, nec studio partam, sed cælo affusam. Quod totum eius tempus, tot ministeriis & tam operosis occupatissimum, vix ipsi ad cibum interualla præberet aliqua nedum ad euoluendos libros; nec nobis constiterit cum hebraicas literas in Europa vel in India didicisse. Certo quidem censebant Lusitani diuino munere id ei collatum, magnoque applausu celebrabant; nec minor Iudæos admiratio subibat, cum loci vnus quæ sita expositione, depromi sibi capitis integri explanationem improuisam ab eo audirent, germaniorem multo, quam quibus longæui ipsorum doctores satisfacere solerent quærentibus. Augebant dictorum admirationem, scribentis lucubrationes; illa præcipuè quàm de angustissima Triade

de, Messiaëque aduentu edidit, eam referens concertationem quam cum duobus, quos dixi, Rabbini habuerat: hanc ego hic redderem, nisi eius prolixitas modum historiæ exiret; digna est enim omni luce, Theologorum argumentis egregè fulta, digesta perspicuo, aptoque ordine; cæterum eloquens & neruosa; ea tamen sui deiectione tam modesta & obseruantia in aduersarios tam grata, vt scriptoris virtutem representet, præclaro eius ingenio haud paulo clariorem. Iam etsi non paucis hebræorum Iudaicam exemit perfidiam, sed operæ meritum fructus satis maligne pensauit: eorum pars maxima, illo tanquam natiuæ obstinationis quo laborant durata callo, sequi lucem agnitam detrectauit. Aliis acerbum querentibus, nummorum millia quindecim lucris parta iniustis reddere; aliis patrias æmulantibus leges, & maiorum vestigiis ad mortem inharere; quibusdam stolidi suspensis expectatione, complurium è suis, qui iam triennium in monte Sion Messiam opperiebantur.

Longe alio Marte, sed gloriosius, cum Mauris pugnatum est, nec sine grauius Berzei periculis; pungebat illos peruagata in vulgus concionibus Berzei, sectæ suæ infamis turpitudine; fiebatque in dies vilior, & victi certâ persuasione quidam ab ea recesserât. Damnis ergo peioribus, & collabenti famæ obuiam ituri conueniunt; statuunt Berzeum prouocatione laceßere. Haud quidem ad disputandam causam (quod lex vetabat Mahometis.) Sed ad experimenti noui periculationem ex qua se victores euasuros putabant. Hujus delirij auctorem habuere quendam è suis Peripateticum, medicum & ex horoscopis conjectorem nominatissimum. Quem reuerentur sanctimoniam titulo, longissima inedia captato, hic nempe titulus inter mauros apothefi homines consecrat, etiam in viuis degentes; adsunt igitur prouocationis ad Berzeum interpretes. Aiunt secum ab eo periniquè agi, defensionis expertes impugnari. Mahumetem cauisse, ne quis nisi armata disputatione, de ipsius lege contenderet, vetari se aliter ejus argumenta quam ense ac telis retundere. His niti Alcorannum virilibus præsidijs, non lingua sceminea, & ventosa; ignorare ipsum aliud armorum genus præter stylum, & linguam (in quo tamen si tantum liberet non defuturos sibi quantocumque ingenio pares) proinde cum illo diuersis conditionibus agendum, quæ iure vtrinque accipi deberent: non longè Persidem Ormuzio abesse; illuc Berzeus, illuc Astrologus (qui hanc mouerat stropham se conferrent, in montem vterque secederent, sterilem, aqua, herbaque destitutum, concluderentur ambo eadem specu, & nocturna diurnaue custodia prohiberetur ad eos com meatu omnis escarius; qui viribus integris, & constanti vigore ferret in diutius, cælo iudice victor haberetur; fallax alter, & quam profitebatur mendax, & falsa lex. Huic nempe commento, Maurus altrui volebat veram, & indubitam de religione sententiam; hic rependam est animo, Berzeum cum à Xauerio Ormuzium missus est, obedientiæ seuerissimo præcepto vetitum, ante triennium illa insula exi-

6.
Disputatio-
nes aduersus
Mauros.

re, interea verò se ex Iaponia quo tunc proficiscebatur fururum redire. Metuerat sanctus ne periret vir tantus Orienti, vbi eius vnus opera multorum laboribus præstabat, ac nisi angustiis insulæ inhiberetur eius ardor, erupturum cernebat martyrij ambitu (quo se toties vehementer vri testabatur) in Persarum, & Arabum Mediterranea, non dissimili euentu ab eo quem nactus fuerat è S. Francisci familia vir religiosus, ante paucos menses cum aliquot sociis, Maurorum iaculis confossus. Hinc primum absurda maurorum prouocationi responderet Berzeus, vt nefas ducebant legem suam disputationi committere, ita nec per eos à quibus pendeat fas esse sibi transire in Persidem, ad obeunda in monte ieiunia. Deinde hoc vt vltro liceret, fore tamen ineptum, & deridiculum, naturæ iudicio diuina permittere, & religionis summam ac meritum ex famis tolerantia, & ventris arbitrio metiri. Miraculo quidem diuinæ virtutis si quo esset hic opus, non dubitaturum de certa victoria, Deo id facile concessuro; sed vltra naturam, veritatis indicia temerè indagari, vbi naturæ insita ratio interpres veri, & litis arbitra perspicuè illa exhiberet. Verum enimvero, ipsos propterea disputationem refugere, ne apertis per eam oculis rationis luce, compellerentur ea inspicere, quæ nollent amplecti, & deliberata ignorantia, veritatis occursum vitarent, ab cuius moribus abhorrebant. Fuisse nimirum versipilem hanc artem Mahometis cum fabricatam ab se legem in controuersiam vocari timuit, probè gnarus, illam legem quadrupedem sapere, illius arcana omnia ex sensuum cæno, & belluinis illecebris concreta, belluinum ritum religiosè professuros, interdicendos fuisse rationis vsu, & recti iudicio disputationibus quærendo. Frustra his tentabat vir Dei homines animales ad defensionem insanæ legis accingere, vt ex argumentorum pugna lumen ijs aliquod veri probique emicaret. Muti ad hæc abscedunt, sed plaudunt sibi magnificè, quasi repudiante probationem ieiunij Berzeo, suam ipsi causam pro lege vicissent. At enim paulò post sua in Berzeum rediit gloria, sua ignominia in Mauros, nihil tale suspicatos, mirisq; extra omnem opinionem modis.

7.
Disputatio
Berzei pu-
blica cum
Mahomera-
no Philoso-
pho;

Duxerat, quem notauit Peripateticus Astrologus vxorem è stirpe zaidis progeneratam, qui recta serie ad Mahometem pertinebat; ex ea filiam habebat nubilem; vtramque Berzeo concionante per compita, vel afflasset aliquid de Christi doctrina, vel interior instinctus diuini spiritus suo magisterio docuisset, desiderium ingens cepit religionis Christianæ; quod in secretis, vt fit, ipsarum colloquiis paulatim mutuo erupit: rei peragenda dum vias inuicem meditantur, statuunt denique ad Berzeum quàm occultissimè fugere, nec multo post de media nocte clam se domo subducunt, & facultatibus omnibus, hoc est quater mille aureis annuis, seque sacro tingendas baptismate Berzeo sistunt, qui mox fido, notæque probitatis Lusitano, tam cari pignoris mandata custodia, ad sustinendos Maurorum insultus animum comparat, mariti potissimum, apud Regulum præpotentis, imperij Persici beneficiarium.

Cognita.

Cognita sub lucem feminarum fuga, earumque receptu callidè deprehenso, nec iam dubij quid eæ molirentur nihil propius abfuit, quam ut ad eas retrahendas in arma populum cierent, fecissentque planè nisi obstitisset Lusitanorum metus. Accurrit nihilominus ad Berzeum maritus & multis acerbisque querimoniis, minas inter, & preces, uxorem, & filiam repetit. Satisfactionem opponit Berzeus, nullius suasu feminas, multo minus dolo ad Christi fidem per se ultro venisse; si ultro quoque, ac per se liberet ab ea resilire, fore iis promptum, & integrum, at hoc prius nequaquam facturas, quàm iis certò fieret exploratum, veram esse ac probam Mahometi legem, Christianorum vero falsam. Disputando illas sibi asslereret. Optaret pro arbitrio quem mallet commilitonem eius pugnæ; defensionem Alcoranni valenter accingeret sese; remansuras, tranquillè penes eum qui vinceret feminas, quas & oportebat disputationi interesse, aliàs omnem reditus illarum cogitationem deponeret: arctatus conditionibus his Maurus, honoris, & propinquitatis rationes, religioni suæ præfert, accipit quod deferebatur de loco, tempore, ac modo condicit, præstiturus conuenta Maurorum septus numero se sistit. Adest parte alia Berzeus cum vrbis Vicario, Lusitanis, & feminis duabus quarum salus, in pugnæ præmium vertebatur, arenam præbet, aula amplissima; hinc Mauri confederant, hinc nostri præter Iudæorum, & ethnicorum plebem, ad rei exitum curiosè suspensam, cum pacto duplici pars sibi vtraque mutuo præcauit. Primum si clarè adeò Berzeus demonstrasset legis mauricæ falsitatem, & veritatem solidam Christiæ, ut aduersario nihil obijciendum superesset; vxore & filia placidè idem aduersarius cederet, cumque ijs ipsemet sacro fonte initiaretur; sin autem; illas sibi haberet; & de victo Berzeo victor ipse pro arbitrato suo statueret. Alterum, successum huius certaminis; ne cui tunc, vel vnquam in posterum liceret in dubium vocare; quæ proponerentur manu publici scribæ exciperentur sigillatim, cum datis ad ea responsis, & quidquid foret vtriusque concessum vel argumentationibus euctum. Hoc paratu, initium pugnæ fit linguam vtriusque ministrante Garzia de Penna Lusitano, interprete Regio, & scientissimo idiomatis Persici. Arrigebat omnium animos atque aures par nobile hominum scientiæ nomine toto regno summè illustrium, & causæ grauitas, quam sua quisque pro parte tuendam, evertendamque susceperat: sed hoc silentium breui Maurorum submurmuratio miscuit: eorum patronus, augustissimam Triadem ante omnia impugnare admotus, nondum à limine longius aberat cum sermonis sui firmamenta manifesti sensit erroris argui. Post etsi hoc inexplicabile arcanum apud illos qui sacris paginis fidem negant, probari aliter non possit nisi hoc solum asserendo, posse id ita re ipsa esse, nec vlla ex parte impossibile censendum, tam multa tamen philosophatus est Berzeus (ut in commentariis eius legi) de suis ipsius communicatione infinita, infiniti boni tam propria, ut extra illud diffundi non valeat, sed intelligendo, & amando intra illud fieri

fieri sit necesse; ut paulatim Maurus Trinitatem in Deo fateretur; neque flexit hic metam Berzeus. Ex defensore actor, & ab natura orsus felicitatis veræ quæ posset hominem beare, anima præditum immortalis, nec ullis explebili caducis bonis, ad Mahometi delapsus paradysum, eius formam, & modum, & deformes, lutulentasque voluptates, vnus sensuum aptas cœnosis illecebris, sic descripsit, ut adornaturus bestiis felicitatis sedem, non videretur posse diuersam ab ea condere, quam suis excogitauerat Mahometus. Ad extremum aniles Alcoranni fabellas, & pugnantes eiusdem sententias, aceruatim citans, & prolixè enarrans, eò Maurum denique adegit, ut concederet legem suam, nullo probabili veritatis fundamento niti. Quem scitè Berzeus, haud procul abesse admonens ut se profiteretur Christianum, iussit promissorum non esse immemorem. Verum is suorum contra se fremitu, & minacibus oculis territatus tantisper vafritiem colligit, vergentisque in noctem diei captato effugio, ad redimendum suorum pudorem, & aduersarium prementem, differri se petit in diem proximum, consulturum se accuratius libros suos, quod disputatio nimis improuisa facere vertuisset, post quæ assurgens è conspectu abscedit. At perfidiosus nec potens sua defendere, nec volens amplecti Christiana, fugam instruebat, non dilationem; eo ipso priusquam noctesceret die, lembo celerrimo in continentem se proripit, divertitque ad regulum, Persarum Regis beneficiarium. Diu postridiè ad vadimonium frustra expectatus, frustra vrbe tota requisitus, magnam suis ex vulgata fuga verecundiæ maculam, magnum Christianis & decus, & plausum reliquit; hinc etiam vxor, & filia, multo quàm ante constantius in proposito fidei stabilitæ, ac de iis quæ adhuc nescierant, edoctæ; post dies aliquot expiantur diuino fonte; mater in nominalibus Maria vocatur, filia Catharina, circumducuntur solenni pompa, comitatuque per frequentissima vrbs loca, prosequente illas festis acclamationibus populo, Deumque celebrante, cum insigni Mahometis probro, Mauros variè affecit, varia tùm sui huius Astrologi, tùm duarum mulierum iactura. Multi Mahometo nuntium remittunt, à quo nec ille quem pro oraculo audiebant, falsitatis notam valeret defendere: multi quotidie, Christi lauacro abluuntur, erantque futuri multo plures, nisi à profugo venissent literæ quæ illorum animos subuerterunt. Nam à Regulo Laræ perhonorificè habitus, cum fugæ causam suo rubore indicasset, obiurgatus est ab eo acriter, quod non dubitasset manus cum malefico conferre, cui esset solenne homines dementare, ac nequando in idem recideret, dromedariis impositum, ad Imperatorem Persarum transmisit. Sed antequam in viam se daret, ex Larensi aula, superstitutionis suæ primipilos hac epistola conuenit. [Cauerent sibi tum ipsum populus, à fraudalento illo Calcige Lusitano, flagitiis quidem omnibus referto, sed ante omnia potenti necromante ad mouendos cerebro mortales, & obligandos sibi philtro magico eorum animos ad quos solanus æris cantati pertingeret quo per vrbs vicos ad se audiendum pueros conuoca

conuocabat. Aures sono illi obstruerent, multoque religiosus, cuiuslibet ipsius de lege vel contentioni, vel sermone; ac si tantum valeret, Ormuzio quoque illum eijcerent. Occultis enim maleficæ viribus, obtinerari ab eo ingenia, & linguas moueri, expediri que in voces, loquentis sententiæ prorsus oppositas, hoc sibi ab Laræ Regulo confirmatum, qui se aiebat ab integerrimis testibus habere. Se vero jam intelligere, quod ante, suspicantem licet, malè latuerat, cur illo nimirum infauso conflictu compelleretur ea concedere quæ nisi maligno coactus spiritu, effutisset nunquam, cum planè contraria sentiret: utcumque tamen res tunc sibi fuissent, nunc certè cerebro, per longinquitatem locorum restituito, illorum palinodiam canere, & cassa velle quæcumque dixisset. Vxori & filiæ hæc significarent, quæ si ad mentem pœnitentes redissent, eas sui nonnullo intuitu, ne grauarentur benigne excipere, & cum fido custodum præsidio Babilonem ad se destinare. Perlectæ in fanis & cæti- bus Maurorum hæc literæ, fidem sui popello fecere non modicam; prudentes, & cordati viri qui disputantes audierant, confictam à Mauro fabulam putauere ad eluendam notam contracti dedecoris, nec ipsum alio carmine incantatum, ad confessionem veri descendisse præterquam vi valida doctorum rationum. Berzeum plebecula maleficum credidit, cœpitque occursum, accessus, contactum, etiam vestium, & oculos vitate, ne quo inde fascino læderetur, & exeunte in publicum, ut tintinnabulo ad Christi doctrinam pueros, & mancipia cogeret, aures obstruere, ne inuadente cerebrum magico illo sono, mente caperentur, procurrerent- que ad Christiana sacra vel inuiti.

Sed hæc stolidi vulgi deliria Principem feminam & sapientia præstan- tem nihil mouere ab eo quod moliebatur, quodque haustum ex concio- nibus Berzei, seu potius allocutione tacita diuini spiritus versabat ani- mo, de eiuranda Mahometi secta: erat hæc vnus ex Arabia desertæ Re- gulis, & Mechæ præfecti ex fratre filia; legato nupserat imperatoris Persarum Satamæ, magnos spiritus gerebat, & de Mahometi prognata sanguine, verrendo eius Mechæ fano jam olim ab teneris fuerat desig- nata, quod nisi virginibus sanctitate ac genere claris non tribuebatur, exemplum igitur duarum de quibus narrauimus secuta, clam familia, & marito ad Berzeum adit, baptismum poscit, docetur ab eo Christiana mysteria, quæ interea dum discit viduæ nobili lusitanæ, in contubernium, curamque traditur; maritus ad hæc velut furij agitur, Berzeo, & gen- ti lusitanorum vniersæ funesta omnia minatur, quæ ut vidit irrita jacta- ri vindicta, irisque tumidus, magnis itineribus Babylonem, ad Satamam contendit, lusitanorum accusat perfidiam, à quibus Ciauli multis num- morum millibus fraudatus, recens quoque vxore per quendam illorum veneficum orbaretur; regem Ormuzij vel eorum metu, vel occulto as- sensu impunè hæc pati. Se ergo ipsius supremum tribunal appellare, dextramque honoris vindicem contra gentium iura in legato ipsius, in- genti dedecore violati. Nihil erat pronius quam ut in quamlibet atro- cissimam

8.
Principis
feminæ à
Mahomete
ad Christum
conuersio.

cissimam vindictam præcipitaret consilia Satamas, ne leuibus quidem offensiunculis parcere assuetus. Quippe homo superba infans barbarie & pro Deo se gerens, dicique amans Satamas Magnus, cœli nempe ac terræ firmamentum. Quare illi timiditas Casçigum adulabatur indignis obsequijs, decantabat illum tanquam numen, asseruabat autem vasis pedum colluniam, & consecratam eorum tactu aquam illam tribuebatur in vulgus aduersus omnia morborum genera: suam itaque ratus ministri sui iniuriam Satamas, vlturum se jurat, cumque in aula tunc haberet Henricum Mancedum quem Indiæ prorex inuitarat ad pacis fœdera cum Persis nectenda, hunc ante omnia Abenchæ Regulo Niramensi, mandat arcta custodia teneri; eidemque indici ad Aluarum Noroniam scriberet, Manuelis Limæ in Ormuziensi Præfectura successorem, aut raptam legato vxorem restituat, aut bellum paret, simul confines Ormuzio Regulos vectigales suos, jubet esse in armis, & detrectantibus imperata Lusitanis, vastitatem Regno latè inferre, tum junctis copijs urbem obsidere, captam solo æquare. Mancedus cui tunc aliud venire in mentem non poterat, per Antonium Mendes Oliuieram, Persæ minas, & petitionem ad Noroniam & Berzeum simpliciter, ac nudè perscribit, nec rogans, nec censens fieri, quod nequaquam fas esset, nec vero deberet ex Lusitanorum Christiana virtute expectari. Absque mora in consilium itur, adsunt militiae præfecti, acciturque inter eos Berzeus, qui suo loco rogatus sententiam, *Nolite, inquit, sanctum dare canibus, nec tradatis bestijs animas consistentes Deo.* Pertexensque ab hoc scripturæ oraculo suam mentem efferre, tantam vim omnibus sanctissimæ suæ sententiæ impressit, vt rem integrè perorarit, extiteritque totius consilij vna vox Dei causam hanc esse, ad futurum eius defensionem Deum, ac si foret in eam vita cum sanguine conferenda non ægrè collaturos. Verum opus tanto molimine haud fuit, dum responsum moratur, Lusitanorum prudens cunctatio regum Dominus Satamam mitigauit, deferbuere mandata denuntiati belli, libertati redditur, Mancedus & pace cuius gratia venerat ex voto confecta remittitur. Secutum exinde grandi apparatu feminæ Principis baptisima, eiusque natalibus non impar coniugium progressus vero in omni virtutum genere, qui raro exemplo Christianos illic tum antiquos, tum recentiores mirè afficeret quanquam autem ambigi non possit, feminarum illustrium triplex hæc ad Christum conuersio, quin potentissimo Dei natu peracta sit, enis tamen impulsus indicia, cum nulla disertè Berzeus expresserit, placet hic illa relegere ex eius ad nostros Conimbricam literis, quibus siue istarum, seu similibus quæ in dies fiebant mutationum causas significans, [Hos, inquit, ad baptismum accessus faciunt plerumque, miracula & monstrata, dataque cœlitus monita, vsque hodie tam crebra vt impar sim ijs referendis. Alijs virgo mater spectandam se præbet, alijs ipse Christus; vocantur ad fidem nocturnis vocibus nonnulli, & videtur diuina bonitas ab impuro grege Mahometis suos secernere, & in caulas suas deducere] sic ipse, nolque

nosque inferius eiusmodi aliquid singulare, aptiori loco referemus.

Nunc Deo magnis ad fidem accessionibus serui sui conatus beante, subijt illum spes magnificentior, fundendi latius in longinqua boni, quod Ormuzio perperam ardebat, sed vetitus inde pedem ferre, vicarias sui ad reges longè semotos dat literas, ardentè ijs supplicans, & obtestans ne pigeret de suis, quot & quales placeret sectarum suarum doctissimos, destinare Ormuzium, se Deo confisum, terrarum, & cœli vnicò Domino, quem solum adorant Christiani, palam ijs evidentissimè facturum, quantis erroribus, procul à vero, bonoque deuiarent, seque æterno exitio perditum ruerent. Hoc eius vel inuitamentum, vel pro-uocatio ad Sultanum perlara Babyloniorum, deinceps ad Imperatorem Æthiopum, etsi fructus non tulit tanta dignos generositate, sed eius doctrinæ sanctitatique admiratio id alibi egit quod in Perside, & Æthiopia non obtinuerat. Ora est felicitatis Arabiæ Amanî nomine, hæc ab duplici Mozandani, & Rasalgatis cornu, Persico freto prætenditur, in cuius faucibus Ormuzium fiximus; vrbibus quatuor clarebat ea ora, quas suis primas venænis infamibus fœdatat Mahometes, multis proinde iam seculis plane illi addictas. Illic tamen eorum admirabilitas, quæ Ormuzij patrabat Berzeus, & quæ ab Lobato Lusitano vestigalis regij coactore de illo spargebantur, tam ardens exciuit tanti magistri desiderium vt legatos ad illum publicè mitterent, rogarentque illo se conferret ad tradendam ipsis religionem Christianam, quam se tam sanctè complexuros spondebant, vt suæ huius fidei pignus, & obsides legatos duos darent, quos petebant ab eo doceri & aquis salutaribus lustrari. Est qui putet hos esse Scripturæ Ammonitas; de stirpe Lothi propagatos, vt vt sit gens est belliciosa, & ingenio simplici, ac fideli, in qua possent securè spes boni exitus locari, si transire ad illos Berzeo licuisset; huic melior victimis Obedientia obstitit, legatos excepit, & communi amplexu populos à quibus mittebantur cum ijs gratulabundus strinxit, ritè vero diuinis imbutos mysterijs, cœlesti aqua lauit. Denique suo cum ingenti dolore remisit ad suos excusans non esse in sua potestate cum ijs quod summè auebat proficisci: sustinerent parumper & in eo quod sui dederant experimento egregio starent immobiles: non diu fore, cum ipse ad eos proficisceretur aut si quo imperio vetaretur, de suis aliquos mitteret, à quibus viam beatæ salutis discerent: at horum neutrum, ratum habuit Deus cuius menti humanæ, de æterna salute destinatum consilium semper est impenetrabile, quos ad hoc formarat quinque discipulos, & diuina præceteris edoctos in Societatem adlegerat, mors illi abstulit præmatura; quas in Iaponiam dederat ad Xauerium literas, petens sibi egressum ex insula, solutum, & integrum relinqui, quod intercidiissent in itinere responso caruere. Romæ ergo (quod vnum restare videbatur) Ignatum; Vlyssipone Rodericum, nostros Conimbricæ sollicitabat per literas, illos vt mitterent; hos vt subsidio venirent tot miseris, quos penuria Evangelicæ culturæ, salutis exsortes faciebat. [Ferte opem (scribebat ad

9.
Vrbes 4. Ma-
humetano-
rum, baptis-
mum à Ber-
zeo petunt.

Conimbricenses) & venite, hic melle sanctarum voluptatum campi vbertim fluunt, quas ægrè stillatim vestris inclusi cubiculis, degustatis. Nec vos moretur fortè angustior quam velletis literarum supellex, nihilo secius adeste. Doctorem hic habemus magnum, diuinum Spiritum, eius magisterio plura tùm citiùs, tùm penitiùs discimus, quàm istic primis in exedris à Theologis doceantur, qui tempus rebus versandis conterunt, nulli prorsus hic vsui futuris.] Hæc & his similia etiam alias, ad illos, eadem secum animarum cupiditate inflammandos.

10.
Belgæ ad-
lesc. Marty-
rium.

Iam illa tot vrbes peruagata Berzei existimatio, & prædicatio excellentium operum in Dei gloriam, & mortalium salutem quid magni pareret, vnum præterea quod atexto monstrabit. Fuit Ioannes cognomento Belga Mercatore honesto & opulento natus, quanto primùm improbius, & infelicius iuuenis; tanto demum Berzei meritis, opeque beator. Hunc seu cupido effrænis licentiæ, seu fastidium commoditatis domesticæ clam parentibus abreptum, quæ fors, & temeritas pelleret in diuersa diu tulit. Post varia longaque itinera, Catifam denique appulit, vbi errandi satur, & necessariis ad victum egens, nedum ad patriam repetendam, subsidium legit egestate illa execrabilius; erat ea vrbs cum arce sub imperio Turcarum, ad mare in ora felicis Arabiæ, intra Persicum sinum iacens, milliaribus supra Ormuzium trecentis, illic miser fidem Christo renunciat, Mahometo dat nomen, Maurum profitetur. Maurum annos iam decem vixerat, libratores agens machinarum muralium, cum audit illic magna fama narrari, de Apostolico nouæ cuiusdam familiæ viro, qui magno numero ad sanctum baptisma Mahumetanos perduceret. Hic vero ad mentem reuersus, apertisque in veterem suam perfidiam oculis eò tunc sibi probrosius insultantem, quò se vnum ex Christiano Maurum, tam multis componebat ex Mauro Christianis, flere, lamentarique suam sortem, & corroborante animum Deo, mali sui exitum fortiter meditari. Naui illinc trans fretum itura petebat Ormuzium. Dat per eam literas ad Berzeum, diluto tormentarij pulueris, (quia deerat atramentum) Latinè Gallicè, & Belgice scriptas, ignorans videlicet Berzei linguam, & patriam. [Narrabat illi suas interiores miseras, conscientiæ dolorem, fiduciam animi ad se reuocati. Postquam de illo inaudisset; rogabat de suo proposito securos facere Lusitanos, sibi fixum ratumque cum Deo, & cum Ecclesia redire in gratiam & fugam vitæ periculo emere, vt se prorsus illius manibus, & arbitrio crederet, paratus ad omnem quamlibet acerba, imperaretur pœnam.] sparsit lacrimis suis epistolam Berzeus, idem lingua triplici repentem, & in ea profugum filium Deo sistens, pro resipiscentis reditu preces fudit; arrectusque ad primum quod Catifam iret nauigium, respondit. [Fide sua iubens, esse de Lusitanorum gratia & auxilio securum. Confans esset, in forti proposito quo salus ipsius vertebatur; moras abscederet, & quantocyus, sed occultè cautèque properaret. Se passis brachijs illum operiri, communioni Sanctorum reddendum habendumque deinceps

deinceps pro filio.] Sed enim Deus pœnitundine vulgari aliquid ab eo
 poscebat sublimius; prodicione meditata, vel tabellarij imprudentia in-
 certum, venit Berzei epistola in præfecti manus qui arci præerat. Is fu-
 rore amês, extemplo Ioannem listi iubet, adductum præruptè interrogat,
 qua lege stet Mahometis an Christi? conspicatus Ioannes quod res erat,
 nec ore nec animo mutatus intrepidè ait, à Christo se stare, Dei mise-
 rentis profusa gratia qui se propitiis intuitus oculis, sero licet, aliquan-
 do tamen sui conscium erroris fecisset: cœterùm promissis, & minis par-
 cerent, frustra fore vtrumque ad reuellendam sibi ex animo fidem, quam
 semel pessimè deserat, clementer nunc recuperasset, nunquam in per-
 petuum fallendam, paratum se saltem in ea occumbere, si minus dare-
 tur in ea viuere; grandi sibi futurum lucro, si annos decem quos ritu
 Maurorum, turpiter exegisset, suo sanguine expiaret. Hæc vti contem-
 ptim aduersus Mahometem, sic honorificè in Christum dicta, ita ho-
 minem extra se egerunt, vt ægrè abstinerit ab illo manus, dedit tamen
 aliis frustratim laniandum, mutilandumque ad necem lento cruciatu;
 caput hastæ præfixum ad terroris ostentum in propugnaculi edito lo-
 catur; at suam illi condignam coronam cœlum reposuit, & iustam barba-
 ris à quibus rescissum fuerat, mercedem. Menses abierant non multi,
 cum ecce tibi ex India Antonius Noronia cum selecta manu bis mille
 armatorum, à Berzeo haud fanè ad prædam egregiè animata, verum ad
 frangendam Maurorum superbiam, & vires deprimendas. Bimestre Or-
 muzij hæserant necessariis instaurandis, & oram secuti Arabia in sinu
 nauigabant, cum Noronia incidit, Catifæ arcem ante omnia tentare.
 Cœlo itaque fauente, nec dubitarim etiam Ioanne inde opem ferente,
 urbem primo impetu captam, diripiendam militibus dedit; deinceps multa
 cum Maurorum strage, arcem quoque in suam redegit potestatem, vbi
 dum Præfecti scrutantur gazam, Berzei comparat ad Ioannem
 Belgam epistola, & dum curiosius scire auent quis ille, & vbinam
 Ioannes? ipsismet ex Mauris comperiunt quicquid de illo hæctenus
 retuli, eiusque adeo caput illud esse quod conspicuum in hasta emi-
 nebat. Quare ex probroso sublatum situ, & religiosa veneratio-
 ne serico inuolutum, donum Berzeo retulerunt, isque multo populi
 concursu festo Hymnorum, & Psalmorum cantu ei extra urbem occur-
 rit, triumphis specie haud minus læta, quam Noronia reditu de Catifa
 victoris, & triumphantis. Sequamur nunc à Berzeo, Mahumetanos in-
 ter Ormuzij gestis, ex eo narrandis, quod ipsemet Xauerij iussu ad S.
 Ignatium, ad socios in Indiam, & Conimbricenses nostros in Lusitaniam
 scribebat, ex quibus etiam literis, quæcumque de ipso refero habentur.

Dicebat ad populum die quodam maioris ieiunij, cum adest sub me-
 diam concionem ab Rege nuncius à quo accersebatur, omisso in aliud
 tempus quod supererat sermonis aduolat. Exceptus à Rege in frequen-
 ti suorum splendidaque aula, post humanissimæ comitatis prima collo-
 qua, seducitur in interius conclaue, cum interprete regio Garcia de

11.

Rex Ormu-
 zien. violen-
 ter à suis im-
 peditur ne
 fiat Christia-
 nus.

Penna; illic diu nequicquam multumque reluctantem cogit Rex suo in throno consistere, ipse de genibus prehensa reuerenter ad osculum manu, in subsellio resedit. Inde suam illi mentem aperire, Decretum sibi esse Mahomete excusso, Christi legem amplecti, se quidem in Persa philosopho aliisque ritus Maurici propugnatoribus superatum fateri; absentem licet, sed certò ex iis qui aderant comperisse illorum rationes quam essent infirmæ, ac debiles; quò minus tunc statim Christiano lauacro initiaretur, Christumque profiteretur palam, obstare suspectam suorum fidem, vereri ne urbem perduellione fuscæque verterent, aut se venenis de medio tollerent, aut seditione repentina regno expellerent; præuertenda sibi hæc esse pericula; deuincienda regni primaria capita; habenda in promptu in omnes euentus externa præsidia, ne intestina vis, vt vellet maxime, mouere quicquam posset. Ad hæc perfulsus incomparabili gaudio Berzeus, actis Deo tam magnificæ spei ingentibus gratiis, Regem in cœpto confirmare; nihil esse quod sibi metueret, adfuturum consiliis, quorum auctor esset, & arbiter, Deum. Ad parandos vero suorum animos, vt se præberent exemplo Principis, & proposito dociles, nihil se tunc commodius cernere, quàm si publicam in aula regis præsentia disputationem indiceret, cui interessent Mahometis doctores præcipui: ad præmuniendum autem regni statum aduersus Principum, & populi motus, nihil præsentius, quàm si Proregis Indiarum ad manum forent auxilia, seque ad illum super iis, daturum literas cum naues abirent, quæ sexto quoque mense Goam vela facere consuescent. Rem totam interea inuolabili silentio premeret, & cum Deo communicaret solo, ad exposcendam intimis precibus eius opem. Verum de hoc arcano, condititque mortalium nemini cognitis, dæmonis opera putatur factum, disturbare illa funditus satagentis, non modo vt palam fierent, sed breui, quo pacto ignoratur, ybique Rex audiret Christianus, notareturque lustricus eius dies quo cum Berzeo, priuatim, & secreto egisset, tunc enim fuisse ab illo baptizatum: & quidem hinc varia procerum, & ciuium studia, sed ferme regiis consona, & gratulabunda. Cum enim Berzeus, concionando, disputando, & mira edendo, hominum animos subegisset ad sementem diuinam Christianæ legis, vbi fama vulgauit, iam à Rege susceptam, credi vix potest quantis lætitiis, quam multos affecerit, scribitque Berzeus, viginti Maurorum millia in procinctu steterisse vt quo die Rex sacrum fontem iniret, ipsi eodem lustrarentur, & eorum complures, iam sibi & lustricos Patres, & nomina, legisse, quibus vellent vocari, postquam forent adscripti Christianis. Sed numerosa hæc tam multorum, & tam propensa consensio paucorum dissensu euerfa est, potentiorum fatcor, sed quinque solummodo capitum. Hi quæ erat rex imparatior, machinam obuertunt quam norant omnium maxime in eum validam. Regis adeunt matrem, ambitionem animum, persuadentque regnum in præcipiti pendere, certoque iuiturum nisi quantocyus, in saniora consilia filium verteret. Nec Pet-

sam

fam, nec vicinos reges, suarum æmulos & ditionum, & sectarum, unquam commissuros, domus suæ patentem aditum, Ormuzium scilicet, penes hominem esse, religioni suæ, & rationibus infensum. Hi si coniurassent aduersus insulam, vt erant absque dubio facturi; eamque infestis classibus stringerent, duraturam videlicet sub obsidione diuturna, quæ nec demensum vnus diei progigneret? Lusitanos vt quàm celerimè suppetias ferrent, sed adeo impares numero, fore nempe viribus satis pares; atque vt tales sint, ac vincant, quis urbem, & regnum, cui tot annos inhiarunt, iis abstulerit? quod meriti nomine arce imposita, velut manu altera iniecta iam tenent: nihil se de contemptu religionis auitæ dicere, qua regnum tot sæculis stetit, tot reges floruisse, totus prope oriens viueret. Decuisse nimirum vt Ormuzij Rex sapientiæ facem præferret vniuersis, doctorem ageret, legem ferret, orbem nouis ritibus instauraret? Idque scelerosi hominis maleficio fascinatus, cuius etiamtum latebat ortus, nec aduentus causa potuisset satis liquido deprehendi. Hac gemina peste superstitionis, & regni occupata mulier, velut furiis duabus Regem filium adit, tumultuatur, dolet; rationibus preces & lacrimas; maternæ potestati minas, & imperia permiscet. Ac ne quid scelerum deesset ad miserum Principem à proposito dimouendum, succedunt anui exeunti, quinque illa Regiæ carcinomata, inculcatique ab Regina dictis, tot & talia minantur, de populo, & finitimis regibus ad eius expulsionem proritandis, (& vero iam Babilonium, & Arabes tentarant) vt timori Rex tandem cederet, fractusque sponderet, se nihil vltius moturum quàm quod suo ipsi assensu probauissent. Quantum ingemuerit his malis Berzeus, lacrimarum vim quantam coram Deo profuderit difficile dictu est. [Cum viderem, ait ad Ignatium scribens, pretiosam prædam euelli mihi de manibus, qua sola eram in reliquam vitam affatim ditandus, acerbissimum cepi animo dolorem, retulique hoc nefas in grauitatem meorum criminum, quæ tam graui pœna plecterentur, quanquam huius doloris angit etiam me dolor, metuentem ne forte cœnosa ex scaturigine latentis superbiæ oriatur; quasi meo labori pretium debererur, quod vnus Dei est operæ, iustè sanctæque omnia moderantis, etsi autem me diuina bonitas videtur consolari, nouis in dies ad Christi fidem accessionibus, sed hæret lateri vulnus sæuum, & funesti casus amara memoria.] Volabat interea per omnes Provincias, de Rege Ormuzij ad Christum conuerso anceps rumor. Misit Rex quidam Saraffus nomine, Caseigum suorum è numero primarios Alcoranni magistros, atque interpretes, & testes eorum peritiæ literas quibus affirmabat, nisi eos audire grauaretur, reuocatuos illum ab errore ad mentem; eos ab se si pelleret vltro ipsos Mahumetis causa appetituos mortem, quorum neutrum ab ijs præstitum est. Rex Ormuzij per certos homines, saxis illos accessu arcuit; ipsique vt vident duriuscula comitate sibi obuiam ventum, effusa fuga lapidationem; nedum mortem vitarunt. Etsi enim Regem metus perculerat, sed lingua

tenus; abiectumque ore suscipiendi baptismi decretum, altè animo, votisque retinebat; haud quidem verè Christianus, sed multo minus Maurus: atque vtinam Berzeo datum esset conuenire illum, & alloqui; verum etsi rex ipse id magnopere cuperet, & Berzeus vndeque tentaret, vtriusque conatus elusit custodia, qua palatij aditus Regis mater, acri, fortique munierat; ne si aiebat, magus ille, intro subierit, repetitis carminibus Regem denuo incanter.

12.
Tempestas
in Berzeum
& Saracenis,
cuiusque vi-
ctoria.

Quòd ergo aliud deinceps afflictissimo Berzeo præter diuinum subsidium non restaret; ei cœlitus impetrando supplicationes Christianorum instituit. In ijs interdum quinquaginta, plures aliquando, voluntaria flagellatione, magnisque vocibus diuinam clementiam implorabant, non modo vt Regis vetera desideria secundaret; sed matris Reginae sauitiam, & illorum quinque Mahometismi principum frænaret, qua Christiani dire vexabantur. Primo enim iuratò contra illos statutum fuerat ne quis sineretur à Mahometo ad Christum migrare, deinde vt est in vtramque partem vulgus versatile, incensum est aduersus Berzeum falsis rumoribus, compertorum tandem certis argumentis ipsius maleficiorum, quibus fascinantur quoscumque voluisset. His reuerentia Berzei in contemptum & execrationem commutata, beatiorem se quisque credere, quo esset in illum deterior; crebro cum suis supplican-tem, lapidibus petere, quibus quo minus interiret per plebem non stetit. Mahometo deferre, quod is Christi honori deferrebat; vociferari inconditè Deum vnum, & solum, ad exprobrandam Christianis Deorum trium adorationem. Ad hæc irrisiones sacrilegæ, conuitia, iniuriæ, contumeliæ in Christum, quam multas insanum odium & adulatio procerum valebat comminisci, quibus ad hoc stolida, & demens plebecula, venales pecania, linguas, & petulantiam commodabat. Quæ lentatè diu patientiæ ardore Berzeus cum sustinuisset, videretque malum ferendo crescere, suo & ipse iure, igneque accingitur, inhibiturus præsentis remedio rabiem hostium ne porro lethaliùs serperet. Erat proximo in colle Mahometis fanum aliquantò superius angusta eremo quam traductus, vt post narrabitur, ad fidem Bracmanes Berzeo donarat, futuri nobis vel pignus, vel omen Collegij. Euadebat illuc Maurorum quotidie columnies plurima, & vefanis ad rauim clamoribus sanctam Cruem & Christum impiè conspurcabat. Nefas credidit Berzeus, sacrilegij insolentis licentiam impunè diutius tolerare. Crucem iubet compingi grandem, duorum humeros non facili pondere pressuram, sub serum diei procedentium instructo agmine versus eum locum portandam curat, vbi soliti erant barbari tanta petulantia debacchari; illic in medio defixam fano, adactis alte ad radicem saxi ita firmat, vt refigi nisi magno labore, & longo non posset. Hanc Mauri postridie vt procul vident, inexplicabili insania, deierare, quæri, ora vnguibus laniare, exostulare fletibus apud Mahometem, quod eam de cœlo iniuriam spectaret lentus, & inultus denique tum fanum, velut profanatum, & exauguratum deferere

ferere, tum quædam alia in vrbs sita ditione, quæ in pia facella religiose aprarunt Christiani, atque illud imprimis quod in monte extabat B. Deiparæ à peena dedicauit, cessitque habitandum solitario pœnienti. Cognomentum loco duplex causâ hæc fecit; quod sterili solo & falluginoso, & quod die quot annis certo Saracenorum illuc turba conflueret ad incidendas sibi nouaculis carnes, suumque Mahometem expresso sibi cruore honorandum. Et hæc quidem Mauris verecundiam ciere, haud tamen proteruiam domare potuerunt. Eadem in Christum & in Christianos intra vrbs, quæ prius foris, audere, & furere, turmatim coire, Mahometem vocare, Crucem detestari, & hæc è summo eius fani tecto, quod esse diximus toto Oriente, religione superstitiosa, & magnificentia famosum. Quibus cum inciperet perstringi nouorum Christianorū teneritas, & abstereretur à sacro fonte variorum sequaces errorum, veriti nequando ad arma veniretur in tanta rerum perturbatione; libellus supplex regi oblatus est, eo petebant Christiani vt tam eatenus inuis imponeretur tandem finis, & impudentia Maurorum deinceps intolerabilis frænaretur. Verum aut ad regem interceptus libellus non peruenit, aut intercepto ad eum rescripto regio, nihil egit. Admouit itaque remedio manum confidenter Berzeus, Deo vt res docuit suggerente. Mauris per fidum è suis denuntiat, nisi clamoribus insanis, & seditioso strepitu abstererent sese, adfuturum se cum puero- rum manu quos Christi doctrina imbuebat, & crucem in fano illorum primario defixurum, nec fore illis de cœtero quod iure quererentur, nisi suam ipsorum culpam, vt qui nullam sibi præterea reliquam fecissent, coercendæ amentia qua Christianos vexabant facultatem; ac ne illis animus fingeret, sibi metuentem quod minitabatur non ausurum, cruces quinque ingentes postridie adornat, & circumferri quæ erat vrbs maxime frequens in pompa iubet, prosequentibus secum pio cantu, longa serie Christianis, tum quidem hac solum ostentatione, contentus Mauros terruisse. Et vero illi dæmonum instar huc illuc aufugere, ac suo profano trepidi, eius fores custodibus munire, quæ tamen diligentia inanis fuit: Berzeum enim cum supplicantium agmine præteruehentem palatium Rex forte aduertens, monet per nuncium confestim adesse, vt qui esset pridem in eiusmodi aliquam opportunitatem eum alloquendi cupide intentus: venienti ad scalas Palatij procedit, manumque vt olim de genu osculatur, inde iussum suamet in sede confidere, demisse primum, ignosceret rogat, quod minus fideliter promisso sterisset; metu sibi vim factam, haudquaquam tamen mutatum propositum, sed in meliora differri tempora. Haberet dicti sui pignus, quod esset mox aduersus Mauros edicturus in gratiam legis Christianæ. Accersitoque magistratu, tota vrbe, & insula vetari per præcones grauissimis pœnis publicè imperat, ne quis Mahometem in posterum auderet inclamare qui Mauris summus est in falsum prophetam reuerentiæ exhibendæ honor: ad hæc, muro portas fani regij obstruxit, in quo aliis desertis suos conuentus.

conuentus peragebant. Postremo suam prolixè testatur beneuolentiam, & recedenti summam pecuniæ fundando Collegio non paruam promittit. Christianorum res per hanc seu pacem, siue inducias in tranquillo locatas gratulatus est Berzeo Indiarum prorex, egitque illi plurimas gratias, tum priuato suo, tum Christianorum omnium nomine. At Mauris indictum de Mahomete silentium, & ablatum fani sui ingressum indignè coquentibus, nouam diabolus instruxit phalaricam qua, nisi uenisset auxilio Deus, effractis foribus, suum denuo fanum Mauris paruisset. Conflabant phalaricam aureorum millia viginti, quæ læua in promptu sustinebat, dum Præfecto libellum supplicem dextra porrigeret. Præfecturam arcis gerebat Henricus Noronia qui Limæ successerat, nec potest referri absque uerecundia probrosi dedecoris, exitisse illic Christianos, qui exculpendæ inde pecuniæ famelica rabie, rationes diuinas postposuerint suis, suasque Mauris intercessionibus, uenales detulerint, & prætexebatur, ut sit; hæc auaritia, communis boni dolosa species, dicebaturque expedire partem populi tantam, tum quietam teneri, tum ea simul pecunia minui, confectaque propemodum res erat, cum prudenter nonnemo admonuit, audiendum super ea Berzeum, & de illius sententia concludendam; is si saltem minimè dissentiret, transactum iri pacatè negotium, alioqui periculum esse ne ob summam illius uenerationem motus cierent Christiani. Quare Noronia probè meditatus, & in restituendi fani æquitatem, multa pulchrè diciturus, Berzeum secum ad prandium rogat; illic Maurorum postulata, & conuiuarum de ijs in reipublicæ commoda, cum inciperet mentem exponere, elidi sibi prima in ore uerba obstupuit, & defectione animi, ac sensuum concidit uelut animam acturus, quod planè illico futurum uidebatur, nisi celeri, magnaque acuratione, ac medicamentis recuperasset tandem uitæ usum. Post quæ non fuit magnopere Berzeo in defensione tam bonæ causæ laborandum; Præfectus ipsemet, longè ab quærendo Maurorum in gratiam, eius suffragio lingua menteque iam alius, fanum si Patri probaretur, æquaturum se solo ultro affirmauit. Quos porro impij lucri odor foedus ad fauendum sacrilegè infidelium voto acuerat, eorum pars maxima, paucis diebus miserè periit; nec multo post alios sua quemque calamitas in diuersa disiectos, sic afflixit, ut nihil præterea de ijs unquam rescitum sit. Sic Deo ultore dum cupiditas impia condignis præmiis multatur, serui Dei existimatio in maiorem auctoritatem creuit.

13.
Iogus ethnici-
cus ad Christi-
stam cōuer-
sas cum suis
discipulis.

In trahendis uero ad Christum ethnicis quanquam huic minori periculo, & labore, sed fructu non impari opera constitit. Erant hi quidem Ormuzij multo quam Mauri pauciores, ut tamen in urbe orientabilibus omnibus frequenti, ingentem populum conflabant. Vnius ille tantummodo, literis suis distinctè meminit qui aditum reclusit cæteris, & suo illos ad Christum exemplo pellexit; resque in hunc modum gesta. Distat Ormuzio collis nudus, & sterilis sesqui milliari, erat in eo Iogorum

gorum cœnobium, suntque hi, vt olim diximus, rigido victu, & aspero, publicum exosi, & solitarij, velut Anachoretæ Brachmanorum atque vt reliqui per omnem Indiam vulgo immania scelera & propudiosa, honesti furo, & austeri premant, sed Ormuziani, aut meliores omnibus aut minus mali; quippe magisterio eruditi, Cœnobiarchæ magni, & virtute præstantis, & quoad finit religio ethnica, omni ex parte absoluti. Erat ijs pro veste sacco vilis, & crassus; pro celsa specus; cinis pro capillitio, pro calceis nuditas; pro colore pallor & macies exsucca, & arida, ex ieiuniorum assiduitate; soli, rarique in oculis hominum, nisi cum interdum prodirent ad populum sermonem de morte facturi, vel ad urbium portas cornuum sonò, cœtera silentes, stipem rogaturi. Colebant seuerissimam castitatem; noctes ferè ducebant simulacris suis multo cantu laudandis, aut qui plus reliquis saperent, nescio quid de naturæ diuinæ excellentiâ contemplando. Quanto porro illorum suo in errore sanctitas auctior, tantò tenacior superstitionum ethnicarum. Vaccas pro diis adorare, abstinere cœde animalium quorumvis, ne qui vna homines necarentur, quos somniabant à morte migrare in bestias, hæc & his similia mordicus retinebant. De hac vitæ illorum, & placitorum ratione vt cognouit Berzeus, visere illos humaniter, de animi rebus cum ijs colloqui, pressim etiam disputare, ac vt ipse quoque cultu paupere, ac vili; victuque præparco & aspero, honorum, & corporis præclarus contemptor, & dormitor, spectabant hominem velut vnum è suis, nisi quod de Deo, & aternis agentem cum audirent, videbant se tanquam humi stratos haudquaquam ad illum pertingere, nec erat futurum valdè difficile primis congressibus, pronostudio audientes, victosque fortibus argumentis, Christo subiugare, si præire sibi nouum iter vidissent præceptorem, quem venerabantur parentis loco, nihil quicquam auluri eius iniussu suscipere. Degebat is in semota eremo prærupti montis Arabiæ, & maximè sterilis, in diuexando corpore, in silentio, & extra mundum totus, nisi cum de morte fermocinaretur, & Iogos circum vicinos lustraret quos peculiaris sanctimoniam opinio prædicabat: apud suos vero maior homine habebatur; apud alios fiebat tanti vt Rex Ormuzij honori duceret pedes illius ablueret, illamque velut sanctitate intinctam eluuiem nonnulli biberent. Ergo is de sua Arabiæ eremo in Ormuziense cœnobium redux, tam multa ex suis, de Berzeo tamquam mira audiuit, vt incredibili eius videndi, atque explorandi cupiditate exarserit: nec multum abierat temporis, cum datum est homini, Berzei notitia expleri, nam dum aliquandiu in cœnobia subsistit, adest illi Berzeus humanitatis officio Iogos reuisurus, perfuncti ambo perhonorifica vicissim, & beneuola salutatione, seorsum concedunt, de suo quisque instituto, & legis suæ arcanis acturi, vbi Iogos Berzeum miratus supra cœli tractus tam altè assurgere, deque Dei natura, & excellentia, de adorabili præsertim triados augustæ myrio (de quo nonnihil, haud scio videntiam hauserat) tam sublimi stylo

E differere

differere, dici non potest quanto sit gaudio delibutus, quantaque deinceps voluntate redeuntem semper exceperit, neque hi mutui affatus, suo grandi compendio carebant, nunquam ab eo recessit Berzeus nisi multo quam ante in Christi legem proniore: igitur quadam inter ipsos concertatione de castimoniam christianam ratione absolutissima, cogitationes etiam affectusque intimos coercente, tantum hausit animo voluptatis, ut peculiari sensu, erumpens diceret, tuam me o pater benevolentiam penitus mancipasti, nobisque cor vnum perpetuo erit, ex quibus pater urgere institit, decerneret tandem viam illam sectari, quam sua non modo censeret meliorem, verum, & solam, & necessariam ad salutem, quod nec Iogus facere abnuvit, nec tam illico admisit, sed mensum petiit ad deliberandum quem illi Pater ea lege licere censuit, ut memor vulnerum Christi patientis quinque sibi quotidie plagas flagello incuteret, ad exorandam a Deo lucem, & animos quibus agnitae veritati fortiter inhaereret, quanquam ad verum quod attinet, euidentius id nosse vix poterat, quam esset illi a Berzeo apertum, nec illi supererat scrupulus de quo secum ipse contenderet, vertebatur in eo difficultatis summa ut quod verum & optimum probarat constanter iniret, nam illa palam erroris tot annos per errorem laudati edenda professio; magisterium illud tamdiu tot populis pro caelesti oraculo auditum, repente mutandum noua peregrini homuli disciplina; viro tali, ac tantae apud homines lucis, Philosopho, Brachmano, Iogo, Sanctimoniam titulis venerabili etiam apud reges, & superis pari, necabant pedes tam tenacibus laqueis, & nodo usque adeo inextricabili, ut sui probe exitij conscius perire pergeret, nec expedire se ex eo, & excutere valeret; ac nisi perpes ardentique Berzei pro illo precatio, cuius tanti salus ad multorum salutem inerebat, eum a Deo impetrasset, suam fortassis perniciem, caecitatemque pertinax adamasset. Et ecce tibi nocte quadam, in cella sua quiddam de Dei excellentia contemplanti, secumque anxie iurganti de mutatione quam etsi cuperet, fingeat sibi iusto duriorem; ac prope inuiam, clara vox ad aures accidit, quid agis? quid cogitas? etiam haeres, nec tandem decernis? religionem quam doctus es sequere, nusquam nisi in Christiana salus, qua eadem hora explicatur coram, seu mentis seu corporis oculis tuenti supellectilis sacrae splendidissimus apparatus, qualis solet festis solemnioribus a pontificibus adhiberi. Spectaculi huius, & vocis nouitate, sat diu attonitus, nec enim hoc visum raptim euanuit, iam que nihil ambigens diuinitus haec geri, denique manus dedit, impatienter sustinens dum illucesceret, ad conueniendum optimum praecceptorem, flagitandumque ab eo baptismi Sacramentum. At enim ipso in aurora exortu Rex adest, qui ad eum visendum honoris causa Ormuzio venerat; vasrum teterrimi daemones stratagema, ut sui miserum apud Principes existimatio, illie retineret, ubi erat omnibus venerandus, sed iam alius a seipso, honorem respuit, qui deferri sibi nisi stulta superstitione, & abse admitti non poterat, fuga itaque tamdiu latuit, dum rex abscederet

deret, mox in urbem ad Berzeum accurrit, recensitaque multis cum lacrimis objecta sibi per noctem specie sacrum baptismum postulavit. Credi haud possit quātis letitijs christianos, tam inopina gratia beavit, quanto gestierit gaudio quārci praeerat Manuel Lima dux summè pius; nec enim sterit vnus lucro tā illustris de vno victoria, Iogos omnes eius discipulos secū traxit, ac velut eadē cum illo voce visoque admoniti Christo nomina dēdere. Lustratus est diuino fonte, singulari cū pōpa, cui Rex ipse Ormuziensis interfuit, & quidquid erat in vrbe ciuium maximè honestorum, & nobilium Mauris interim dirum frementibus, velut ad tacitam exprobrationem cognatā sibi obstinationis. Pauli nomen ex baptismo tulit, conuenienter planè, cœpit enim extemplo Christi nomen, & legem luculenta prædicatione celebrare. Parabaturque in eo non solum Ormuzio, sed Perfidi, atque Arabia vir Apostolicos animos ingentes spirans, nisi magnitudinis Christianæ in Lusitania, & Romæ spectandæ, cupiditas quædam illum abstulisset, quam in Neophyto, fidei adhuc parum coalitæ improbabat Berzeus, sed probabilis vt esset euicit Lima, in Europam vela propediem facturus, volensque, vt aiebat, Regem Dominum suum, supremum Pontificem, partemque non paruam Christianitatis recreare aspectu ethnicae sanctitatis in Christianam feliciter, & mirabiliter commutatæ. Secum ergo Vlyssiponem vectum, postea Conimbricam misit, inde Romam profectus in eo itinere obiit. Scribunt alij ex Europa redisse Ormuzium, & Antonio Eredia auxiliariam operam in conuersione infidelium valdè vtiliter nauasse; id vnde acceperint ignoro, eius certè nec Eredia meminit, suis licet de rebus illinc ad Ignatium perscribat, nec post Erediam aliquot è nostris eodem munere perfuncti. Sacra intinctus aspergine, suam olim eremum, habitatoribus ad fidem translatis iam vacuam, ijs vltro volentibus Berzeo donauit in sedem Collegij à Societate illic statuendi. Locum statim Berzeus ab omni profanatione expiauit. Præcelsam Crucem illuc tulit populo religiose comitante, productisque domo ad ludibrium dæmonis, & comminutis simulacris, eam situ maxime conspicuo erexit. Dicaui Reginae Deiparae sacram Aedem, Collegium tum quidem Boni I E S V vocauit, quod mutato postmodum nomine S. Pauli est appellatione nuncupatum. Quadraginta illi habitatores designarat tum ex nostris, tum ex indigenis adolescentibus quorum illic vt passim per Indias meditabatur seminariū vbi probitatem Christianam cum literis discerent, affuebatque vltro temporarii subsidij vber comineatus, vt enim auditum est Societatem Ormuzij Collegium moliri, certatim alius quingentos, mille alius ducatos aureos, etiam nonnemo quicquid in bonis habebat profusè suggerere, quæ liberalitas Berzei meritis cuius suspiciebant sanctitatem attribuenda est. Tantum potest vnus perspecta & eximia virtus, ad persuadendam eius sodalium probitatem, & deuinciendam illis ciuium æstimationem, & amorem. Horum tamen quæ offerebantur Manuël Lima nihil ratum censuit, vtque affectu in Berzeum, &

huius gratia in Societatem cedebat nemini, sic suæ in eam largitatis habere socium non tulit, sed Collegium cum Seminario, suo unius ære fundari voluit. Deerat solum conficiendo negotio nostrorum qui regerant assensus, & postulatus est ex Antonio Gomes (de quo alias dictum) Goani Collegij Rectore, qui Xaverio in Iaponia absente, omnem sibi in nostros per Indiam auctoritatem arrogarat, responditque id nec ab Episcopo, nec à se probari; non posse de operariis tam paucis partem illam rescindi quæ Ormuzensi Collegio sufficeret; venturas ex Lusitania post Paulum suppetias; vbi foret ex iis in Collegia Indiæ prouisum, tum de Ormuzio se cogitaturum: ita è spe futuri suspensum negotium, quod quo euaserit, post erit explicandum.

14.
Christiano-
rum Ormu-
ziz status de-
scribitur.

Nunc ab Iudæis, Mauris, & ethnicis de quibus hæctenus, vocat nos viri tanti labor in excolendis Christianis fructu inexplicabili collocatus. De illorum quidem profligatissima viuendi ratione etsi perstrinximus aliquid, in ea nationum communi sentina describenda quibus habitabatur Ormuzium, sed ex viri Dei epistola quadam habetur distinctius, quàm deplorando illic statu Christiana res esset. [Illic, ait, complures inueni, usurpatores alieni; multos exacuente ingenia frustrationibus dolosis, ad opprimendam plebem, & pecunia emungendam. Inueterata odia, & prope continuas ad ferrum prouocationes; linguas omnis generis in Deum maledicas, & in eiuorando illius nomine assiduas, offensionum publicarum solutam licentiam, inter milites præsertim, in quibus multum operosæ molestiæ exhausti, quod multo tempore à me instaurata, momento subruerent, cultris, vulneribus, cadibus insanendo in illos etiam qui pacem adamabant; cùmque initio ab illis peterem vt Christi amore, & imitatione, acceptas iniurias condonarent; ineptis responsionibus petitionem rejectabant, Christum Deum fuisse, se homines esse, non posse patienter, & clausis oculis offensas præterire; quantum sui honoris decore asserendo tangeretur Deus, tantum quoque se sui violatione tangi, quæ præfractè ad eum vomebant vt malle se dicerent vltos inferis addici, quàm cælo inultos asseri; gentem planè barbaram credidisses in Dei aspersionem, & probrum sanctorum editam, nec leges, nec regem, nec duces pensi quicquam habentem. Alij tresue alere concubinas, Mauras, Ethnicas, Hebræas, & circumducere palam sine fronte quocumque pergerent. Ad hæc latrones, & sicarij cruorem & homicidia pretio licitari, quos pelli ex insula cum Præfectum rogarem, multitudine absteritis refugit id aggredi.] Hæc ille de facinorosis moribus Christianorum Ormuzensium, qui confusa sectarum variarum prauitate, ac scelere permixti, è singularum vitijs coaluisse videbantur, & perfidiam cum auaritia ex Iudæis, ex Mauris fœdas libidines; cœcitatem ignorantia, deique contemptum ex ethnicis decerpisse. Quare ad primos tot malorum aspectus quasi syderatus, longe se imparem reputauit ad eruncandam syluam infaustrarum, stirpium,

pium, & venenatarum arborum tam horrendam; fecit tamen sibi animos illâ sui humili æstimatione, qua etiam homines de societate solebat erigere ad quævis ardua in Dei gloriam tentanda; proderit hic illam memorare, sed simplicem, & qualis eius è calamo fluxit. [Ab hoc, ait, misero fratre vestro consilium capite profuturum vobis ad obarmandum Deo pectus, quoties ad opus diuinum mittimini. Nam si Deus illuminatio, & salus nostra est, timendum quid restat, præter iram illius? hoc me consilio iuari plurimum, sum expertus, alias imbellis, tepidus, seu gelu potius meo rigens cum Ormuzium appuli, quo pacto incolumis tantam ærumnarum calamitatem peruasissimam, & tamen in baculo meo transui Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior. Duo vobis ob oculos pono, primum est Iesum Societatem tueri eiusque filios tanquam suos, proinde haud eius adeo meritorum, quam sui amoris habere rationem. Alterum, carissimorum in Europa, & India Patrum Fratrumque ardentis coram Deo & perpetuas comprecationes. Multa enim sumus, sed corporis vnus membra, cui IESVS caput est; famuli multi sed vnus famulatus.] Vt autem comprehendatur paucis, quicquid ardore industrio, vi magna dicendi, suscipiendique asperitates spontaneas, & viuendi exemplis, sed ante omnia præsentissima ope Diuini spiritus egerit, in illa criminum emendanda consecrandaque metropoli, vel vnum repeti opus est quod tradunt testes iidemque spectatores, Ormuzium paulo post quam illuc applicuit, fuisse ab se tantopere diuersam, vt anni totius decursus, maioris ieiunij, & sanctioris hebdomadæ speciem referret, afflictationis voluntariæ, & Sacramentorum communi & feruida perpetuitate. Confessionibus audiendis addi noctes diebus oportebat, erantque vt plurimum, aut vitæ omnis anteaetæ, aut annorum decem, eæque multis fermè difficultatibus implexæ, cuiusmodi vltra septingentas, semestri spacio numerauit. Tam porto stipato cingebatur affluxu aures illius poscentium, vt morbi simulatione audiri ab eo extorqueret nonnulli, quod impetraturos se alioqui, minimè speraret. Huic nihilominus tam densæ occupationi ponebat hunc modum, vt quot hebdomadis suum ferè sexies concionibus tempus daret, quarum vim nihil certius asserit, quam consecuti ex iis motus. Scribens ad Simonem Goa Xauerius quò reuocatum Ormuzio Berzeum audierat, [Concionatur, inquit, P. Gaspar Berzeus singulari ardore pietatis. Quoties pulpitu conscendit, templum lacrimis, & singultu implet.] Verum Ormuzij hoc incitatus, quo malis ea vrbs grauioribus laborabat. Interpellabant sæpius dicentem complorationes subitæ ac singultus populi vniuersi, cogebantque insistere, quoad is scelerum admissorum detumisset dolor. Cui excitando, omium eius concionum spectabat, & insudabat labor. Hinc palam, in omnium oculis, inimicorum amplexus petere, & capitalia odia, pace beneuola mutare, hinc & priuata scorta, & publica, exscendentis è pulpito sese ad pedes abijcere, hinc auro grauida deferri ad eum marsupia, lucris olim iniquis

parto, tunc restituendo, hinc etiam aliqui, melioribus affucti ex eo poscere ut adlegerentur in Societatem, de quibus erit agendum postea. Iam voluntariis priuatim, & publicè pœnis, nec modus, nec sãpe ratio constabat; dominicis alijs & festis maioribus ad decumanam templi portam, flagellis in seipfos sæuire; urbem alijs quã plurimùm frequens peruadentes & idem præstare & sublato clamore misericordiam rogare. Quidam templum ingressi, nudata cingulo tenus eruentare terga, & offensionis eatenus præbitæ à circumfusa concione veniam petere. Crebræ ad hæc per urbem cruce præuia supplicationes ad quam vltronea suimet verberatione, viri iuxta, & pueri noxarum orabant condonationem, tum propriarum, tum alienarum. Demum vbi prius tantum licentia valebat, ut probrosissimis quoque flagitijs, nulla non modo religio, sed ne obstaret quidem pudor, cœpit videri adeò mōstrosus scelerati hominis conspectus, ut quidam solitudinem suorum criminum pertæsi, quodd ab alijs digito notarentur, spontaneum optarint exilium in quo habenas cupiditaribus, multis cum focijs exprobrante nemine laxarent. Nam domi feminas occultare, iniustis scenoribus, iuris colorem allinere, vulpem vapidam tegere, pulchra specie pietatis, (ut ab nonnullis tentatum est) incassum penitus exibat; ita enim feruebat conuerforum pia sagacitas, ut suorum quondam criminum socios callidè scrutarentur, & deprehensos in aliquo veterum vitiorum, festinatò ad Berzeum deferrent.

Conuersio-
nes peccato-
rum.

His delatoribus cognouit de clerico diuitem infanis tam pridem duarum amoribus irretito, ut explicandi se ex ijs nec viam nosset, nec consilium inire. In suo igitur exitio cupidè acquiescens, vnoque sibi à Berzeo timens, disturbaturo haud dubiè lethargum quem amabat, omni modo cauit ne illi suspectus fieret; insinuauit se in amicitiam illius intimam, significatione familiaris beneuolentiæ prorsus singulari. Traducebat cum eo aliquot interdum horas in Nosocomio miris verborum conditas urbanitatibus, pietatis quin etiam delibutas melle, & de animarum salute sollicitas, in cuius procuratione Patris contentiones mirè extollebat. Concionantem audiens, ore toto approbationem præferbat, & admirationem. Utque illum sibi obstringeret arctius militabat ad eum manuscula etsi norat recta in egentes ex eius manibus transire. Postremo huc etiam simulatio processit, ut eum ad prandium vocaret, semotis prius diligenter à conspectu amicis duabus, & quos ex ijs tulerat filiis, quod testibus oculis posset Berzeus eos refellere, qui essent fortassis accusaturi suam impudicitiam. Nihil horum recusauit Pater simulans & ipse artes improbi Sacerdotis nullo modo sibi esse suspectas, etsi eius vitam moresque optimè teneret, sed eam qualemcumque amicitiam ipsius, in partem obuertere parabat, studiis eius planè oppositam. Ut ergo se sensit velle ab eo haberi pro intimo, libertate tunc uti statuit quam præbebat tam peculiaris amicitia ius, aliquando cum eo de salute animi, & iactura generatim locutus, quantique vtraque interesset; ad eum.

eum audenter delapsus est, suaque illi obiecit probra inueteratarum libidinum, quæ frustra crederet ab se vno nesciri, cum luce publica & offensione ciuitatis arguerentur eò patentius quo mutati in melius ciues, ferebant ægrius sacerdotē eodem in quo prius cœno volutari. Secutusque adiecit quæ facerent ad incutiendum metum haud minus diuinæ patientiæ quàm iræ, subdendosque acriter stimulos excutiendæ tyrannidis cui tandiu seruiebat. Hæc ab eo dicta cui se homo simplex opinione virtutis carum crediderat, tunc videbat compertum non vitæ modo sceleratæ, sed fraudis nequissimæ, improviso percussum sibi abstulerunt: indignans, & pudorem non ferens, & truncis aliquot repensis vocibus iratus se proripit. Exin haud diu post Berzeus è pulpito, pro occasione Evangelij pertractandi, tormentorum describens grauitatem, voluptarios a morte excepturam, inuectus est, pro more, vehementissime in stuporem hominum perditorum, qui nec cicurarentur præmijs, nec minis mouerentur, qui peccandi moras ex lenta diuinæ clementiæ ad pœnitentiam vocantis expectatione captarent, & turpitudinum suarum abdicationem in supremam vitæ differrent periodum, cum essent tunc etiam nolentes earum facultate caritari, quibus dum viverent voluntate sceleratissima seruissent: audiebat sacerdos fulminantem è pulpito, & momentem intus conscientiam, ijs se pariter peti, & configi telis, cumque in se iras vertere debuisset, in dicentem retorfit, ac velut ab eo ad vivum depictus, traductusque singulariter in omnium execrationem, fremebat scilicet apud se, neque interim sibi adeo imperabat quin verbo aliquo gestuque factorem proderet, ægrè illic moratus dum concionator desisset eiusdem mox farina clericis sese affricare, indignari apud illos, impactum sibi & ipsis pudorem, oppetiri ad templi fores exiturum, & omni conuitorum genere presentem onerare, vixque abstinere ab illo manus, crescente de fiducia comitum aliquanto mitius insanientium, audaciæ impetu. Occursu repentino Berzeus, nec serenum animi nec oris mutauit, & fremente licet aduersus amentes populo cui erat venerabilis, ipse sua nihil sensit, sed misertus doloris, qui sacerdotem extra metas tam procul raptauerat, procidit illi ad genua, veniam ex animo petiit, si communem causam peccatorum tractanti, verbum aliquod excidisset quo posset vel leuiter offendi: quibus utcumque mitigatus Sacerdos, cum comitibus abscessit: sed hic animadverrit pater, nisi gratiæ Dei peculiari miraculo, non dissoluendum feliciter hunc nodum: tot ergo in eum lacrimas, tot preces fudit, ut non minus tolerantia contumeliarum; quam supplicandi caritate, conuersionem hominis denique exoraret; atque ut fuerat detestabilis in publicum exempli, ignominia Berzeo irrogata, sic illud Deus publico deleri pœnitentiæ exemplo voluit. Paucis ab hinc diebus cum pro concione, cui sacerdos idem intererat, eadem Pater validè inculcaret, de æternitate cruciatuum, quæ fontes maneret, suo in scelere obfirmatos, pendebant anxij auditores, & dicenti, malè metuebant, sed dum respectant identidem quos daret ad

ea colores Sacerdos, vident posita indignatione, flentem vberim, singultantem, & consensu doloris, non alios modo contuentes, sed ipsos etiam inflictæ Berzeo iniuriæ socios in lacrimas soluere, tanta lux fuit instinctus diuini ad retegendam homini conditionem animi sui miserrimam; & furoris sui culpam in medicum curare illam satagentis. Expleta concione spectantibus socijs, & auditoribus ad eius pedes prouoluitur, & noxam, continuatis lacrimis suam dolens, hanc sibi remitti ab omnibus, vt quæ omnes spectaret, efflagitat: se vero deinceps Berzeo fingendum integrè permittit, vitam omnem plena exhomologesi apud eum purgat, domo extrudit concubinas, formamque viuendi assumit ordini suo congruentem. Erat ista illorum æmulatio Christiana quos Deo luci fecerat Berzeus, vt expiscarentur de alienis moribus quæ ab salutis via exerrarent, deferrentque ad illum corrigenda: ipsemet illa audendi libertate qua illum acri, & inuidia infusus a Deo spiritus incitabat, ad emendationem perditæ ciuitatis, contestatus est non semel è pulpito, penetraturum se in ædes priuatorum, & si quas in ijs reperisset auaritiæ sordes, aut turpitudinis, ejecturum, nec id dictum animosius quam factum, nullius metu periculi deterrebat ab extremis, & insolentibus remedijs vbi vtitata, & mollia non prodesse: accidit ab eo deprehendi quendam insperatò improba femina comitatore, assedit sedenti, hæsitque constanter pertinax, quoad illam à se penitus ablegasset, leniora tunc admouebat, cum prudens ratio suassisset ad emendationem suffectura: quare egenis aliquando qui obcalluerant in suis criminibus, pecunias dabat, quo illos pertraheret ad confessionem, abundè contentus si apud se genua flexissent, eorumque tentasset vulnera, quamlibet sine vllò sensu venissent, & frigidi, eorum animos diuino afflante spiritu ea efficacia versabat, vt cum acerbissimo dolore, ac lacrimis confessionem absoluerent, retexerent etiam interdum quòd eam initio, nullo sensu pœnitudinis inchoassent: hoc vero suo grandi bono expertus est miles, publicè sceleratus, & qui vltim sacrorum ferebatur multos iam annos refugere. Vidit illum Berzeus, pridem in illum inuadendum arrectus, die quodam domum subeuntem, haud certè animi curandi gratia, statim illum sibi à Deo traditum censuit, suæque permissum potestati vt illo faceret quod tamdiu optauerat, & fuit planè infelici, felix ille ingressus, educendo nimirum propediem in periculosum prælium quod si tunc reconcilianda cum Deo gratia non anteuertisset, ibat certò profligatam vitam morte pessima mutaturus. Ergo Pater vt domi hunc tenuit, iussis occludi foribus scelesto denuntiat, nisi confessione sacra expiatum, & Deo fidelem, cerro certius inde nequaquam amittendum, addit & alia quibus & suaderetur vehementer, & expediretur illi difficultas confessionis extemporalis. Religiosam violentiam non tulit miles indignanter, minimè dubitans ex salutis suæ desiderio profectam. Deo itaque clementer cogenti obsecutus, confessione longa, detestatione scelerum acerbâ, vitam omnem apud Berzeum lustrat. Inde rite peccatis solutus

solutus abscedit, post paulum Ormuzio ad bellum, ubi confligens cum hoste interijt.

Prolixias foret ire per singula criminum genera, partasque de illis à Berzeo Diuina ope victorias; conjugia inter impudicos legitime copulata centenarijs notata sunt, ejectæ domibus haud paulo plures concubinae; recepti in sinum Ecclesiæ filij quos patrum Christianorum impietas, permiserat Mauris aut ethnicis matribus superstitione illarum imbuendos. Quod ipse vt tandem euinceret, cum leuiora præsidia in casum vanescerent, acerbitatis aliquid miscendum ratus edixit è pulpito, nisi sacrilegam & mortiferam profanationem extirpassent quos adhuc urgebat officij ratio, habiturum se illos pro fidei hostibus, & Christi aduersarijs, acturumque se de illis apud Serenissimum Regem eorum Dominum, & tribunalia sacrorum quæsitorem, tanquam de suspectis eorum criminum, quibus ignis supplicium debebatur. In exterminando autem crimine pessimo, quod illic per legem Maurorum scèdissimam, immensum ire sinebatur & restituendo in teneris puerorum, & iuuenum animis, pudoris ingenui amore, mirum quantum laboris, & quanto fructu suscepit. Eum illis horrorem Maurorum, pestis illius satorum indidit, nullis vt æquè contumeliosè atque à pueris haberentur, prouocantibus etiam ad disputandum & exprobrantibus publice Mahometanæ legis abominandam scèditatem. Imo nec sibi à parentum reprehensione temperabant si quid ab ijs exisset, dictu, factu uè minus castum, & ubi parum proficerent, eos apud Berzeum accusabant. Iam versus impudici, omnium cantibus vulgati & quotidiana puerorum symphonia, tam immàni turpitudinis inauditæ imagine aures continuo cadebant, vt agente Berzeo, magistratus, publico edicto illos proscriberet, & eorum loco precatoriæ coronæ, laudumque Deiparæ succederet cantus. Simultatum vero inter milites, & ciues crebritas, & viuacia odia, quàm planè extincta sint, vel inde palam sit, quod pro foribus templi cum esset concursus frequentior, qui mutua vulnera, & mortes diu captauerant, in mutuos amplexus & pacis oscula obstupescente populo redibant, offensas inuicem, seu Christo potius utrinque, tam constanter, & in perpetuum donabant, nulli vt vrbe in posterum tora, fideliores essent inuicem, & amiciores: Longè absque vlla comparatione operosior illi contentio, in extinguenda pecuniæ dira fame, viuque quæstum iniquorum, & malè partorum restitutione. Locus fuit ab vrbe haud multum distitus, confluxu celebris negotiatorum; illuc vt primum illuxerat, ad pactiones suas conuolabant; Bazar vocabatur, ex quo fortassis Itali Bazarrare ducunt quod apud mercatores malè sonat. Vnde vnde vocis origo extiterit, videbantur (quod erat Berzeus dicere solitus) doli mali, & fraudes cum auaritia ex Iudeæ templo à Christo expulsa, in eam latronum confugisse specum tanquam in asilum. Artes lucrorum immanium quarum ea in schola feruebat vsus eiusmodi sunt, vt quanto sapius illas animo retracto, & introspi-

R cere

16.
Cõuersiones
aliæ maximè
scenerat.

cere studeo, tantò, inquit Berzeus, ijs implicer & inuoluar pejus. Multis decem dumtaxat aureorum fors, necessaria ad victum reddebat omnia, aucto tam multis ambagibus quæstu, vt anno vertente, decem illi, centum aureos parerent, forte integra semper & grauida. Negotium innocens, & more probatum credebatur accepto pignore, pactis vsuris pecuniam credere, atque ab ipso numerati argenti principio, fœnus ad fortem reuocare, conflato vtrunque processu temporis, imaginario summæ velut creditæ corpore, tam enormibus lucris, vt ijs soluendis pares inuenirentur paucissimi. Hinc parariorum, & proxenetarum illic prodiga copia, quibus nihil pensi præterea nisi ventilandis, fouendisque huiusmodi fraudibus ventri consulere. Ob hæc Ormuzium fraudum omnium, & vafrementorum totius Orientis forum prænobile; Ormuzienses negotiatores, malitiosissimi fœnoris professi doctores jactabantur. Sed cum improbas mentes curare soliti, habeant ferme pro re desperata & sanationis experti, cupiditatem quærendæ pecuniæ, ac multo difficiliorem quæsitæ præter fas restitutionem; nihilo secius tanta fuit Berzeo in hoc opus efficacia spiritus, vt quæ ipsemet narrat miraculis paria videantur, ex quibus postmodum nonnulla memorabo. In primis itaque, pro concione, docere aggressus quicquid oportebat à contrahentibus teneri, trimestre spatium in eo posuit, quid fas aut secus vnoquoque seorsum in genere exponens; quid lucri & vnde, quantum quibusque limitibus, sic vti plus vltra non liceret, quæ legitima lucrorum aut quæ spuria scaturigo? His tamen doctrinæ radijs cum parum sufficeret mentes audientium illustrasse ad cernendum, nisi argumentis potentibus corroborasset ad agendum, contemplationi traditæ sanorum dogmatum, piam addebat *cap. 2. §. 11.* vsuque contemplationis, expensaque ad pondus rationis omnibus insitæ, contractuum institutione, metiebatur eandem ex rationibus æternis; ex præferendo inquam, vniuersis lucris animi sui lucro; ex beata immortalitate cum terrenis omnibus ita comparanda, vt cum oceano aquæ stilla & bono fragili, punctique vnus cum infinito & immenso; ex morte insuper, quæ tot quæsitæ periculis & damnis, momento raperet, ex sempiternis demum pœnis, vbi quæstibus iniquis tam formidabile cruciatuum reponeretur fœnus. Hæc ab eo tanta pietatis incitatione dicebantur, vt exscendentem nonnumquam è suggestu circumstiterent multi, ingererentque alius quingentos, octingentos alius, pluresque aureos, injusto creatos negotio, quibus iusti, & æqui perspecta ratione tunc redditus absolui conscientiam poscebant: rationarios codices domum ad eum deferabant nonnulli, recensebantque æra distinctè singula, & quæ conflata ex ijs summa comperta esset juris alieni, mox illam Dominis refundebant. Hic vero stupere Mauri, & ethnici, cum præter omnem expectationem vltro sibi redire nummorum copiam cernerent, demirarique ac deprædicare Religionem Christianam, effectuque mirabiliori, abdicare se & ipsi perpetam possessis, quæ natura dictante, Dominis reddenda cognouerant.

Denique

Denique vel sola quorum certum jus ignorabatur, in Berzei vnus deposita manibus, ad octo; ad viginti, post aliquod temporis aureorum millia pertigere, quæ ne obolo quidem sibi residuo in leuamen vltimæ egestatis, inter sodales misericordiæ prorsus omnia consignauit, hi vero in nosocomium, in ægrotos, in neophytorum alimenta, dotem meretricum respicientium, redimenda desertæ fidei, postea resumptæ mancipia contulerunt. Fuit mercator opulentus, qui magnis precibus per Deum rogaret, rei suæ totius arbitrariam curam susciperet, ejus partem quantam & quantulam libuisset, sibi, vxori, liberis, seruis assignaret, velle se ac sua ex ejus nutibus integrè pendere. Subrisit Pater, seque ab illo expediuit; verum is dolens precando institit, coëgitque illum suas omnes, ex quo negotiandi initium fecerat recognoscere rationes, easque cum recti legibus, & conscientiæ jure coæquare, delineare sibi vitæ normam quam esset exinde initurus, & statis temporibus, librum suum nouis cum accessionibus signare, nouisque se iuvare consilijs, quod timeret vir bonus, eo inconsulto quicquam pecuniæ ad lucrū occupare rarius quod ipsi cum alio accidit non minus diuite & pecunioso; non possum expressius, quàm ejus verbis id scribere. [Horum, inquit, nonnemo, (& de ijs agit à quibus domum simulato morbo vocabatur, vt quod alibi turba confitentium perpetua vetabat; illic per otium, anxium animum confessione serenarent) vbi domum venissem ad pedes accidit, ne se abijcerem precatur, & en tibi ô Pater, inde nummorum tot millia, & quicquid in bonis habeo, ædes varias, nauigium, seruos, meumque adeo corpus hoc miserum; inde animam hanc cujus in te curam transfero, eaque me libero, hoc tibi injecto onere ne cui parcas, quod putes ad ejus salutem confici oportere. Malo pauper viuere quam perire; rem meam distrahe, scinde audenter ex ea vendeis quam multa placuerit, satis omnibus fiat, quibus me noris obnoxium: ad hoc, si nimis res curta sit, luat reliqua, & sui vexatione delectat hoc corpus, nihil de alieno penes me maneat. Malo, inquam, egenus viuere quam perire, & hæc eadem complures profitentur, cum expiaturi peccata ine adeunt, magno sane cum meo rubore, ac decem nummorum obnoxij, duplum contendunt exsoluere.] Hæc ipse, sed enim vt semper, sic inter tot bonos illic item peruersi non deerant, quibus pluri esset nummus quam animus: nam cum scenus injustum, esset jam adeo omnibus inuisum vt illo se ferme ipsi quoque abstinere Iudæi, ad quos Berzeus diebus sabbathi dicebat, fuere in ijs qui ne oculis signarentur, suos etiam illius censuræ rationarios codices obtulerunt, sed mala debitorum & tabellionum confectos fide, sortem ijs perfidus creditor eò inscripserat vera & tradita grandio-rem, quò scenus illius annum, grandius exigebat, vt perscripti commodati fucò iniquam vsuram illineret, sed versipellis facilius obtigit crimen patrare quam abdere: doli conscius Berzeus exagitare hanc pestem non destitit quoad stirpitis eradicaretur, triumphauitque infame, fabili gaudio, cum forum illud Bazar argentarijs latrocinijs infame,

transiſſe vidit in academiam, in quam primum ſubibat nemo quin interſuiſſet rei ſacræ, deinde perpetuæ inducebantur quæſtiones de bono, & æquo variarum pactionum quas pararij mouebant, & designabant mercatores, vbi ſi qua ſe dabat ſuſpicio, proceſſuri vltra recti lineas contractus, parſimonix aut lucri quantumvis certi nulla obſtabat illecebra quo minus pro caſſo, & improbo repudiaretur. Ferri præterea & armorum cum Saracenis commercia ſuſtulit; ejus culpæ reos, intortæque in illam cenſuræ abſoluit quamplurimos, quos eo vſque Ormuzij, ſacerdotes ad hoc nulla præditi poteſtate, conſueuerant tamen abſoluere. Eccleſiæ ac ſummo paſtori, hæreſi ſchiſmate, & religionis ejuratæ perfidia abſciſſos reddidit, quorum fuit ingens vndique terrarum numerus, Abiſſini, Armeni, Georgiani, Moſcouitæ, Græci, Ruſſi, Poloni, Vngari, Germani, etiam Itali, mixtique ex iſtis Ianiſſari. Contigitque vt ſeptem Lutheranos, pro hæreſibus quindecim eodem tempore pugnantes, feliciter expugnaret, Deoque & Eccleſiæ Rom. reſtitueret.

17.
Duri obſti-
natorum ca-
ſus, ſed felices.

Has tam multas & tam exquisitas conuerſiones voluntatum, inter Chriſtianos potiffimum qui ſuis impuruerant vitijs, iuvit fateor plurimum, apoſtolici viri ſanctus ardor, dicendique vis cum exempli efficitate, cujus apud omnes venerabilis erat auctoritas, verum enimvero ſuam his Deus præter morem iungebat beneficam, & præpotentem manum, vel emolliendis inſperato, perditorum ſaxeis mētibus, vel duro aliquo frangendis verbere, qui ſe ſelecti ab eo protervè recuſarent, his enim multorum pertinacia vincebatur, quibus inde fiebat perſpicuum, Deum ſuo cum famulo & loqui, & facere. Paucos de multis reſero, memoratu dignos. Luſitanus genere nobilis vita palam infamis, dedecorabat patriæ ſuæ nomen, omni flagitorum turpitudine, nec valebat Berzeus è ſacro ſuggeſtu in vllas inuehi criminum ſpecies, quin is ſibi & contra ſe dicta interpretaretur. Quare illum miſer & igni & ferro (quod ſcribit ipſemet) inſectabatur implacabiliter, nec demiffionis vllius officio quantumvis affabili, & amico perſuaderi vñquam potuit, vt vel occurrentem, vel requirentem alloqui coram admitteret, inſinaturum videlicet aliquid de Deo & animi ſalute; lethale igitur & inſanabile væcordis carcinodes rapiebat ruentem in certa exitia, niſi ei Berzeus feciſſet ſumptuoſa ſua impenſa medicinam, jejunijs, cilicio, prolixis per noctem precibus, & cruenta ſui verberatione à Deo petiit, oculorum conjectu propitio infelicem animam dignaretur: tenuitque hic labor octiduum, cum ecce Luſitano clauſis foribus ſuo in lectulo jacenti, adeſt hora poſt mediam noctem prima P. Gaſpar Berzeus, vultu & manibus ſplendore fulgentibus quo colluſtrabatur vndique conclaue, oris autem tam pulchro habitu vt divinum aliquid præferret: adſtabat huic ſocius, quis vel quo cultu, à nemine proditur, accedit vterque propius, ſpectantique cum metu, & miranti ex aduerſo conſiſtit; incipit ſocius, conceptisque his verbis; cur, ait, peccator, confeſſionem ſacram apud P. Gaſparem non obis; intentoque in illum digito, non vides quanta pulcritudine

critudine sit? hic cernens aspectu mirè amabili de fixos in se Berzei oculos, lecto exiliit collo brachia injecturus, & laxaturus linguæ officio animi ardorem, cum eodem momento videri desit, socio remanente addenteque jam dictis, Patrem ab eo in nosocomio repertum iri, ubi ad rem sacram ægrotis faciendam compararet sese, post quæ hic item ex oculis abiit: tanti beneficij magnitudo in scelestissimum hominem, & Patris erga se, quamvis ab se pessimè habitum profusissima caritas, ejusque comitis (qui credi alius non potest præter genium illius aut Patris tutelarem) salubre, & dulce monitum, tantum ei dolorem scelearum inusserunt, ut fletu, gemitibus, execratione vitæ præteritæ noctis reliquam duxerit, morulas singulas dum illucesceret velut annos ineutans. Moxque servum jubet festinatò ad Patrem currere, enixè obsecrans, quantocius adesset; haud quidem fastu illius potius adeundi, sed ne sui tam cito spectaculum lugubre aliis exhiberet, ictum vero divinitus animum semotis arbitris, solus cum solo explicaret; intranti domum & visi fortassis quo perculsus fuerat ignaro, jam totus alius ad pedes procidit; eorum gratiã quæ salutis suæ causa egerat testatur lacrimis, quam ore proluxius; objectam sibi speciem illi ordine describit, orat injurias ignosci, quibus consiliaria pessima, animi sui prauitate toties illum violauerat. Complexus dolentem Berzeus, flentique illacrimans, hortatur magno animo sit, & clementiæ divini inuitamento adeo singulari studiosè respondeat. Inde ab negotiis seuocatum, dies aliquot sacris meditationibus occupavit ad vitæ totius instruendam exhomologesim, ex qua apud eundem obita, sibi tam dissimilis euasit, ut magis antiquæ, ac perpetuæ probitatis religiosum gereret, quàm improbitatis nuper abjectæ Christianum; excellebat tamen insigni aduersus pauperes benignitate; scribebatque de illo Berzeus ducatos aureos quater mille quingentos, in eos erogasse: alium quendam à Patre in viam reductum haud scio an Deus in ea stabilire voluerit, an auertere ab ea dæmon: penso cuidam in pœnam delictorum injuncto, de media nocte dum satisfaceret, videt horribili colore, ac forma bestias probe obseratum in cubiculum sese obrudere, illudque momento implere, cursare, strepere, sursum deorsum furere, sibi que propius extremam perniciem commuari, vociferabatur interea miser tremens, sudans, & minime ambicens, hos esse dæmones bestiis laruatos, formidabatque ne se ad inferos ventem raperent, cum nihilo mitius pergerent, illi exitium intentare donec tandem coram saluatoris effigie projectus, obtestatione, ac promissione vitæ in posterum emendatæ, dæmones abegit: pauendo tumultu velut ædes susdeque ruerent, turbide eruperunt; ipse quasi ex funere rediuiuus, mores ut Ormuzio scriptum est, induit tam sanctos, quàm facinorosis antea vixerat: quæ duo memorauimus, lætum alterum, alterum horrendum, teo pertinebant, ut diuerso clementiæ vnius argumento duorum animus fieret melior; at iis qui sequuntur duobus, longè carius stetit sua in Dei seruum salutariter monentem proterua: milites ambo,

& ambo scelerati, Berzeoque tam dire infensi, vt jactaret alter, occursum se solum libentius in primam aciem hostilis exercitus, quam in P. Berzeum, loco quinetiam eodem quo ille, non sustinuit hæere, vsque adeo certò, induxerat animum se ab eo pulpitum seandente pro scopo præfigi, in quem tela omnia mitteret reprehensionum & inuectionum. Quare nauim impurus cum ea cui consueuerat in Indiam conscendit, malens incommodius alibi viuere, dum æternum à Berzeo absens, quam conscientie torquentis perpetuam illic subire quæstionem. Sed enim scelestum sua fefellit peruersitas, plusque valuit apud Deum precando ad salutem miseri Berzeus; quam is ad accersendum sibi supplicium, præfractè animum in suis flagitiis obstinando: nauim attigerat malè terræ precatu in qua non dabatur placidè insanire, cum febris corripitur vehementissima, cogiturque vel nolens terram repetere, vbi pergente in rabiem morbo, terrore cœpit implacabili conturbari; quicquid etiam leuiter obstreperet, armatos credere ad se confodiendum missos; ex arce cum nauibus in portum delatis, salutem reddebant tormenta aeneæ; tum vero in furorem agi velut in vnum se laxarentur: digna fatui dicti pœna quo affirmauerat, se peius Berzei aspectum metuere quàm exercitus hostilis: sic aliquamdiu edomitum, & phtysim emaciato corpore jam olentem respexit diuina pietas, sibi que restituit; crimen suo in supplicio agnouit, atque vt erat cadaueri concolor, & adhuc febriens ad Patrem adrexit, ejuque se versandum permittit arbitrato, vita demum omni pœnitentiæ veræ purgata piaculo, valetudinem breui pristinam recepit, vixitque deinceps Christianis moribus & exemplo. Medicina haud multum absimili, acerbæ, sed salubri, furiosum Præfecti cuiusdam ingenium ad Berzei preces sanatum est: erat nobilitas hominis clara, sed rixosa & effera indoles omnibus infesta, & flammæ capitalium irarum inter quamplurimos fouere amans, vnde is publicis odiis passim obnoxius, ac nisi semper crudo satellitio stiparetur, instar canis rabidi faxis à populo obruendus. Multa egit dixitque Berzeus, vt cum iis quos ipse offenderat, amica pace illum conjungeret, quibus tantum abest vt quicquam promouerit; vt etiam ab illo conuitia & minas, caritatis suæ præmium reportarit: cassis itaque remediis omnibus, instanter apud Deum egit, medicinæ loco febrem illi immitteret validam, quæ deiectione exhausti corporis animum sanaret: precationem vix clauserat, cum statim Deus ratam fecit. Febris acutissimæ vorax flamma, sic venas homini incendit, vt sibi videretur damnatorum ignibus ardere; quod illi conscitum cum esset, ad mutandam, non ad tollendam vitam, mortem sibi ex morbo persuasit instare, metuque inferorum vehementi concussus, febris vt erat medullas coquente exæstuans iubet se ad Berzei pedes à famulis portari, à quo incredibili caritate inter brachia exceptus, mente primum purganda curatus est, peccatis ritè, dolenterque cum illo expiatis; corpori deinde sua rediit valetudo, rogante Berzeo febrem amoueri, suo pulchre

chrè defunctam officio; fueruntque hæc mutati hominis læta initia: post vero quam potuit ingredi, manu prehensum, inermem & incomitatum, circumducere per urbem Pater, suosque ipse cum illo inimicos, qui sanè magno numero erant, domesticatim requirere, singulos demisse veniam, pacemque poscere, complexu & osculo gratiam integrare: quod multis excussit lacrimas, urbemque acerbissimè inimicam, & in necem illius sparsis latè insidiis intentam reconciliauit illi vniuersam, alioqui paucos intra dies perituro, nec tot arma & odia, nisi fuga occultissima vitaturo.

Verum his quorundam lamentabilior, & sæuior casus in quibus Deus vindicta duplici terroris exemplum edidit, vitamque hanc miseram improuisis extorsit, negato ad æternam parandam quod spreuerant spatio. Primum fors infelicissima petiit, rixis & contentionibus famosum, vlciscendi libidine inextinguibili amentem, si cui tandem esset, nullo personarum discrimine offensus; idcirco in magnas multorum inimicitias semper trepidus, & armatus. Tentauit sæpius ferocem animum Berzeus, demulcere & dandæ veniæ argumentis omnibus mitigare; quæ cum in vacuum mitterentur, sancienda fuerunt duriori flagello monita. Morbo afflictus terribili, ad extrema breui redigitur: accurrit Berzeus, ratus huic item, vti & aliis mentem aduersis factam sanio-rem, suadet, hortatur, nihil omittit quo posset rabiosum ad donandas iniurias emollire; morte præsertim ingruente, & repetitura mox seueras vitæ præteritæ rationes: promeriturum quoque hac humanitate suorum veniam criminum, quam Christus Dominus ore sacrosancto, in Euangelio certam promisisset. His fastidiosè nauseans bestia, & efferacior in iras & vindictam, insaniam vomere non verba; jurare nec pacem, nec fœdus admissurum; vltionem velle & sanguinem; abiret Pater in malam rem, proculque abisteret, frustra se femineis cantionibus ab eo terreati; si Deus nisi parentibus veniam non daret, ejus se flocci veniam facere, vt qui decreuisset nemini parcere; malle se vltum iniurias ad inferos mitti, quàm inultum probrosè in cœlum ascendere. Hic facturi præfagus, nimium verax, Dei seruus, completam scelesti malitiam, desuper cognouit, prædicensque imminens obstinato malum, vt tute vis, inquit, ita sit: non ibit crastinus ad medium dies, quin tu clamore quinquies iterato, confessionem flagites, nec eam obtinebis, quibus dictis recessit, nec aliter ac ipse denuntiauerat factum est: Postridie siquidem mortiferis oppressus accessionibus, & jam deficiens, sero tandem; sed frustra magnis vocibus confessarium poposcit, inter quas miser, miseram animam impiatam efflauit. Præfæcti alterius longe quoque isto terribilior extitit vltimus vitæ actus, quippe diu pridem inquinatissimæ, atque ob tres Mauras propalam infamis quas multos jam annos tam impudenter habebat concubinas, vt libertate, cultuque vxorio prodirent: erat hoc ramentum inter ejus scelera minus intolerandum præ ore sacrilego, quo Deum, & sanctos horrendum in modum & ipse

18.
Morres ob-
stin. in suis
pecc.

proscindebat, & alios idem ut facerent docebat, nouarum militibus inventor, & magister aduersus numen contumeliarum auditu atrocium; falaci denique turpitudine quadrupes, & lingua cacodæmon: luce frui hoc monstrum tandiu patiens Deus fuit, dum spes suas in eo corrigendo Berzeus, industriamque consumpsisset, nam expeditione in Persidem indicta (de qua nos postea) Ormuzio necessariò profecturus, tam procul abfuit à rationibus animæ computandis, & Deo probandis ut suos etiam milites homo atheus ne hoc ipsi præstarent auerterit, usque adeo nihili habuit supremum belli, & salutis æternæ discrimen. Versabatur in castris sanus, & si unquam valens & vegetus; verbisque ut consueuerat in Deum execrandis contumeliose bacchabatur, cum vibrata in damnatum caput vindicta, quanto lentiori, tanto grauiori pondere incubait, repente in terram velut fulguris ictu percussus concidit vnaque nec motu, nec verbo edito impiam animam euomit: quo puncto temporis, cælum antea serenum tam atra circum obuoluit nubes ut adstantibus, mutuum conspectum eriperet: inde tam densa tonitrua, fulmina, ventorum turbines, & eluiones imbrium, ut summa instare Calamitas crederetur. Sed ponant funesto argumento finem collectæ in fascem eorum clades qui Dei famulo salutaria suadenti proteruè obstiterunt. Florebat Ormuzij pietas Chistiana, & fructus laborum mirè gaudens Berzeus metebat vberrimos, cum adsunt ab India milites ducenti, Garzia Sa Gubernatoris imperio illic in hibernis futuri, lues ex vitiis omnibus & facinoribus si usquam alibi concreta, ut militarium scelerum fœx omnis Ormuzium confluisse cum illis videretur. Egrè aduenerant, statimque alieno, pro se quisque, admoliri manum, furari & prædari, velut urbem vi captam diripiendam accepissent: præterea ad hæc, cædesque assidue iurgantium inter se & cum ciuibus militum, & projecta omni verecundia effrænis, palamque volitans libido; silente interea & enerui magistratuum censura, quod arcis Præfectum delinquentium terreret multitudo, sexcentos enim quos illic habebat præsidarios, recens advectorum, ut nimis pronum est, tabes pestifera, eadem scelerum confusione inuoluerat. Dicit non potest Berzei animo quam acerbum dolorem creauerit, illo ex inferis emissio turbine, reuulsa & perdita, quæ tanto suo sudore rigauerat & excoluerat. Ergo crebris ardentem concionibus in aduersum niti; supplicare nudis pedibus ad templa cum aliquot aliis, quos cum illo diuinæ offensæ pungebat dolor; coram Christo in crucem suffixo vim profundere lacrimarum ieiuniis, cilicio, ductisque precando noctibus flagitare, ut ruinæ præcipiti, potentem manum Deus supponeret: Et planè auditus è cælo est, sed graui reorum supplicio visusque est Deus loquenti suggerere quo pacto esset ejus desiderio facturus satis. Nam cum aliquando infueto feruore dixisset ad populum quam inestimabili pretio censeretur deberent, quæ animum spectant immortalem ore inflammato & teneriter flens, queri cœpit cum Deo, & incusare jam non ultra ferendam illorum nequitiam qui pacem Ormuzio, pietatem,

pietatem, ipsamque tantum non Religionem Christianam, lætè prius
 florentem expulissent: Dei esse hæc damna quæ dæmon intulerat sarcire:
 eorum auctores obcalluisse ad sua monita, & tanquam rationis exper-
 tes belluas æternis rationibus non tangi: illos ipse tangeret sua mano, suis-
 que flagellis attereret; sanitatem, rem, famam & quicquid carius depe-
 ribant iis eriperet; & quando aliter suis jam instructa flagitiis apud in-
 feros tormenta cuiusmodi essent intelligere nequibant, experimento eo-
 rum aliquo æstimare illa condiscerent: quibus vehementer pronuncia-
 ris ad populum versus, indixit ad ea impetranda ter Pater & Aue reci-
 rant. Meras exisse lenitatis damnarunt nonnulli, quos grauius aliis
 pondus conscientiaæ premebat, ausique suut apud eum querelam depo-
 nere, velut indormiens tot vrbis sceleribus numen excitasset proritas-
 ferque ad stringendum in defensionem sui ferrum: querelas diluit Ber-
 zeus aiens felicitati sempiternæ, temporalem quamlibet iacturam opti-
 mè impendi, seruandæque æternum animæ corpus feliciter perire. Si
 pertimescerent suas minas, in promptu habere quod ab iis in tutum re-
 ciperent sese, ad pœnitentiam maturè confugerent, sic fore ab ira offen-
 si numinis securos: qua ejus contenti satisfactione abscesserunt, nec
 erant ingenio in negotiis animæ ita crasso vt non perciperent ejus dicta:
 verum suis tamen in fordibus perstitere. Sub hæc adsunt è Perside
 nunciij, rebellasse Monagiam & ab Ormuziensi Rege ad Turcas descii-
 vissè; erat hæc in ejus mediteranea ditione arx egregiè munita & solli-
 citis eatenus custodiebatur suspicionibus, quod Regnum ea parte à
 Persis confinibus tutaretur: tunc illam præsidarij milites hosti prodi-
 derant: huic recuperandæ, tumultuariò, (& festinandum vrgebat ne-
 cessitas) militum ad quinque millia rex cogit: addunt se illis auxilio Lu-
 fitani, quibus ex vicina hostis potentia Ormuzium periclitabatur;
 quos illuc in hiberna, misisse Indiam diximus ducenti, se adjungunt,
 & alij totidem haud multo meliores, dum ad profectiõem se accingunt,
 Berzei caritas, cui cœlestis dictabat instinctus eos ad luenda tot sua sce-
 lera proficisci, omni opera contendit, quia præsto erat & sacerdotum
 copia & tempus, animo suo consulere & confessione cum Deo in gra-
 tiam redirent: optare se quidem illis victoriam & incolumem reditum,
 at si Deo secus aliquid placeret, quem essent illic reperturi qui moribun-
 dis confitentibus aures daret? etiam atque etiam cogitarent, se arcem
 aggredi proditorum quos in defensionem sui, actura esset desperatio, &
 si eos vinci contingeret, caro victoribus eorum sanguinem constitutum:
 hæc ab eo, sed quam inutili conatu? Mirum prorsus inter quadringen-
 tos, fermè solos viginti, confessionis piaculo animum purgasse; aliorum
 pars monentem ludere, pars velut ad triumphum, non ad prælium du-
 cerentur stolidè arrogantes periculum spernere, ne præoccupato per
 confessionem mortis discrimine pertinuissè dicerentur; quod Berzeo
 nimio certius cladis omen quam vaticinatus iis fuerat confirmavit, nec
 ipse Pantaleoni Sa, Gubernatoris Indiarum ex fratre nepoti hoc dissi-
 mulavit;

mulavit; prius enim quam ad iter caneret, quadringentos illos secum educturo, & faustam illius adprecationem postulanti, significavit imminentem iis stragem, cuius esset futurus spectator; nec ideo abstinit pius Pater orando, supplicando, seque etiam publicè afflicto, numen illis placabile poscere. Iam applicuerat excreitus, & cinctam arcem premere cœperant, cum obfessi ab necessariis pridem eximie instructi non modo alacriter, quacumque impetum facerent illos excipiunt, sed crebris etiam in apertum eruptionibus fatigant, & nunquam non frangunt, multos sternunt, alios profligant, & qui arrogantia sufflati, procul pugnam, & victoriam vorabant, ex pugna & campo indecores fugam, & receptum in lucro ponunt. Sed calamitosior hac plaga, pestilens morbus milites inuasit, breuique ex Europa aduectis quinque supra quadraginta peremit, nullo Sacrorum remedio, nullo solatio animi procuratos, ac ne asini quidem sepulturâ, disiectos huc illuc reliquos sternebat lues ut quemque vires defecerant & passim per agros mactum de se spectaculum dabant. Demùm vero tunc frustra, emortuis vocibus inclamabant oprimum suum Patrem cuius sero perspecta bonitate, longè absentis ope carentes interibant: nec erat profecto lupremis illorù defuturus malis, quorum auditu excruciabatur, & pœnas sibi voluntarias cumulabat, sed Xauerij vetito tenebatur ne se Ormuzio moueret, vbi tamen haud multo post reduces excepit; nam lue diutius & latius grassante, destituti planè subsidio ægroti, nauigiolis in urbem reuersi sunt: atque hic novus ex miseris eorum sensus; viro sancto in littore cum piis aliquot sibi addictioribus conspecto vocem ut poterant, interpunctam singultibus tollere, appellare cum gemitu & ploratibus Patrem, decussatis ad pectus brachiis ejus misericordiam implorare, velleque ipsius ad pedes projici, & absque vlla mora de peccatis ab eo audiri, mortem se jam nihili pendere, postquam mori dabatur inter manus optimi parentis: Verum eo numero cum essent, in extremis plarique, quorum paucis diebus centum extincti sunt, par esse vnus non poterat singulis: quinque igitur sacerdotum, qui Ormuzij agebant auxiliariam operam rogauit, quam etsi libenter detulissent, mirum dictu, nemo omnium fuit, qui vellet apud eos peccata deponere, tametsi docerentur eo necessitatis articulo, parem esse ad peccata soluenda sacerdotum omnium potestatem, tam criminose de illis ægroti sentiebant, & fuere in iis adeo occæcati, ut maluerint petire impiati, quam confitentes ab iis audiri: quod ij sacerdotes quam agrè tulerint, non possum melius quam Berzei verbis explicare. [Tempus, inquit, modumque captauit boni omnis osor & hostis dæmon, serendi ut solet lolij; vrbis sacerdotes concursus æmulatione, quem ad confessiones, piaque opera mirabantur questi sunt apud me, negaruntque fas esse suorum in Christo filiorum confessiones vel à me excipi, vel se saltem in partem operis non vocari: causam iis non sum ausus proferre, cur eos cuncti refugerent, malentque confessionis expertes mori, quam apud illos eam deponere: vsque

vsque adeo inuisa illorum habebant flagitia: at eum meam illis innocentiam probauit: cum enim inter se rei ejus fontem communi consilio quaesissent, vltro per se ipsimet denique statuere, Spiritu sancto agente rem geri quem Deus Societati affunderet ad hoc ministerium iucundè atque vtiliter penitentibus impendendum; sic absque stomacho abierunt, meque majori etiam quàm prius reuerentia prosequi cœperunt, hæc de ore illorum Vicarij accepi.] Ita ipse Berzeus, cui de cœtero levandis corporibus haudquaquam subsidia piorum deerant, nam ait fuisse cubiculum suum instar apothecæ, foliariis salgamis, condimentis Saccharariis, & istiusmodi dulcariis refertæ, præter quæ à Præfecto impetrauit sua ægrotis militibus exsolui stipendia, quibus recreati sunt plurimum. Sed in necessariis animorum versabatur totus; quodque simul tam multis, vnus fat esse non poterat noctes insomnes atque operosas iungebat diebus, biduumque interdum omni planè se cibo fraudabat, iis tamen præcipuam præbebat operam qui periculosius laborarent, nec Præfecti rogatu, aut primariorum auelli se ab iis sinebat, ad visendos ægrotos, & saucios nobiles, sed non ita discrimini propinquos. Detinebant illum potissimum positi in extremis, euenitque non raro vt ipse medius alterum audiret confitentem; erigeret alterum & consolaretur, animam agentem: cumque illum tam multi accerferent, accedentis ad lectum propiusprehendebant, stringebantque manum ne se desereret; coacti vero ad alios currere pariter moribundos, discessu flebant, & lamentis prosequerentur abeuntem. Tam ærumnoso & perpetuo labori, par miraculo est naturam fuisse non imparem, nec vitam tot perpeffionibus consumptam: hanc quidem nihil propius abfuit, quam vt alia causa ei eriperet: miles phrenitide, morbiq; impatientia correptus lecto exiliat, seque strictum in ensen parabat induere: aduolat Berzeus ictum auersurus, & extorturus ferrum è manibus; quo furiosior ægrotus & moribundo vt erat robustior, fauces ejus inuadit, premitque tam valide vt prope strangularet: nox erat media, conclamabant reliqui ad opem ægroti ex famulis aliquos, quod mouere ipsi se lecto non possent; Christus ait Berzeus mihi præsto succurrit, & miles paulo post obiit; arbitratus sum dæmonem tentasse me vita priuare, sed fuit Christus ad seruandum, quam is ad nocendum potentior. Fluxit integer mensis iuuandis corporibus animisque miserabilium militum, & cadaueribus humandis: inde se penitus in preces effudit exorandis è cœlo auxiliis ad recipiendam arcem Monagiam, & sarcendam lusitanis iacturam victoriæ honoris, & securitatis: supplicationes itaque integrare ad pium Deiparæ sacellum sesquimillari ab vrbe distitum, procedebant nudis pedibus vniuersi, sacerdotes accensis funalibus, pueri & mancipia decenti ordine, grandi numero Christiani ex quibus quinquaginta flagellis se ipsos cædebant, stans spatii Berzeus, de Deo aliquid ad populum dicebat, sed eo ardore, vt voces rumperent, quibus multo cum fletu diuinam vocabant misericordiam. Mouere preces & lachrymæ cœlum & longe, si vnquam, ab

omni expectatione, certis nuntiis Ormuzium perfertur, incruenta victoria, imò absque multa dimicatione, arcem quo pacto vix scitur, expugnata ad Regem Ormuziensem rediisse; atque hinc licuit non falso conficere, illam ejus breuissimi temporis jacturam eo tantum spectasse vt militaris illa sanies Ormuzium purgaret, in qua præter alios censebantur non pauci, suis è cœnobiis ab Europa in Indiam profugi, vt vitam ducerent quam solent apostata; fuit item cum sua Berzeum eximia caritas erga ciues lue pestifera contactos, probauit sui immemorem, & quouis periculo majorem. Populabatur urbem pestilentia febrium quas anni illius immensi æstus induxerant, desinebantque in mortiferum lethargum eam ob rem necessitatibus supremis succurrendum erat sollicitudine tanto acriori, quanto & latius saniebat lues, & confessionum vel puncto temporis dilata remedia, sera erant & inutilia, malo quoque accessit quod laboriosi numeris, pondus omne in illum incubuit, vno è sacerdotibus defuncto, reliquis ex morbo jacentibus, præter quos illum Vicarij etiam publicas vices supplere oportuit.

19.
Sanctitas
discip. Ber-
zei.

Sed quas Berzeo molestias, gentis illius scelera & pœnæ imponebant, recreabat Deus multorum accessu, qui præter vulgarem Christianorum probitatem, ad gradum virtutis sublimiorem anhelabant; mirabatur tot esse qui Societatem expeterent, tam multos parentum qui filios suos in eam ad scribi optarent, eamque Dei largitatem prosequeretur gratianimi festa laude: & acceperat quidem à Xaverio potestatem cooprandi quos nancisceretur vocationis nostræ spiritu instinctos, verum ex multis agrè duodecim admisit, numeri enim hujus dimidium statuerat secum in Iaponiam ducere vt iis ad Iaponum, & Sinensium institutionem magistris, nostrorum vice vteretur; lex alios ab se idcirco admissos contestatur ne obniteretur diuino spiritui à quo manu duci videbantur. In iis adolescens, audita ejus in foro concione, Dei, & sanctimonie amore sic inflammatus est, vt rem omnem suam adeoque, & vestes pauperibus donarit; exinde seminudus, nuda in humo, crucis cuiusdam ad pedem cubans, victitans ostiatim rogato. Hunc cerebro motum garriebat vulgus; ego inquit Berzeus sapientissimum, & virtute præstantem; ac jure id quidem, ad eum enim cum venisset Societatem petiturus, rogauit quamprimum in Persidem mitti ad prædicandam CHRISTI Fidem, & mortem pro illa oppetendam nec tantis ausibus alios desiderabat apparatus, quam obedientie sanctæ nutum & meritum, alius pariter post habitum publicè sermonem de ferenda cum CHRISTO in Caluarium cruce, descendens pedibus se palam abjecit, cupidus & ipse sua cum cruce illum sequi, & quocumque tandem ipsi libuisset ab eo mitti efflagitans, inter CHRISTI hostes sanguinem, & vitam profuturum. Præter hæc juvenem offendit dissolutum, qui ludens fallente alea iratus, Deum sacrilegis vocibus pergebat lacerare; hunc tanta vi Spiritus diuini, culpæ admonuit, vt penitudine subita statim prociderit arguenti, contenderitque per Deum fletu, & lachrimis

vt se ab sæculo vbi peribat eriperet; velle se cum illo, & viuere & mori: secutusque est illum adeò constanter vt ab eo nunquam discesserit. Mascatae quin etiam, quam esse diximus felicis Arabiae oram maritimam; quidam eo illac transeunte ad Christum conuersus, Ormuzium literas ad eum dedit, quibus ita se illi deuouebat, vt vellet cum eo vitam traducere, donec cum eo similiter in candenti crate, lenta morte animam expiraret; cuius voti pignus, præter facultates quibus abundabat, mille ipsi tradebat aureos, quos in egentes diuideret. Mirabilius annorum septuaginta senem post peccata semel apud Berzeum deposita, suauitate captum cœlestis spiritus quo exuberabat, non potuisse vnquam ab eo diuelli, sed bona vxoris, & filiorum suorum venia, præceptori optimo adhæsisse, domo eadem utebatur, negabat vsquam nisi apud illum se pacem animi & voluptatem reperire; affectabatur quocumque isset, præstolabatur ad illorum fores quos confessionis, aut morbi causa inuiseret, sperabatque se in Iaponiam ab eo ducendum vbi tandiu cum ipso degeret, dum vnà cum ipso, martyr occumberet. Agebant hi omnes, & alij quidam (de quibus nihil ad nos peruenit distinctius) in nouo Collegio S. Pauli, quod in cœnobio Pauli olim Iogui, nuper Christo adjuncti, statutum fuerat, tenebantque hanc in communi vita rationem. Ex his designabatur qui cœteros hora ante solis exortum excitaret, sequebatur meditatio diuinorum & sacrum; inde prælectio literaria vsque ad prandium, quod hora vna antecedebat meridiem: à sumpto prandio conscientiae examen, & aliquanto post iterum schola in seram vesperam; rum cœna, sub cœnam litaniarum cantus, denuo altera meditandi hora, denuoque examen: postremo somnus. Sexta feria in templo memores Christi patientis dabant piæ flagellationi vltionem manum; dominicis, ac festis laxabant animum, sacris per horam noctu colloquiis, maxime de arte tentationes improbas expugnandi: priuata sui diuexationes continuæ, in publico crebræ, mendicare per urbem, ægrotis in nosocomio ministrare, verba facere Saracenis & eiusdem generis aliæ: ad martyrium denique fingebantur, cuius tantopere desiderijs feruebant, vt perpetui essent in Arabia, Perside, Æthiopia prehensanda, vbi adducendis ad Christum populis, vitam pro Christo cum sanguine funderent: nec erant hi summi virtutis euanidæ, & parum securi roboris, quales ferè tyronum, qui spirant grandia formandis animo imaginibus pugnarum quas se fingunt pugnare aduersus ethnicos, concionando conuincendo, & lentis mortibus dura explendo martyria: papæ! quanta generositate? longingua scilicet, forti que in solis pugnarum simulacris animo præceptorum: hi vero Berzei alumni, domum sapius gestientes redibant, quod lapidati à Mauris, quod faucij, quod mille ab Iudæis & ethnicis quibus Christi doctrinam prædicabant, contumelias referrent. [Verum (subdit hæc narrans) quis nos separabit à caritate Christi? prorsus nihil sentio quod nos ita confirmet, vt cupiditas, multa pro Christo patiendi, & mortis præsentia semper ob oculos obuersans.] Sed aduertere vsus est, nisi

quem diu multumque explorasset, ab eo inter nos ad missum neminem, quò tum ipsi probarent an essent in Societate ad mortem duraturi; tum ipsa Societas certior fieret, an essent ejusmodi, quorum excellentia animi & virtutis, vocationi tam arduæ sat esset. In quo digna sunt obseruati nostro quæ tyroni egregio respondit, illi qui Mascata, vt dictum est, Societatem ab eo petierat. Tibi, ait, sum auctor, (quando ex me id rogas) quod Spiritus sanctus tibi suadet, exequaris absque vlla mora, nullum siquidem fallit, sed vnicuique ad æternam salutem, viæ duces se præbet qua illum Deus incedere voluit. Magnas certè ob causas ad Societatis institutum te vocat, ob quas vel totum, si tuus sit, mundum spernere debeas: addis cupere te vehementer, vbique mihi indiuiduum comitem fieri, etiam si res feret, in craticula subjectis ignibus, nos torrente. Pulchrè in vniuersum hæc & valde magnificè; reipla & facta vt essent processura, haud satis liquidò dixerim. Multum crucis imago meditationis coloribus in animo picta, dissimilis est à vera martyrij cruce: placent omnibus horti & arbores, dum vere floribus, ætate fructibus ornantur; hieme non item, & cum est in eorum cultura laborandum: haud secus in diuinis; eorum mirabilitate, & pulchritudine facilè homines prolectantur; difficultatem consecretantur ægerrimè, Christi crucem putant suis humeris nimium grauem, nam si genuit Christus sub ejus pondere, & in Ierusalem compitis sub ea concidit, nobis miseris, in hac calamitosa vita quid quæso futurum? oblectant nos cruciamenta martyrum pia mente versata, sed tyrannis si coram sistamur ea experturi, mutata facie, acerba mox fiant & intoleranda: virget enim tunc famis præsentia, sitis, ignominia, contumeliarum, nuditatis, ludibrij, egestatis, verberum, mortisque aded, de quibus sacer vates, *propter te morificamur tota die estimati sumus sicut oves occisionis*, quarum mors pluma non pluris fit. Quare antequam inde, vbi adhuc es tuus, ed transeas vbi tuus non sis, nec ad mutandum vitæ genus liber, prudens consilium adhibe, ac perpende, vtriusque quid mali, quid possit boni tibi obtingere, vt cum cæperis, viamque inueris, re nulla terrearis, vel retro cedas. Cogita seriò quæ tibi de nostra Societate subjungo ne queri postea suppetat, fuisse te in vllò deceptum; (Dehinc exposita fusius vortorum religiosorum natura & excellentia, sequitur &) scis, ait, his locis eiusmodi sit Societatis nostræ labor, & opera: primus inter nos, vltimus nostrum est: mihi esse socius qui auet; manet hunc prorsus arumnarum eadem mecum perperessio: non est discipulus super magistrum: ne te tamen hæc tanta laborum asperitas à cæpro deiciat, conabor te iisdem erigere quibus efficit Deus vt illos ne sentiamus quidem: sumus & ipsi homuli & tibi consimiles, magnos ergo animos assume, nam qui omnia potest in omnibus, & benignus est erga omnes, tibi quoque vt nobis robor sufficiet tenendi constanter propositi. Primo igitur ad obliterandam criminum nostrorum, & perditarum voluptatum quas deperibamus imaginem, describamus nobis ob oculos mortem pessimam impio-

eum;

rum; tum exigendas nostri à Deo rationes pro verendo illo & summo tribunalali, supplicia denique certò pro peccatis luenda. Secundo loco exempla Christi apostolorum & martyrum, omniumque sanctorum reverenda sunt crebra recordatione, ad perseverantem illorum imitationem exprimendam: decet enim seruos non esse Dominis, nec filios patri decolores: quis nos separabit à caritate Christi? non fames, non sitis, nec lassitudo, nec ipsa mors. Tertio prospicienda est gloria beatorum & nostra, quæ non est alia præter Deum. Frui ejus aspectu & amore cum choris mentium beatarum, explere oculos videndo illo, audiendoque aures; os, mentem, memoriam, voluntatem, laude, intelligentia, recordatione illius & affectu; sensuum singulos propriis castissimisque delitiis. Illic vita interitus nescia, valetudo, diuitiæ, satietas, gloria, morborum, egestatis, famis & tædij æternum exilium, Dei enim possessor in eo possidet omnia, ut vice versa cui deest, plane nihil possidet: infelix qui eo exciderit, qui possederit æternum Beatus; Amen. Hinc vides cur mundus nihili nobis sit; morique optemus, ut conquiescamus in Christi sinu, auersemur autem & abhorreamus quicquid ejus obsequio non confert, quo vno gloriamur; omnium egeni, omnibus in Deo affluimus; in seruitute Obedientiæ libertate gaudemus, quanta hominum nemo; viuimus enim jure arbitratoque nostro, cum Dei ex natu viuimus, quod vnum cupimus & ambimus; cunctis amabiles castimonia nos facit, pellucet enim ex ea diuinum quid, expetuntque nos sibi angeli socios, & serui Dei fratres: omnes diligimus, Deum in primis, post, in illo tamen, & proximum. Eduntur inter nos omnium virtutum exempla illustria & crebra, quæ se crucibus & sudoribus occultant, suntque ejusmodi ut si possint ab hominibus intimè cognosci, mundum nemo vel aspectu dignetur,] nonnullis ad vltimum stylo eodem expositis, [si te his, ait, conditionibus socium mihi offers, ne recusem me cogis, imo ut excipiam, multumque complectar, laboris hic socium, & illie gloriæ sempiternæ cum eo utique Domino, qui distenta in cruce brachia, nulli hominum claudit: qui tibi suo spiritu illuxit Deus, idem tibi dux esse pergat in via veritatis, teque in perpetuum stabiliat. Amen.] Hos ad perfectam virtutem spiritus, ab iis Berzeus exigebat qui ad Societatem accederent.

Certe quidem ex dictis clarum est, fietque dicendis etiam clarius, ejus morem viuendi haudquaquam fuisse ab documentis dissimilem, & si Berzei virtus modestia tulisset, has omnes regulas, potuit hac vna concludere, nimirum viueret ex norma quam ab se teneri cerneret; hoc est præscripto religioſæ absolutæque sanctitatis; cui minimè quidem tunc primam incubuit cum missus in Indiam, vidit absque illo virtutis apparatu, sustinenda illi expeditioni se fore impari; sed ab ingressu in Societatem, affectiones sæculi vniuersas, seque adeò ipsum penitus exiit; deditque jam tum peculiare hujus indicium. Reuisebat de more Vlyssipone Conimbricam Simon Rodericus, ad excitandum subinde ardorem sanctum in

20.

Berzei virtus
adhuc novitij.

in nostris iuuenibus quos illic multos educabat Societas; hortabatur tyrones ut infanti IESU, cuius prope aderat natalis, munus aliquod pararent, maxime vero expeditum promptumque animum ad literati, aut laici gradum quemlibet adamandum, quem qui praeerant assignassent. (Tunc enim ferè ad sacerdotium vel temporalia, indiscriminatim Societati nomen dabant, variè postea prout usus doceret applicandi, dicebanturque Indifferentes,) obtulit Berzeus infanti Christo & Simoni Roderico, contestatusque est hoc scripto hanc suam mentem. Non veni ad Societatem ut seruos haberem, aut delicias quaerem, sed Christum crucifixum, sequeretur illum in sancta Paupertate, Castitate & Obedientia, ut ab initio promisi. Dico igitur & voueo, in Reuerentiæ potestate me penitus fore, ut siam adiutor Patrum Professorum Societatis IESU, siue ad culinam, siue ad euerrendam domum, ad opsonitandum, ad perferendas quocumque gentium, Christianorum, Turcarum, Ethnicorum, Maurorum & hæreticorum; ut summa Dei gloria fuerit literas. Pari modo in nomine IESU CHRISTI, R. Vestrae nutibus me totum mancipio, & cuiusuis alterius de Societate, ad Obediendum & ministeria quælibet, domi foris in Domini gloriam, erga ægrotos obeunda, lepra, peste, carcinomate, lue quauis infectos, nullo quoad me morborum discrimine; ad peregrinandum præterea, in quasuis, quatumvis longinquas regiones, Indian, Æthiopian, Guineam, vestitu paupere, famis, sitis, æstus & frigoris imbrum, niuium, & cuiuscumque alterius ærumnæ viatico, ut R. Vestra, seu qui præfuerit ejus loco factu optimum iudicabit. Nec esse desidero professus, nec desiderio illo tangi, salua semper Christi Domini voluntate, & R. Vestrae iussu, si quid forte aliud iusserit, & hæc omnia promitto coram Domino nostro, & gloriosa Virgine ejus matre voueoque me illa obseruaturum perpetuo, & quam perfectissime potero, volo autem non minus hoc me voto obstringi quam si foret solenne: quare omnes beatos suppliciter obsecro, gratiam mihi viresque impetrent ad hoc tam sanctè quam cupio tenendum, donec mortem & hanc quidem in cruce oppetam. Ita comparatus, R. Vestrae manibus vice Christi me trado, ut me libere utatur in quoduis Dei obsequium, cui opto perpetuum seruire.] Sed hic tam humilis de seipso sensus, eius meritis nequaquam obsuit, ex infimo quem legerat gradu, in summum euectus est Professionis quatuor votorum, quam ei datis Iunij vicefimo octauo, anno 1553. S. Ignatius destinabat, & modo quidem singulari, nam cum alios quinque Xauerij arbitrio cederet, Berzenm solum nominatim signabat, sed harum appulsam literarum mors ejus anteuertit, ejusque dumtaxat virtutum memoriam nouo testimonio coronarunt: in tantum surgebant sanctimoniam apicem Berzei principia, paucorum mensium tyronis! fuitque hoc opus Exercitiorum S. Ignatij, quæ Deo tantopere hominem inflammant, ut exaresceret in eo fibra omnis cognata *pharisaica*, quam pauci virtutis amatores quantum decet coercerent; extinguunt vero paucissimi, hoc est

verè

verè sancti. Equidem haud negem tulisse ipsum è seculo virtutis initia minimè vulgaris, magnique pendenda in adolescente secularibus occupato, cuius sit argumentum quod Vlyssipone Sebastiano Morales hero suo dedit. Visus huic erat nescio quid negligentius curasse, ergo iratus præter omnem modum, non tantum convitiis, sed etiam fustibus eum oneravit, dum iram cædendo saturasset: bonus juvenis ad verba, & verbera nullum perturbati animi signum dedit, nihil excusavit aut indignatus est; sed horis aliquot interjectis, hero sui jam compoti & tranquillo se sistit baculum tenens quo contusus ab eo fuerat, & eccum ait, pari libertate & modestia, eccum mi Domine baculum, cape, licet nunc, & si reus sum ad libitum plecte, quando jam tuus es & pacatus, neque is ego sum cui culpa placeat, displiceat pœna: rogem hoc solum ut castigaturus in posterum famulos, rationem adhibeas consiliariam non iram, ne fiat tibi errore quem plectes correctio ipsa damnosior: quibus herum facti pœnituit, & esse consideratior didicit.

Ibat tertius laborum Ormuziensium Berzeo annus, quibus etsi perinde angustum coleret & difficilem agrum, ut si foret orbis compendium, nec esset unquam inde abiturus, verum in Iaponia & Siniis nunquam non desiderii vagabatur quod se aduocandum Xaverij promisso nouerat sperabatque illic martyrio positurum, & venit tandem euocatio tamdiu expectata, non facta modo proficiendi facultate, sed profectio-
ne etiam imperata: Nouembri enim anno 1549. Cangoxima Iaponiæ vrbe has dedit ad illum Xauerius literas. [Tuorum concius desideriorum, & ardentis in animorum salutem studij, peculiariis vero ad has regiones Christi fide imbuendas, mihi quoque hoc persuadeo, parasse te illa virtutum præsidia quibus quod tantopere optasti in opus conferas, humilitatis potissimum. Quod majori vestro merito ut fiat, vobis P. Gaspari, Baltazari Gago, Iacobo Caruallio in virtute Obedientiæ præcipio, nisi debilitas corporis obstabit, simul in Iaponiam vbiicumque fuero me conueniatis, Meaci verò Deo dante futurum me puto. Vos porro Baltazar Gage, & Iacobe Carualli, in eo itinere P. Gaspari parebitis cuius prudentia, & moderatione confido plurimum vos ut maximè decuerit regendos. Et quia non possum de aduentu vestro dubitare, perspecta vestra celeritate ad parendum, & sacrificandam illi vitam, quæ suam pro nobis perdere antenertit, supersedeo pluribus; expecto vos, & magna spe teneor vestri, Deo fauente reuifendi.] Par votis extitit tam longum dilatis lætitia gestiens, actio gratiarum & amoris accessio, quiduis agere, & pati anhelantis in obsequio Ecclesiæ; conuersione ethnicorum, & explendo vocationis tam arduæ nomine. Scripsit ad nostros in Europam, ut secum Deo gratias agerent, & quasi assignatæ sibi ab Xauerio prouinciæ sustinendæ, parciore foret commeatu quicquid Ormuzij mirabiliter egerat, nouis cœpit officiis insudare, virtutis heroicæ, quæ Euangelicas operas ad expeditionem tam arduam perficit: interea dum mare aperitur, quod sexto quoque mense in Indiam patet.

H Sed

21.

Vocatur à
Xaverio in
Iapon. Berz.

Sed enim ciuitas sensu longè diuerso perculsa est, cognita parentis optimi quæ prope aberat iactura. Tametsi enim multos recrearet qui se illi putabant fore in Iaponiam comites, idque pridem vehementer poscebant, verum alij omnes, ne audire quidem de illa poterant. Quibus aliud quoque superuenit, quod profectio Berzei in ambiguum redacta grauem illi creauit molestiam. Illuc Antonius Noronius classe inuectus expedita, bis mille armatos duxerat, insignem aliquam in Mauros cladem portans. Goa eo consilio venerat, legebatque tacitè in Sinu Arabico locum impressioni opportunum. Dum illos moratur post bimestre indicta profectio, quingentos Berzeus audiuit contentes spatio dierum quindecim, subinde reliquos. Sic vt tam intenta duorum mensium opera, vix illi duas ad nocturnam quietem horas relinqueret, ad capiendum verò, tertio quoque die quantum morti arcentæ cibi opus esset, quartam horæ partem. Sed difficultatis summa classis in bellum ituræ discessus intulit: negabat Noronius, negabant ejus duces & milites se vela facturos nisi comite Berzeo, ad eò animum ad ducendum illum obstinarant; id Dei, id Regis obsequium poscere, fore illum vtrique obnoxium, si rem tantam sua destituisset præsentia; nec valebat apud illos excusatio literarum quas ab Xauerio exhibebat, seuerè iubente vt in Iaponiam se conferret, interpretabantur enim Xauerium si præsens adesset, cessurum præsentis necessitatis articulo; ac ne quo vel tenui vellicaretur scrupulo Obedientiæ infringendæ, causam doctis probisque permitteret, quo iissent eorum sententiæ, fidenter & ipse illò iret. Fuere ij de vrbis Clero, alijque nonnulli, à quibus in vtramque partem res disputata est. Iudicatum ex voto Noronij; debere Berzeum suspitione quauis errandi posita, morem illi gerere, & exercitum comitari. Denuntiatur illi eorum sententia additurque fore vt si pertinaciùs obstaret, vi adhibita eò traheretur; quod tam insolens factum auersurus iis denique manus dedit, sic tamen vt oppositum à Deo quantis valuit lacrimis, & precatione contenderet, instaurato etiam, vt scribit ipsemet, Obedientiæ suæ voto, dolenterque compellans *Domine vim patior responde pro me.* Et plane adfuit compellanti Deus, classe anchoras tollente febrî acuta corripitur: iis cruciatibus adjuncta quibus ad extrema deductus, nullam spem sui medicis reliquit, ita spe quoque illius vehendi Noronius excidit. Quare Catifam versus (quam ab eo captam haud pridem narrauimus) cursum armaque intendit, dato suis negotio, vt si forte illi meliuscule fieret possetque mare pati, statim ad exercitum deferretur. Verùm is morbum, Dei vocem ratus qua significaret, nullius prætextu rationis, discedendum ab Obedientiæ præscriptis; & voluisse se doluit, & voto se obstrinxit, nullius se vnquam persuasione auocatum iri ab destinato in Indiam reditu. Moxque ab hoc voto, mulier indigena ejus intravit cubiculum & jacentis miserta, quod vltro spondebat, illum triduo sanauit. Eludenda restabat importunitas nauigij ab Noronio in portu relicti ad illum si conua

conuasceret euehendum, sed is catè adeò & solerter male vrgentes circumduxit, vt persuaserit F. Andream Fernandes virtute præstantem potius secum eueherent, vt pote rei militaris experientissimum, ante Societatem initam ducis officio sæpius in bello functum, & in naualibus præliis felicem; expugnanda tandem marte haud minus difficili obiciebantur vrbs exubia, ne cum Noroni; recepta Catifa Goam repetente conscenderet, præter quas etiam indictæ nautis graues pœnæ si quis illum admitteret in nauim; ipse Noronio fauente qui se tanti viri comitatu beatum sperabat ad belli conatus quos meditabatur, vim illam omnem, & diligentiam industria peruenit. Iussis enim portari quam occultissimè in Prætoriam donis quæ in Iaponicam missionem piorum obtulerat largitas, (ea vestes ad sacrum pretiosissimas cum suppellectili reliqua ejusdem splendoris continebant fueruntque Xauerio in Sinas vsui) media nocte clam cunctis ad nauim cimba delatus est, & ante primam auroram Ormuzio soluit nunquam postea reuifendam, illud Dauidicum lætus canes, *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.* Ex iis duodecim quos ab eo diximus eruditos haud plures tribus comites assumpsit, nam ex iis quinque obierant præstantissimi iuvenes, summaque expectationis, nisi nimio feruore extra modum abreptos longius, dum volunt magistri labores & pœnas corporis, clam ipso æquare grauitas ponderis oppressisset. Cæteros reliquit ad noui Collegij curandas primitias, quas Gonzalo Rodriguez tradidere in Berzei vices Ormuzij aliquanto post succedenti, sed hic siue discessus seu fuga Berzei momento urbem implens, incredibile est quanto mœrore omnes affecerit, Regem, populum, ipsos infideles, & sedandis eorum animis, quam parum valuerit, quod suos discipulos promittere ciuibus iusserat, non defuturum illis de Societate affectu in illos non imparem; virtute ac scientia majorem; nec enim posse putabant fieri vt sibi quisquam obtingeret, nisi longe illo multumque inferior; præterquam si, quod extra spem erat, Xauerius veniret. Nec profecto a iusta errabant, viri tanti æstimatione, rerumque ab eo triennij spatio mirabiliter gestarum in liberando, excolendoque agro, tot vitiorum vepribus horrente; nec obliuiscuntur qualem reperisset, & cernebant qualem discedens relinqueret tradit ipse ex multitudine piorum operum; ex commotione audientium Dei verbum, ex largâ in egenos, multorum erga se ipsos parsimonia, religionis cultu, vsuque sacrorum visum sibi Conimbricæ non Ormuzij agere; imo in media primigeniæ Christianitatis Ecclesia; quod populi bona pars magnis desiderijs flagraret fundendi pro Christo sanguinis. Adulteria, fugæ maritarum, concubinarum cum Mauris & ethnicis, & his magis probrosæ libidines eo venerant execrationis, vt cum antea vbique velut iure proprio regnarent, tunc nusquam aut essent, aut quasi portenta inuisa omnibus, laterent. inimicitia publica pace composita; restitutum æs vltro supra iusti summam; sublata hircines iniqui feceris; ad æquitatem recusi contractus; conuersiones ad Christi fidem

quamplurimæ; remanentibus in perfidiæ cæcitate, insitus tamen amor, & obleruatio legis naturalis. Ad hæc institutio sanctorum operum quibus apud Mauros conciliata veneratio legis Christianæ, quam iis Christianorum improbitas despicabilem fecerat. Erectæ in Maurorum fanis ædes sacræ, hebdomadarij supplicantium processus, & nudipedum & sesqui toto milliari sese flagellis cædentium. Diuina in templis officia ad formæ solennis splendorem reducta; inductus per vicos, & agros vsus Christianæ doctrinæ carmina decantandi; reuocati in melius clerici, & publicorum præfecti munerum, vt eorum non virtute minus quam prudentia ciues regerentur; ad hoc vicarius, qui Societatis institutum complecti auebat, arcis Præfectus, & ex primoribus aliquot, exercitiorum meditationibus exculsi; multi denique in diuinis, eò vsque proveci, vt possent aliis eorum magistri effici, quæ viri apostolici laboribus debentur omnia, cui præter inopinos quibus accersebatur casus, nulla diu nocturne à fructuoso aliquo munere vacabat hora. Festis ad Christianos liberos & adultos, mane habebat conciones, de meridie ad mancipia & pæros, quos tintinnabulo colligebat ipse per compita, vt fuerat ab Xauerio edoctus. Lunæ instituendis ethnicis, diem veneris Mauris dabat, Sabbathum Iudæis, quod essent soliti eos dies ex ritu colere. Christianam doctrinam tradebat quotidie urbem quot noctibus obibat æris sono sopitos excitans ad precationem pro defunctis, & culpa lethaliter faucis, Residuum temporis disputationibus insumebat aduersus infideles; consiliis apud mercatores, de bono & recto negotiorum iure; neophytorum eruditioni; confessionibus peccatorum, ægotantium ministeriis, victorum consolationi & correctioni; sed in turba tam spissa operosarum occupationum, eam animi sui gerebat curam, vt si nihil præterea cogitaret, eo vitæ pauperis & austeræ inflexo, & constanti decursu, vt posset hic vel vnus sufficere, ad emendandam illam urbem.

21.
Labores González Rodriq.
qui Berzeo Ormuzij successit.

Nunc antequam pergo scribere, quæ hinc ad obitum de Berzeo per biennium supersunt, colligendos mihi breui epitome arbitror annos residuos Ormuziensis Missionis ad decimum septimum; quo parè admodum respondens sudoribus operariorum, relicta est aliis qui ejus in se receperant curam, vt alibi nostrorum opera fructuosius locaretur. Dum igitur Goam Berzeus Ormuzio; Goa ejus successor, Gonzalus ab India recens tendebat Ormuzium, magnis veni doctrinæ, virtutumque instructus dotibus, quas in Æthiopia quàm præclare explicuerit reddemus suo loco. Nam enauigãdis milliariibus quingentis supra mille, dies insumpsit quinquaginta, iter nactus iactatione varia infestum. Diuersis interim nauarum circulis concionabatur quotidie, & mysteria fidei tradebat, commodabat ægotis operam, quos solent infausta nauigationes semper multos habere; sub serum diei frustum panis, & aquam mendicatio rogabat; viatici enim secum nihil tulerat, præter Deo confisam paupertatem qui suorum inopiæ nunquam deest. Sic anno 1551. Ormuzium

Ormuzium attigit, Decembris octavo, quem immaculato Deiparæ conceptui sacrum Ecclesia colit. Vix naui exscenderat, moxque ad pedes Vicarij accidit osculatusque manum reuerenter, vicissim ab eo, & cæteris clericis humanissimo complexu exceptus est. Biduum apud se Vicarius manere voluit; vnde in nostrum S. Pauli secessit Collegium, etsi erat potius quale ipse describit ad contemplationem Solitaria, quàm ad iuvandum Euangelicis laboribus populum Collegij habitatio; quapropter in urbem quotidie sub auroram compellebatur descendere, vbi proximo statim dominico primam habuit concionem in illud ex Euangelio tertio Aduentus; *Ego vox clamantis in deserto*. Ejusque in pulpiti ascensu ita Deus linguam, & ingenium mouit, vt qui vix alias ad dicendum, publico commiserat sese, exinde sapius quotidie diceret, verum earherorices qua spiritus sanctus mentes informat peritia; vt ei ex prima illa concione cordatissimi auditorum statim occurrerent, & gratularentur illis verbis. *Tu es qui venturus eras, & non alium expectamus*; etsi Berzeo assueti, parem illi putassent neminem. Cæterum eadem vtriusque gesta cum fuerint, non morabor in iis repetendis lectorem. Tantum addo Gonzalum magnitudine famæ principio territum, quam illic ingentem sua viro sancto merita fecerant, recreatum nihilominus laborum suorum secundis processibus, & conuersionibus animorum crebris, etiam quorundam quos sibi à septem, viginti & pluribus annis, cruenta odia, vsuræ immanes, & scædæ libidines manciparant, & mirum non est post diligentiam Berzei, illic etiam repertos, ex confuso scilicet omnis generis hominum affluxu, commeantium illuc perpetuo, mercaturæ & negotiorum causa. Sed Gonzalo æquè cordi nihil fuit quàm vt Ormuziensis Regis pristina desideria inflammaret, adduceretque illum tandem, ad pervincendos rebellium metus, quibus se tantopere inuitum professus fuerat teneri, ne à Mahometo discederet. Verum quoscumque tentauerit aditus, quicquid consilio suo, de exhibenda Regi veneratione prætexerit, nunquam valuit pedem in aulam inferre. Arcis quin etiam Præfectum sensit sibi hæc in re aduersari, nouis subinde difficultatibus injectis, seu quod turbas timeret, siue quid aliud spectaret; haud tamen abstinit conatibus vltimis Gonzalus, prolixam dedit ad Regem epistolam, qua illum sermone, styloque arabico vehementissime hortabatur, æternum regnum, temporariis præferret vniuersis; nedum Ormuziensi suo exiguo. Sed qui literas redderet vel inventus est nemo, vel qui ad eas responsi aliquid reportaret, fuitque postrema hæc etiam viri contentio inanis, qui multorum licet æquaret operam, sed ne oneri solus tam graui succumberet, missus est ad eum laborum adiutor F. Aluarus Mendezius feruentissimus & ipse Berzei alumnus, & robustæ naturæ ingenio, molestiis quibusuis perferendis non impar, mirandum dixerim quod ei testantur euenisse ipsimet qui spectabant Mascate Ormuzium, lintre gracili transibat, breui nempe spatio dissitum. Incurrunt in illum Myoparones pyratice quinque, velis

& remis incitati. Flexis confestim is genibus precatur ne veller Deus in eorum se manus incidere, auditurque ex templo tam liberaliter, vt toto ventorum, & remigij impeta pyratæ, ne palmum quidem promouerint, quo illi in furorem acti, rem telis agere vt si possent eminus figerent, sed qui hunc noluit ab iis capi, multo magis vetuit occidi, veræ retro sagittæ, in mittentes, euidenter redire cernebantur, velut manu aduersa retortæ, à quibus intactus Aluarus, & per eum nautæ Arabes, salui applicuere Ormuzium. Illic præter suauissimam vtrimque animi voluptatem, inter se munera partiri. Disputatio, concio, factorum administratio, eruditio cathecumenorum penes Gonzalum esse; ministeria agrorum & vinctorum; institutio puerorum & similia, ab Aluaro retineri.

Sed hac mutua ope jucundissimi contubernij diu frui non licuit. Sub Augusti finem anno 1552. trepida jam esse omnia instantis belli suspicionibus; jam classis Turcica nauium plurimarum oberrans circumspici; triginta hic, alius sexaginta aut viderat, aut putabat vidisse, provt suis cuique oculos fingeat timor. Reipsa multum à tanto numero aberant; sed fabricabatur earum tanta vis in portu Suezio, in extremis Erithrei maris ad septentrionem vt de Ormuzio actum videretur, nisi opificum incauta solertia eas mari aperto ineptas condidisset, quod vbi experientia patuit, abjectæ sunt velut inutiles ad eam expeditionem. Ormuzienses interea necessariorum sollicita comparatione præstolabantur obsessuros, haud quidem urbem tutaturi, nec situ nec arte munitam; sed arcem solam in quam confugerant Christiani, dum Mauri mercatores, in Christiomen ad freti fauces cum re omni sua migrant, quanquam ob arcis angustias, & aquæ com meatum pro tanta multitudine parciorum, quadringenti armis inutiles in tutiora mediterranea missi, Minam, siue alio nomine Magostam Saracenorum fœderatorum urbem deducti sunt, milliari non plus tricesimo à mari: Ductorem iis, procuratorem, iudicem & omnium arbitrum, ac patrem præesse voluit Præfectus F. Alvarum Mendesium, cuius recurret alibi mentio; Gonzalum in arce retinuit, obsessorum iuvandis animis & erigendo, tunc maximè terrori: Omen enim sinistrum ostentabat, arci recta impendens cometes, et si aliud non erat præterquam igneus ex insula vapor, quem æstu intolerabili, & valdè insolenti, vna cum vento velut ignem spirante inflammatum cœlum extulerat. Sed imaginario terrori accessit longè implacabilior, cum certis compertum est nunciis, sexaginta vix leucarum breuium velari tractu captam, & euersam Mascatem. Ad eam exercitum cum admonisset Peribechus, vel factit aliqua hujus virtus, vel ejus potius cui credita fuerat Gubernatoris ignauia, nulla prope dimicatione se Turcis dedit conditionibus inhonestis vitæ dumtaxat saluæ ac liberæ, Duci & Lusitanis sexaginta qui eam propugnabant. Sed fidem iis fregit barbarus, eosque secum arce solo æquata in seruos abegit. Post quæ victoria tumidus Ormuzium flecit. Quinquiremes viginti, & Gauo

Gaulos cataphractos duos ad litus applicat Septembris nono & decimo. Exploratum in urbem Turcas mittit ducentos qui habitatore vacuam percursant, expilant, triremes duas, ad summum refecti auri agentique immenso pondere, pannisque pretiosissimis, Prætoris barbari de præda partem eximiam. Arcem postridiè subductis in terram bellicis machinis, terra marique, aggreditur stringere, jubet septem locis tormenta vibrari & diu noctuque explosione assidua arcem quati, ejusque præcipuè munitissimum propugnaculum, verum etsi canni sesquipedalis tubi, & grandes basilisci fulminarent, vix globi muros attigerant, cum cassis ictibus resultantibus cadebāt, siue murorum hæc esset firmitas, siue imperitia libratoris globos, & puluerem ex interjecto spatio inique ponderantis; vel quod obsessis persuasum mansit, Deus perniciem ab iis auerteret. Vni quod aebam propugnaculo majori tam densa tempestas ingruebat, vt caput in defensionem proferret nemo, quin statim mortuus efferretur; donec scientissimus ex arce librator, acie tam docta collineauit in decumanam hostium machinam, vt inducto in eam globo, ineptam vsui prorsus efficeret: instaurata est quotidie per duas hebdomadas igniaria hæc arietatio. Nec vnquã tètata impressio. Sed Peribeclus ab suis astrologis infaustã minantibus territus si ad Ormuzium moras traheret longiores; & Lusitanorum confidentia fractus, qui se ad nongentos è muro canteriatas armatos catapultis, cum toto machinarum armamentario ostendebant, collecto in naues milite, vel fugæ vel receptui cecinit, & Chesiomen vela fecit, vbi multis tum peremptis tum captis; rem omnem prædatus est Arabum mercatorum qui eò perfugerant. Inde Bassoram ad sinus ingressum, postea Mecham vertit, demum aut Cairi, aut Mechæ in patria (nam in hoc scriptores dissident) Bassæ jussu, pro rebelli magis pyrata quam duce, supplicio capitis vitam clausit. De se Gonzalus etsi nihil scripserit, sed qui erant in arce Lusitani, mira de illo retulere, ac se quidem Berzeum si adhuc Ormuzij fuisset pro belli Duce optaturos, sed eius virtutem admirandam ita in se representare Gonzalum, vt alium non desiderarent, vocabantque arcanum sanctimonie thesaurum, cuius excellentiam pretij, aduersa temporum luculenter probarent.

Dum hæc Ormuzij geruntur, Magostani F. Aluarum Mendesium, sua quoque calamitas, & discrimina exercent. Quos cò deduxerat quadringenti, viri, feminae, pueri, omnes de infima, & egena plebe, nulla satis consolatione leniri poterant, tum quod sua omnia Turcis diripienda reliquissent; tum quod pulsi magis quam missi; ad gentem diuertissent, esto quidem amicam verum Saraccnam, hoc est fidem suam ex suis commodis exigere solitam. Accepit humaniter Magostani præfectus imbellem turbam, cuius pars maxima de suo victitabat; reliquos Aluarus pecuniolis vtcumque alebat, quas Lusitanorum misericors pietas dederat abeunti. Sed nihil æquè hominem vexabat, vt infelicium illorum rapax improbitas qui cum ferme vna promiscuè viuerent, alij aliis paucillum id quod ad victum

25

Labores, & patientia F. Aluari, & P. Antonij Erodiæ & finis Ormuzien. missionis

victum haberent, auferebant; ex quo rixæ inter eos & pugnæ, & qui-
 bus diceret, qui conciliaret diffidentes, præter Aluarum nemo, à quo
 erat necesse tam accurata cautione, censuram acerbam in refractarios
 moderari, vt inhiherentur quidem à peccando, sed pœnæ impatientia
 non agerentur in peiora: erant enim assiduæ illorum minæ, eiuratos se
 religionem, & Maurorum ritui accessuros, quod in desperabundis, &
 inter Mauros, non erat dictu, quam factu procliuius. Eam ob rem stu-
 dere vario genere pietatis haberet illos occupatos; memorare sæpius
 aliqua de Deo, multas quotidie horas infumere in explicanda illis fidei
 doctrina. Sed vbi perlatum de classe Turcica Ormuzium premente; pa-
 lam mox strepere, tumultuarique indigenæ, offensi pridem quod Ma-
 hometo deuota vrbs, Christi nomine ac mysteriis personaret; minari
 apertè, atque insolenter se post quadriduum tum ipsi Aluaro, tum eius
 mendicæ quadringentorum coloniæ capita demessuros (arcem enim
 scelesti expectabant vix per quadriduum fore Lusitanam) enimvero in-
 dignum & intolerandum, homuncionem suis obnoxium gladiis, & pro-
 pe mancipium, inter se ritum quem execrabantur, haud minus libere,
 audenterque iactare, quam si versaretur in media Christianitate. Oc-
 cursurus furori perditorum, & gregis sui incolumitati cauturus Aluarus
 Miramasciamo arci præpositum, conuenit, rogauitque sibi vt pergere
 liceret, suis doctrina solita imbuendis, molliuitque tam benignè ani-
 mum barbari in ejus sententiam Deus, vt minaretur capite luicurum,
 si quis suorum Christiano cuiquam fecisset injuriam. Sedata hoc metu
 plebe inimica, en nouæ pepello stolido, ipsis à Christianis turbæ. De-
 prædatione Ormuzij audita, arcisque illius obfessæ angustiis, vsque
 aded animos abiecere, vt sua quisque à tergo cum sarcinula se Aluaro
 sisteret, certus in interiora vrbium remota fugere, non dubio à Mauris
 aut seruitutis, aut religionis, aut mortis periculo. Hic prudens Alua-
 rus, ita se dicendo atque illos in omnem partem egit, vt desperatum con-
 silium tantisper omitterent. Nuntiatum interim Turcarum Ormuzio dis-
 cessus, cunctisque jam in reditum lætis, noua iterum sæuit calamitas,
 qua & ipse tantum non periit, & quos ducebat vniuersi. Solet quotan-
 nis medio Septembri Magostani, corrupto cæli tractu quodammodo
 aër putrescere, veneni vis morbo in omnes animantes nedum in ho-
 mines funditur: caput petit primum, & cerebri vsum, post febres inducit
 peracutas; causam indigenæ stellam volunt cujus ad meridiem exortu,
 cernas armenta, & pecora incessu vacillare tanquam vertigine affecta.
 Sive autem maleficio ejus stellæ, seu conditione soli pestifera vitietur
 æelum, toto certè Octobri & Nouembri, lues annua grassatur, sensitque
 illam cum suis Aluarus quo dempro cum paucis omnes ægrotarunt, ipse
 omnibus medicus, & curator fuit; præter quatuor infantes, & femi-
 nam nullus interiit; tandem alacres vniuersi ductore optimo præeunte
 remigrauerunt Ormuzium. Sed post cladem à Turcis acceptam, infelix
 ciuitas, habitatore tam raro colebatur, vt qui biennio post eam vidit,
 familia

familiarum vix duo triaue millia numerarit, cum esset antea innumeris
 ciuibus summè frequens. Nec duobus his operariis propterea defuit
 quo occuparentur supra vires, quare diuturna tum perpeffione, tum
 anni caloribus labori nimio maxime infestis, ita ægotarunt, vt nunquam
 valuerint ministeria omiffa repetere, sed necessario fuerint Goam reuo-
 candi. Submissus in eorum locum P. Antonius Eredia cum F. Simone
 Dauera; hi anno 1553. Maij vigesimo subiere Ormuzium, post discuf-
 sam ventis à Deo impetratis malaciam, quæ ad vltimam famem illos
 redegerat. Stabat tum etiam nostrum S. Pauli Collegium ab igne per
 obsidionem semel & iterum in illud coniecto, incolume & dictabant
 ciues S. Paulum, suo ense domum suam fortiter defendiffè. Eo se nostri
 contulere. Sed cum ab vrbe distaret plurimum, dum it redit per solem
 sibi infuetum & vrentem Eredia in morbum incidit ex quo ægte admo-
 dam euasit, coactusque est ciuium precibus in urbem transire, vbi cu-
 biculo paupere juxta nosocomium habitauit, relicto Collegij custode
 pio heremita vitæ solitariæ cultore. Illic Eredia ad continuatos quin-
 quennio decessorum labores addidit puerorum scholam, quos legere
 docebat & scribere, adhibebatque ad Christiana opera communi bono
 adjuvanda. Regis quatuor concubinas à Mahometo ad Christum tra-
 duxit, multos desiderio incensos vitæ sanctioris transmifit in indiam,
 nomen religiosis ordinibus duros. Multas partim à turpi consuetu-
 dine, partim ab ejus periculo abstractas, honestis matrimoniis collocavi-
 vit. Effecit vt vellent Christiani regionem vrbis incolere à Mauris &
 Iudæis seiuncti, cum mixtim antea iisdem omnes ædibus habitarent,
 magno & fidei, & morû dispendio. Secuti sunt illum, institeruntque ipsius
 laboribus multo plures, quam quidam scriptorum referant. Habent
 certè illorum tot nomina Ormuzienses nostræ tabulæ, vt longum sit ea
 describere, cui numero causam dedit, infesta externis soli eius, & solis
 natura, religiosis potissimū, quibus deerant laborum, & æstus leuamina
 indigenis ferè communia: proinde illic morari diutius nō dabatur absque
 valetudinis, aut vitæ iactura, fuitque plane mirum Erediam annos quin-
 que inter eas ærumnas vivum illic egiffè, quæ alium quemuis quinque
 mensibus confeciffent. Duos nobis mors abstulit, vnus oculos amisit,
 reliqui morbis ad extrema deducti, depositique à medicis tam profligatis
 viribus, & nativæ temperie mansere, vt Goam reuecti nunquam exin-
 de valuerint. Quamobrem de vita pro animorum salute deuonenda
 cum ageretur, par erat inter nostros Ormuzij, & Iaponiæ ac Molu-
 censium pretium, nisi quod Ormuzij avarè operi, conuersionum fructus
 respondebat, nec martirij nomine mors illic obita censebatur. Hic fuit
 per nostros Ormuziensis agri cultus ab anno post sesqui millesimum 49.
 ad 68. quo Goæ publici confessus decreto cautum est ne in minoribus
 Lusitanorum arcibus agere sinerentur, nisi vno tantum ex Ordine reli-
 giosi: cumque Ormuzium paulo ante Patres Dominicani adueniffent,
 is Pater Quadrius nostrorum in India Prouincialis libenter loco cessit;

quanquam, & ipsi in ea statione haud diu haesere, vt suos alibi apud Indos vtilius occuparent.

24.
Berzei Goa
Ormuzio
reditus.

Nunc Berzeum sequamur Goam redeuntem: vehebatur gaulo praetorio cum Noronia summo classis praefecto, sexcentos eadem ferebat nauis, qua nautas qua milites; pone minora nauigia, reliquam partem victoris exercitus. Dierum quindecim vt solet nauigatio futura sperabatur, sed per feras ventorum marisque tempestates, & exitij vltimi crebra pericula, Goam applicare non licuit, nisi mense altero exeunte postquam Ormuzio soluerant: Creditum id, Deo factum miserante, vt Apostolici viri studio efficaci, tum illa naualis militia emendaretur moribus magis christians a quibus plurimum aberrabat; tum vt oris quas transursu radebant, breuis eius mora, multum salutaris inferret compendij: Nam de his quidem Gonzalus tradit, Berzeum quocumque pedem immitteret pietatis sparsisse incendia, quorum aliqua postmodum vestigia cernemus. Sed multo felicius in ipso exercitu, in quo prauam dissidendi, ludendi, iurandi libidinem, pace, religiosis operibus, & diuinis laudibus mutauit. Concionem habebat quotidie, ad hanc summa e puppi praetoria signum tubis dabatur, quo demissis antennis remisque suspensis, nauigia omnia praesto erant, cimbalque iactabant, qua primarios quosque de singulis audituros dicentem, in gaulum deferrent, id enim gratiae Noroniam rogarant: qua porro messe sementis haec fieret, intelligatur sane vel ex eo quod militum duces, & nobiles, interque hos duo non indocti, se illi vitae non modo socios propense obtulerint, sed discriminum, & acerbitatum qua in conuersionem Iaponia haurire properabat. Transliebat inrer dum in alias naues, subleuandis earum aegrotis, poenitentibus audiendis, instituendis rudibus, & remigibus, simultatibus placandis, & quaedam ibidem officia praescribentem quotidianae pietatis. Maseaten primu in Arabia attigit, bis illic sub dio concionatus est concubinatus multos Christianis mutauit nuptiis; inter alios, ad amicitiam primarios nobiles reuocauit duos, factiosis pridem, & cruentis verimque inimicitis fauientes: Hi luce palam spectante populo, complexi mutuo, & deosculati, teste sacro Euangelio amicitiam iurarunt, non modo in perpetuum fidam, sed etiam fraternam. Inde Calaiatem, post promontorium Rosalgates; Goam versus flectendo, arcem Diu, ac demum Bazainum cum aliqua vbique praeteruerti mora, nonos vbi que animarum quaestus ex Berzei concionibus viderunt. Bazaini dum aquatur classis inuitat illum in myoparonem egregius Christi operarius e tertio B. Francisci ordine ad visendam gentem quam non ita pridem Ecclesiae sanctae adiunxerat; aduentanti obuiam procedunt, excipiuntque cum palmarum ramis, & cantibus, singulari veneratione. Tanam sub haec descendit, vnde illi quoque magno supplicantium agmine, & festo tubarum concentu occurritur. Illinc recreatis publico sermone ciuibus, ad inspiciendos Chiaulenses Christianos pergit, qui eius audiendi longa expectatione tenebantur: venienti occurrit honoris gratia

tia cum clero populus, omiffis quos in eum diem sanctis omnibus sacer-
 dum, adornarant, Ludis Cannarum, & Taurorum; rogant ne gra-
 uetur de sacro pulpito audiri. Excusat prudenter duorum presentiam
 quorum alter Vicarius, ambo religiosi muneribus, & concionibus ci-
 uitati operam nauabant. Verum vrbis praefectus cum eius caetero ma-
 gistratu tam assueuerant illi confirmavit nullum eo die concionatu-
 rum, vt se id facturum tandem receperit. Peragebatur solemniter sa-
 crum, collegerat ipse se, versandis animo quaerere dicturus, cum ad-
 est à Vicario nunciis, veluti percusso, & exostulante, quod se vsque
 Ormuzio, ac sui ordinis homines, detrusum venisset è suggestu tot
 iam annos legitime possesso. Conturbatus, & dolens eorum molestia
 Berzeus; Praefecti iussa dictaque protulit; obseruantiam erga illum
 suam eiusque Ordinem professus, addidit quicquid querimoniae depel-
 lenda religiosa humilitas, & caritas similibus in causis suppeditat;
 haec in populi aures momento dissipata, ex offensione grauissima in tu-
 multum exhibant, nisi Vicarius iteratis ad Patrem muntiis, etiam
 atque etiam rogaret, si quid sibi bene ac suis vellet, concionaretur
 libere, & quicquid ipsi dedisset molestiae, ex animo poneret. Berzeus
 itaque, ne proritarentur ciues in Vicarium acius, aut videretur eius
 querelis ictus, roganti paruit, vsusque pulpiti opportunitate, acceptae
 molestiae iniuriam vltus est, vt ab Christianis fieri condecet, multoque
 amplius ab religiosi, beneficio scilicet pro illa repenso. Laudauit enim
 illius ordinem, magna & sincera sanctitatis, & doctrinae commenda-
 tione. Non expleuit ciuium piam famem haec vna concio; discumben-
 ti cum Sacerdotibus maioris Ecclesiae qui conuiuam habere voluerant,
 adest è magistratu primario, qui reliquorum nomine flagitat, ne vrbem
 repulsa mcestam relinqueret, velle ipsum prius quam se desereret denuo
 audire, iam concurrere populum, & ne templi excluderetur angustiis,
 erectum aperro in campo suggestum. Prolixè Berzeus officium conatus
 depellere, ne offensionem nouam praerberet materiam; vbi nihil obtinet
 excusando, Vicarium adit; manum de genibus demisse osculatus, sup-
 plex orat, conscenderet ipse pro iure pulpitem, seque ab ea populi
 violentia per Deum eximeret; sed enim Vicario, id illi dare non licuit
 adsint illico caeteri magistratus; contestantur se velle Berzeum, non
 Vicarium audire; deberi hoc pietati suae, meritis viri sancti, speratis-
 que ex eius sermone vtilitatibus quem essent postridie amissuri, non
 posse hanc sibi negari consolationem. His pressus angustiis Berzeus
 argumentum dicendi à Vicario petiit quod is tractandum susceperat,
 eoque accepto statim in pulpitem euasit vbi videas rem totam admini-
 stratam diuinitus vt viri Apostolici conciones, non elaborati eruditio-
 que ingenij, sed diuini Spiritus agnoscerentur dictata esse. Eos enim
 exciuit illa concione motus animorum, ea peccatorum detestatione ac
 dolore vastum illud auditorium versauit, vt plorantium fletu perpe-
 tuo, & misericordiam poscentium elatis vocibus interpellaretur assi-
 due

duè dicentis oratio. Quòd autem cernerent haudquaquam ab eo impetratum iri, vt in Iaponiam ex Obedientia accersitus, ibi diutius hareret, circumstetere illum mox è suggestu dilapsus, cleri, vrbisque primores flexo genu cum lachrimis obsecrantes vt S. Sebastiani aedem facram, & annum redditum Societatis Collegio fundando admitteret: Satisfecerat ciuium pietati, & pernoctaturus apud duos illos quos diximus cœnobitas secessit, magno illos affectu, & crebro complectens, magna & ipse humanitate ab iis habitus; pedes illi & tribus quos ducebat tyronibus abluerunt; cœnam secum capere voluerunt, postque mutuos de Deo sermones comitati sunt ad discessum, ipse gaulum Bazaino appulsum repetens duarum spatio hebdomadam Goæ portum intrauit.

25.
Goæ Berzei
labor fru-
tuosissimi-
mus.

Non poterat vrbi opportunior hic eius aduentus contingere; eò enim solemnibus iubilæi promulgandum diploma peruenerat quod Xauerij precibus ab summo Pontifice obtinuerat Ignatius: eius indicendi Berzeo prouincia creditur, quem sancte & mirabiliter gesta Ormuzij, Goæ ab iismet qui viderant celebrata effecerant ciuibus amabiliorem: magisque venerandum quam triennio prius cum inde abscederet; Ergo illa culparum indulgentia, ne sanaret modo præteritas, sed anteuerteter futuras seria emendatione, argumenta quotidianæ concionis in illam omnia designauit, & in varios vsus virtutis vitæque Christianæ; qua fruge? inde breui olim est scripto comprehensum, Goam nempe tunc, omnis generis perditorum conuersionibus innumeris, & pœnitentiæ publicæ duris, & tristibus exemplis, repræsentalte conuersam Niniuem. Addit alius qui testis, & pars operæ fuit, in promptu sibi ex vero asserere, ex quo cœpta concedi iubilæa, nusquam tantas populi commutationes in melius; tam crebra, & aspera vulgari ob propria scelera doloris spectacula extitisse. Xauerius ipsemet, calentibus adhuc ignis illius reliquiis è Iaponia redux, verba sibi deesse ad Ignatium scripsit, quibus id solum exprimeret quod suis oculis cernebat. Oræque illius occidua regna omnia, boni huius peruasit fama, & ad participandum illud Goam traxit. Quo tempore instituta est à Berzeo illa sodalitas quæ Flagellantium dicta est, & mirum quantum postea contulit ad fouendam vrbs pietatem. Horis ante seram vesperam duabus, sexta quaque feria in templum conueniebatur, ab decantantibus litanias; audiebatur per horam Berzeus in illud Dauidicum *Multa flagella peccatoris* de grauitate ac pœnis capitalium criminum differens vialque præscribens ad ea vitanda idoneas; postremo formas indicans nonnullas piorum operum, & spontaneæ afflictationis, in hebdomadam proximam vsurpandas, cum his post breue silentium, quo quisque in sua commerita reflecteret mentem, resumebat de Christi cruciatibus dicere, & eorum ex aliquo motus ciebat, maximè doloris, & pœnititudinis. Hinc producebatur ex velo, Christi effigies de cruce pendens, cum magna copia lacrimarum, sequebaturque mox flagellatio, prolixæ

lixa omnino, sed pœnitentium ardori tam breuis, vt iis inhibendis non parum negotij esset, cædebant enim seipſi tam crudè vt interdum animo linqueretur, & esse domi quatuor aut quinque ex nostris fratribus oporteret, qui medicarentur eorum plagas. Parciùs visum est instituto tam sanctoquauis hebdomada semel frui; & abnuente prudenter Berzeo, ne sæpius; priuatim familiæ singulæ illud vsurpare; pueri octo aut nouem annorum imitari; matres filiis flagella texere, saccosque aptare quibus tecti, sacram ædem adirent, & manu debili in seipſos sauirent. Quod esse cœteris absque magno imitationis, & ruboris stimulo minimè poterat. Atque hic lubet aduertere quod profuturum sit ad erudiendas eorum molestias quos præclara in Dei obsequium molitos, aut vexat inuidentiæ æmulorum, aut illorum reprehensiones, quorum prudentiæ, animæ cura stultum sapit, damnatque in aliis, quæ per ignauiam contingere refugit. In Berzeum enim & multi, & multa obloqui. Hanc esse nimirum imprudentiæ potius quam feruoris intemperantiam; Goam denique non esse hæreticam, vbi tanta esset vociferatione opus, duarum & trium in diem concionum; diei veneris afflictationem, inconsiderantiæ esse haud ferendæ, & vero non posse diu consistere. Familiaritati nimis domesticæ, & Christi contemptui patere illum Eucharistiæ vsum crebriorem; tanta pompa in dictum, & populi motu Iubilæum, vel fictum, vel dolosum, quod non esset sigillis Pontificiis munitum. Sed horum hominum tota ex luto sapientia, Berzeo verbum aut syllabam sua illa omni coaxatione non expressit, nec animi offensi vestigium. Vnum doluit hanc ab iis prodire quos pecularis officij ratio ad promouendam Dei gloriam haberet obstrictos. Abundè sibi ad defensionem omnem ratus, quod planè nil mouisset nisi de Episcopi, eiusque Vicarij assensu; Christo de cœtero committens vt suam gloriam, opusque cuius auctor esset tueretur.

Florente diuinis studiis in hunc modum Goa, adest è Iaponia Xauerius mensè Februario anni 1552. iteraturus quamprimum in Sinas navigationem. Exin duplex Berzeo lætitia; tum quod reuideret hominem sibi tam intimè amicum, quàm erat illi Apostolica virtutis excellentia similis; tum quod fore se illi speraret comitem, in fines vltimos Orientis, sed contra quàm certo crediderat, fefellit eum spes, Christianæ rei nimium intererat Goæ Indiarum vrbe primaria hominem versari tot Dei donis peculiaribus absolutum; & nostræ priuatim Præsidem, qui Societatem, æmulatione sui sanctè; sapienter sua prudentia regeret, ob hæc illum (quod libro proximò dictum est) Goæ Collegio Rectorem præfecit Xauerius, & suas Prouincialis vices tenere per Indiam iussit: quæ dum ad Ignatium scriberet, lineis duabus contexuit amplissimam hominis excellentis commendationem. [Rectorem ait, huius Collegij P. Gasparem Berzeum constitui, virtute insignem, cœli opibus cumulatam, verbi Dei Præconem eximium, & ciuitati vniuersæ, ac nostris gratissimum] ita vrbs vnus angustiis vastos illos coactus

26.
Nostrorum
virtutem
quam mirè
promouet.

contrahere spiritus quibus incitabatur ad longe vastiora, perinde illic eos exeruit, vt si omnem Goæ haberet Iaponiam, & Sinas: verum procurandæ ciuium saluti haud se tantopere immergebat, vt rectæ nostrorum gubernationi parte vlla deesset. Omnes statim à Xauerij discessu Pasca inceunte dies quadraginta meditationibus sacris exercuit, interiecta deprimendi sui, vario domandique vsu inter singulas meditandi horas, quo paratior ascendente in cœlum Christo vota repeterent, deoque arctius, & Societati iungerentur. Huic votorum instaurationi, horarum duarum sermone prolusit, de beneficioj vocationis, pro magnitudine æstimando, de illius scopo, & necessariis ad illum virtutis & literarum præsiidiis. Cumque huius secessus prolixitas eorum animos non iucundè minus quam vtiliter affecisset, indulgit, vt in sextum mensem illum producerent, seposita interim omni de literis cogitatione. Quibus festo S. Hieronymi resumendis, cum Societatis nondum essent vulgatæ constitutiones, hunc suis dièi ordinem descripsit, vt horas studio septem darent, duas & sesqui meditationi, præter destinata spatia rei sacræ, & examinibus conscientiaë duobus, piis colloquiis à prandio mediam laxandi animi titulo; tantumdem aliquid audiendo de Christi vita & beneficiis quod narrabat: ter demum quaque hebdomada, de aliqua virtute religiosæ professioni maximè congrua, quod diserebat apud illos per vnâ aut alterâ horam.

27.
Berzeus quâ
potens di-
cendo.

Porro nihil æquè ad bonum animorum illi procedebat, vt præconium verbi Dei ad populum, in quo vim planè apostolicam spirabat; diuersis per hebdomadam locis diuersi argumenti conciones habebat quatuordecim & plures; timebaturque de numero illo ne quid remitteret; tantum aberat vt tæderet eundem toties audire. Fuit quando hiems eluvionibus imbrium præter morem effusa, impeditos fecerat ad templum aditus, idcirco è pulpito auditoribus edixit, dum cœlum quiesceret, se concionibus parsurum vt eorum incommodo parceret, sed exitit populi vna vox deprecantis ne faceret, nec esset de ipsis sollicitus, venturos enim se, etsi solum in pluvias corrueret cœlum, & vero dicebatur vulgo; supicionem de se facere mali Christiani qui Berzei concionibus non adesset. Nec erat dicentis oratio ex disertis ingenij, naturæ sponte manans facundia; nec è contrario, arte, & studio curiosius adornata, oblectare animorum fastidia promptior, quàm teporem, & frigus accendere. Depromebat illam pectus Deo plenum, ex Euangelij haustam libro & Christi morientis. Nam cum vigilatas contemplando noctes æternis fidei effatis altè animo imprimendis traduxisset, plus satis deinde horæ dimidium illi erat, vt in concionem illa digereret. Quanquam etiam non negarim, fuisse ad dicendum egregiè natum, nec enim refugit gratia, naturæ vti famulatu. Sed nêrvum omnem roburque suadentis ex interiori profectum spiritu, vnâque ambiens audientium salutem, dictis concolor vita vehementer augebat, sequebanturque inde non ij modo quibus nihil citius arefcit lacrimarum

motus

motus eo dicente perpetui, sed mutationes morum firmæ, ac stabiles, nec raro valde mirabiles. Feminarum ornatus, in luxum immanem increuerat, eique consequens ostentatio sui sacris in ædibus velut prostibulis, vbi grandi cum offensione necebantur oculis amores in adulteria defuturi, at is omnem illam petulantia debacchantis scenam, tam musculofo brachio euertit, vt ne digitum quidem annulo coronare vlla femina auderet, multo minus caput stemmate vnionum, quædam vero mundum muliebrem, thesauro æqualem non minimo, diligenter collectum, fundando cœnobio addixit, vbi cum eiusdē propositij lociis, Deo extra seculum feriret. Multæ virgines, aliæ viduæ castimoniam suam vovo perpetuo consecrarunt: eæ in templis orando assiduæ, nisi sub vesperum ex iis non abibant, & voluntarias pœnas consecrabantur tam cupide, vt confessariis negotij plurimum fieret, ad eas continendas intra fines mediocritatis. Sic viris vnâ libidinis fomitem, & materiam abstulit Berzeus; quorum multi vxores in Lusitania cum haberent, Goæ concubinam, adulterio fidem matrimonij calcabant, ac primùm quidem in istiusmodi feminis ab illo, frustra conteri labor videbatur, sed fortunante conatus Deo, labori quæstus aded respondit, vt earum ad centum, honestati & pœnitentiæ redderet, taceo ludendi, peierandi, iactandi verba in Deum sacrilega, eiusque generis sexcenta improbitatis publicæ crimina, radicibus evulsa; ex eo quod subdō coniectura fiat de cæteris, tam multos, præsertim Christianos, furente illic lucrorum rabie in mutua odia, factiones, lites, homicidia commissos, fuisse ab eo confociatos fida pace, vt semestri tantum à curioso inuestigatore censi sint quingenti supra mille: in quo lepida fuit tabellionis capitalium querela apud supremum Cognitorem; suum illud munus, antea lucrosum; sibi & aliis quatuor, eiusdem officij lociis in nihilum redigi, Patrum id culpa euenire: ante horum aduentum indigenarum rixis, & controuersis, ad tribunal capituli deferri solitis, cum ægrè omnes sufficerent scribæ, duos fere nunc esse eosque superuacaneos, & bonam diei partem otiosi, nisi res ad pristinum redirent, litesque desinerent Patrum industria componi, iis esse pariter, aut vrbe aut officio cedendum. Ad hoc Berzeus ciuitatem in regiones diuiserat suam Patribus qui domi erant singulis assignarat, eique præterea inuigilare certum eorum iubebat numerum quos diuinis rebus imbuerat. Ab his sagaci pietate inuestigabatur de moribus, cuiusque, ac scubi deprehenderetur concubinarius; vindictam moliens, aut alio scelere irretitus, eius & nomen, & domus notabatur, & deferrebat ad Patrem regionis illius curatorem, qui Berzei consilio, & ope in emendationem incumberet.

Sed vnum aut alterum inter tot istas animorum commutationes illustrius eminet. Primum famosi necromantis, qui clusum amuleto quodam circumferebat pessimum genium & colloquebatur cum eo Græcè, ac Latine quod nunquam didicerat, vitamque illam sacrilegam annos iam egerat viginti. Hunc ad vocem Berzei è suggestu dicentis repente

28.

Conuers, insignes, & institutio piorum operum.

penite

pente diuina bonitas perculit; artis suæ damnaræ codices ad Berzeum
 defert, cum toto figurarum, & cantuum quem continebant paratu
 diabolico, flammis absumendum; scelera omnia confessione apud il-
 lum integra expiat, moresque deinceps induit consentaneos execra-
 tioni, & pœnitentiæ criminum in quibus tamdiu iacuerat. Quæstus
 fuit nihilo minoris pœnitentia senis octogenarij, qui nunquam nisi
 sacrilegè peccata confessus fuerat; etsi non inuenio scriptis consigna-
 tum, quo pacto illum pater ad Christianam mentem reduxerit. Sed
 lego de alio, quem cacodæmonis, vt ita dicam manu ad Berzei pedes,
 Deus reluctantem protraxit. Vitabat illum peste peius, quod vellet suo
 in luto & stercore harere, nec ferret monita, suas turpitudines obiur-
 gantis. Noctè igitur decumbentis, & probè vigiliis, fauces manus oc-
 culta inuadit, premitque proxima elidenti, summo tamen, & mentis,
 & vocis conatu Dei matrem implorat, vtque animæ bono, non exitio
 corporis immissa in illum fuerat illa manus, laxari gulam sentit dolore
 tamen in faucibus reside; metuque in mente terribili; dictante confi-
 cientia, dæmonem aliquem mortis illius moras non ferentem, abrum-
 pere illam præfocando tentasse, vt secum animam æternis ignibus se-
 peliret, in hac cogitatione cum indormisceret, en adest in somnis Ber-
 zeus, quærit ex eo placidè, vnde faucium dolor & causâ velut iam
 conscius, responsione omiſsa subridens accedit; cruce gulam signat,
 & dolorem abstergit, quem expèrgefactus miser aduertit vanuisse: sed
 mente recolens quanta contentione, quàm semper irrita egisset Pater,
 vt se in aliquam salutis suæ cogitationem adduceret, non temere cre-
 didit hæc sibi visa ipsius precibus procurata quare summo manè ad il-
 lius procurrit genua, actisque ex animo gratiis, anteaquam vitam con-
 fessione seria apud illum deponit. Hic de Berzei laboribus, peculiaris ma-
 nipulus; subiticio alios publico communes, supplicationes quatuor die-
 bus hebdomadæ totidem addixit: prodibat ex nostro S. Pauli templo
 supplicantium agmen per vrbs vicis, centum fere præibant sodales,
 aspera sui flagellatione, priuata dum student pietati, alienam mone-
 ntes, sequebantur ad tria millia ciuium: ducebant pompam om-
 nem pueri orphani. Horum vnus priusquam templo exiretur, pia de
 Christi doloribus allocutione, in partem illorum aliquam omnes inui-
 tabat, vt eum in Caluariam assertati, comites illi essent in Beatum cœ-
 li Oliuetum. Quæ adhortatio pueri, non erat recitatio dictatorum, ex
 alieno prompta stylo & sensu; Sed proprio, & simplici quidem, at emol-
 liendis animis valdè idoneo. Berzeus enim, complures tum sua, tum
 nostrorum opera collectos pueros Paulo Camerti docendos tradiderat
 erant Lusitanis, & Indis parentibus nati, educabantur ea morum inte-
 gritate, & inuocentia vt obseruarentur in vrbe pro angelis. Hoc inter
 alia habebant pensæ, vt quos temerè iurantes audissent arguerent,
 pulcro sanè Berzei inuento ad inueteratam effuse iurandi consuetudi-
 nem extirpandam, arguebantque tam constanter, vt nemo non illos
 placidè

placide sustineret, accidit ut ex eis vnus conspicatus ludentes audierit alterum, fallente alea, proiecta deierare, & dicta in cœlum maledica iacere: Hic puer hominem fidenter aggredi, metu Dei tam indignè offensi perstringere, inculcare delicti grauitatem: is vero seu vellet amouere à se molestiam, siue puerum experiri, pugillum ipsi aureæ monetæ porrigit, iubens cum eo bene ambulare, nec in posterum sibi vnquam obstrepere, cui puer vultu retorto abnuens, indignatusque se illa tentari esca, respondit quicquid is, quicquid auri mundus possideret, tanti sibi vnquam non fore, ut ab corrigenda linguæ illius impietate desineret quoad atrocibus in Deum iniuriis eam abstineret. Comitabantur iidem cum Patribus, capite damnatos, cum ad supplicium ducerentur; nosocomio ministrabant ædibus nostris contiguo; festis diuini officij canebant Psalmos, ad hoc nostrum vnus peritiam exculsi, licet vero illorum numerus ad nonaginta esset, sed erat eorum pars minima qui adiungi ad eos flagitabant, ac ni forent loci angustiis, aut alia de causa exclusi, nullus Goæ vsquam vlla etiam diuitum, & nobilium in domo resedisset puer, cunctis tam gratum contubernium à Berzeo, enixè, flendoque poscentibus, & obstinantibus non moturos se Collegio pedè, nisi se adscriptos reliquis viderent, quod cum euincere non valerent; eorum saltem inducebant cultum; talarem scilicet candidam, cruce ad pectus insignem purpurea, gaudebantque se aliis comites addere, cum procedebatur ad solita munera publicæ pietatis. Fuerat Berzeo animus orbos parentibus in seminariū cogere duorum, & septuaginta, pro numero discipulorum Christi, apprimèque diuina edoctos, adhibere ad campum Indiæ suis sudoribus irrigandum. Sodalitas quoque ab eo fundata est ad honorandam memoriam virginum vndecim millium (harum enim vnus venerandum caput Goam S. Ignatius miserat) hoc Berzeus altari splendide ornato impositum, multis per biduum concionibus laudauit; seruandas sodalibus explicuit regulas; inuitauit ad dandum inter eos nomen, si qui sibi hanc mentem sentirent diuinitus iniici. Sed tanta illico ad hoc multitudine concursum, ut nullus sat caperet conuenientes locus; primum enim quingenti, & ante omnes prorex; statim vero post bis mille. Nihil fuit Goæ hoc instituto salubrius, quicquid enim potest Christiana præstare caritas leuandis animis, & corporibus opportunum, id suis habebant præscriptum regulis, ex quo tam euidentem consequabatur utilitas, ut sodalitati mulierum quæ suppar huic esset statuendæ, matrona nobilis, & valde locuples quicquid habebat in bonis detulerit.

Hic erat Goæ Berzei labor, felix plane & ferax, hic dignus Apostolo ardor; sed exempli vis maior, totam Indiam peruadebat, vbi nostri omnes de illius viuebant moribus; de illius inuentione, industria, imitatione rem Christi gerebant, cum utilitate non dispari attributarum sibi regionum. Præter quæ viginti qua Sacerdotes, qua nondum studiis

K

perfuu

29.
Morbus, &
mors Berzei.

perfunctos in diuersa legauit futuros praesidio ethnicis conuertendis, & Lusitanorum alendae pietati. Hos inter, Zeilanum in iusulam duo profecti sunt, ad Regem Maurum Christo adiungendum: tres cum classe quam prorex Noronius ducebat contra obsidentes Ormuzium turcas. Nec plures licuit, ne destitutum necessariis iaceret Collegium, si trirremium Praefectis quos flagitauerant concessisset; vsque adeo tamen imminutum est operariis, vt omnium vices supplere aggressus succubuerit oneri; & munus dicendi ad populum, quod multi antea sustinebant, dum solus ipse perferre contendit, accisas iam annis, & laboribus vires, vitamque aded in eo reliquerit. Ex quo enim classis Goa soluit, hoc est Nouembri 1552. diurno ex morbo, valdeque accipiti, eneruis fractusque euaserat, & hinc tandem operosissima agitatione oppressus est, eo procliuius quoddam inuitam naturam, virtute conuulsus erigere, & malum tentans spernendo eludere, ad extrema id auxit. De suprema illius aegrotatione, & consecuta illam morte, nefas putem iis quicquam aptare vel demere, quae a duobus qui aderant grauissimis testibus habemus: ac de morbo quidem P. Ludouicus Froes ad nostros in Lusitaniam, [multa inquit, de classe scribenda suppetere quam Prorex Ormuzium ducit. Multorum precibus, & nobilium & ducum P. Gaspar vrgebatur, vt sibi nostros concederet qui praecedere pugnatos; cumque iis orphanos, qui deierantes corrigerent, & consolarentur infirmos ac saucios. Negari Proregis filio Ferdinandando, & Antonio tam egregie meritis de Societate, P. Antonius Vazius minime potuit, quamuis illo, si alias vnquam P. Gaspar ad conciones plurimum egeret. Consentium numero per tempus iubilaei, quod classe soluente indictum est, aegre quindecim Sacerdotes satisfacere potuissent, amicorum nostrorum plus mille in exercitu conscensuri, perinde nostros tum Patres tum Fratres salutarunt vt si forent de Societate, & habebant reipsa aequae caros, nec futurum sibi ominabantur faustum iter, nisi post faustam P. Gasparis adprecationem. Prorex ipse extra urbem progressus, prius vela facere noluit, quam idem & sibi; & regio vexillo secunda omnia a Deo precaretur. At si P. Magistri Gasparis dum valeret ardor, & tolerantia laborum summam tulit a nobis approbationem; aegrotantis profecto excellens virtus, verecundia nos suffundit. Ob assiduas occupationes & grauissima incommoda, defectus viribus, & stomacho eneruis, cibum absque horrore videre non poterat, multo minus capere, aut tenere, quare debilitatus ultra modum, propeque confectus est; accedente praesertim laxatorum viscerum dolore peracerbo: haec me plane tam sana valetudo, morti proximum stantisset; is ne quidem in lecto iacere, nec eundo, agendo, querendo etiam temperare, nam pro se fieri sumptum querebatur, quod ouis scilicet quae illi dabatur ramentum sacchari inderetur, sic nihilominus affectus, ternas dominicis & festis habebat conciones, vnam in templo Episcopi, statimque alteram in nostro, horis serotinis tertiam, die Mar-

tis domi; Mercurij ad sodales misericordiæ; veneris ad sodales à Pœnitentia: diei reliquum, domesticis curis tribuebat, confessionibus, & vario alienæ salutis auxilio.] huc vsque Froez epistola. Tamen si vero ab ægritudine hac priori meliuscule tandem habuerit, sedatis saltem quibus torquebatur doloribus, sed afflicta diu fractaque natura dum nouis semper se vexat laboribus, recidiuam post aliquot menses valerudinem eluctari, nullis remediis potuit. Octobri ait P. Arias Brandanus, dominico die, & mensis octauo proposuerat illud Euangelij è suggestu assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. incipiebatque explicare, cum repente se linqui animosentens, defectionem subitam virium apud auditorium excusauit professus non posse pergere; moxque intra suggestum concidit; quæ res obstupefactos casu inopino, pro incredibili erga ipsum affectu, grauiter commouit vniuersos, recepto tamen vtrumque spiritu, domum se suis pedibus retulit, valdeque alacer, & crecto in cælum animo diei exegit reliquæ: verum postridiè, ardentissima ex febre decubuit, quæ voracitate pertinaci, die illum duodecimo confecit. Antea disertè à medicis de periculoso articulo monitus, omnem diligentiam collegit ad profectiorem illam adornandam. Fratrem nostrum Alexium Diaz iussit Bazainum leucas vltra septuaginta excurrere, ad accersendum Melchiorem Nunniū, sibi certo iam iter ad æternitatem ineunti, successurum in nostrorum gubernatione. Vetat mœtor distinctius scribere quæ in illo digna notatu vidimus vsque dum vltimum spiraret halitum; ex iis solum adueri, patientiæ, & humilitatis, quanto esset nobis opus viatico: illum enim medici alius aliis discruciebant remediis, & ferè inanibus; sed hæc summus malorum nostrorum medicus auterterat patientiæ veræ remedio, qua sic admittebat, perferebatque omnia, tacitus & silens, vt se foret columba, & agnus sine voce. Hoc vnum à nobis petiit, aditus importunos secularium amicorum ab se tunc temporis defendi. Quare præter paucos, singularibus ab eo profectibus diuina edoctos, excludebantur aliorum salutationes; sed nec illi nisi ex limine, nutuque & oculis eum salutabant, ac ne id quidem sine multis lachrimis, & singultu. Visendi ad illum gratia venere Patres S. Dominici atque ipse Prorex, qui ad seruandam illi vitam anxie remedia omnia exquirebat. Nocte lucalia præcedenti viuis cessit; manè concurritur ad eum spectandum, priusquam humaretur; conferta multitudine virorum & mulierum impletur cum odæis templum; fitque tantus omnium ploratus, vt si cum eo salutem animi perdidissent; funus nostri duxere Sacerdotes & fratres, cum, pueris seminarij alumnis; inde Patres S. Dominici & S. Francisci; ad eius conspectum, ingens populi cum fletu clamor Patrem suum appellantium; sed ingressu in templum ij turbæ fluctus ad videndum, & ea comploratio, vt viderentur illum ex efferentium manibus rapturi; subuecto igitur supra populi capita feretro, ægte tandem, & multo sudore, collocatum est in sacello, & clathris conclusum.

sum. Hic videns stipatum populum ex S. Dominici ordine non nemo, in procinctu fuit ut encomio funebri, eum de pulpito celebraret, sed diffusus posse fletum suum in vocem cogere, & lugentis populi strepitum vincere, consilio destitit: ritè igitur Deo commendatum, sepulcro mandauimus, & magna perfusi consolatione, nouis in Dei obsequium animis incendi nos sensimus. Biduo post B. Ursulae sacrum diem, cultu solenni peregrinamus, id P. Gaspar, in extremis agens sodalidatis primariis, pompa solita mandarat fieri, factumque ita magnificè ut mirarentur ciues attoniti, pro tristi mœrore quo nos diu premendos putauerant, tantum religiosæ lætitiæ edere.]

30.
De sanctitate
Berzei
Opino.

Quod refert Arias de reuerentia, Goæ post mortem Berzeo exhibita, non fuit, ut mos est paucorum dierum impetus. Multis illic post annis pergebat viri sancti veneratio eadem, & desiderium, idemque amissi veluti recens dolor. Ut autem illis in Indiæ tractibus, nullus post Xauerium, eò famæ Societatis existimationem sustulit quò Berzeus, ita nemo extimulauit acrius ad agendum patienter, & fortiter in procuratione salutis alienæ: nisi enim nostrorum in singulis Berzeum suum infatigabilem nanciscerentur ciues, exprobrari sibi tacitè, virtutem longè illi absimilem quisque cogitabat, & inflammabatur studio imitandi, ut si minus æquare illum posset, loco saltem post illum infimo nequaquam consisteret. Imitatores tamen licet habuerit non paucos, sed cui tantum honoris, & auctoritatis deferret Ormuzium, & Goa prorsus nullum. Crucis instar ducebat prodire extra domum, ob reuerentiam, sibi vndequaue velut sancto impendi solitam. Adgeniculati; libare manus, & vestem osculis; currere ad fenestras videndi gratia, eiusque transeuntis adprecaationem inde postulare. Quibus ne rustice, arroganteruè responderet, compellebatur aperto semper incedere capite, statueratque ab se honores huiusmodi apud populum deprecari, sed commoditatis priuatæ curam immodicam veritus, id omisit. Erat enim molestum, & plenum periculi sub Ormuziensi sole immensum ardens, detecto semper procedere capite; scribitque ipsemet sedem à se optatam vbi nemo esset Lusitanus, ne illa perpetuo, sibi sanctimoniam nomine ingeri consueta veneratione discerniaretur. Gubernator Indiæ Georgius Cabralis ad duas eius epistolas, [Accepi, ait, P. Vestra, legique literas, haud minori reuerentia quàm si mihi à S. Paulo aduenissent,] quo illum eodem titulo postea ornauit P. Gonzalus Rodriguez. Goam scribens ad illum vela in Iaponiam explicantem felicem Barnabam illum dixit, qui esset comes huic Paulo futurus, huic vasi electo, Christi nomen, ac fides in orbem vltimam portanti. Et cuius memini Gubernator iisdem literis eum rogat, ut suam potestatem iussaque interponat, vbiicumque opus censuerit, quicquid ipse probasset rarum sibi hoc fore factuque optimum. Nihil Ormuzij à Præfecto, nihil eo in consulto decernebatur à Magistratibus. Fuitque cum illi ararij Regij clauim alteram credere tentarent, sed repudiauit lubricam, & malè

malè suspectam custodiam. Denuntianti è suggestu, siue minando obstinatis, seu quod iam vocatus in Iaponiam esset, Ormuzio se prope diem abiturum, concors! populi respondit clamor, rogans ne faceret, Deum illo abeunte insulam perditurum, quam eius tutelæ & præsentia condonabat. Quod nimium verè ab iis diuinatum, breui res ipsa comprobarunt. Vulgatus Goæ illius obitus, multos qui adhuc pro illo spe aliqua pendebant, extra domos, propeque extra se exciuit magnis per urbem vocibus conclamantes. Amisimus P. Magistrum Gasparem; obiit sanctus Pater, quæ dum multis cum lacrimis, alios etiam acerbo nuntio in luctum fletusque compellebant. Viri denique insignes qui se ab eo in Sinas, in Iaponiam, in martyria, & mortes, adlegi comites optarunt; concursus hominum cum palmis & cantibus transeunti obuiam prodiens, dum Goam rediret, argumenta sunt eius quam in eo reuerentur sanctitatis. Nec multò parcius colebatur ab infidelibus. Saraceni Magnum Francorum Cascigem; & nouum Zachariæ filium Ioannem Bapt. nominabant, nullumque sibi orbe toto præter ditos aiebant habere similem. Et hinc illa item, vt refert, vesania sollicitantium feminatum, vt ex eo sanctos, susciperent liberos; ordo planè ex lasciuia Bracmanum Ethnicorum; & Cascigum Maurorum delirio, qui vbi se credunt longo suimet cruciati eò pertigisse vt deinceps peccare non possint; ruptis honesti, & vercundia habentis, in turpia omnia funduntur, & beatas se putant quæ tunc de illis conceperint. Si quando Mauri exagitarent Christianos, roganti per aliquem è suis pueris Berzeo vexare desinerent, acquiescebant statim. Vltro quin etiam & pannos sericos, & byssum mollissimam quibus indueretur offerebant; nunquam tamen adduci passus est, sibi vt inde filum decerperet; quoad veste ex humeris frustatim deflua persuasus est vilem, & pauperem, paupertatis iure admittere, in quo tanta ab iis æmulatione certatum est, volentibus singulis de suo illam sumi, vt lege alia nunquam inter se quieuerint, nisi suam quisque conferre partem sineretur ad eam vestem coemendam. Noctibus subinde fortuito obuium & solùm incredibile reuerentia salutabant, valdè admirantem, quod ab ijs potius non confoderetur post acerrima in eorum superstitionem ex pulpito dicta, & ardentissimas disputationes. Imo aliquando, stipante numerosissima caterua, & funalibus accensis in fani sui celeberrimi deducto fastigium, arcana sua penitus omnia pro palant, & aliis manum aliis tunicam deosculantibus; maiorem in modum gratulati sunt sibi eius præsentiam; tantum potest etiam apud hostem, vitæ integritas, ad vertendam malignitatem odij, in virtutis admirationem. Quamuis ad hoc item valuit plurimum mirabilitas operum, quibus serui sui Deus merita decorauit. *Comperta nobis sunt miracula euidentissima;* scribit P. Froes, etsi modestià nimium damnosâ abstinerit enarrandis, tùm quod esset in viuis Berzeus, tùm quia se indignum rebatur qui argumentum attingeret tam sacrum, ne sibi, vt ait, eadem ingrueret pœna quæ bestiis, Sinai ra-

dices tangentibus quas videbat Deus lapidibus obrui. Certo tamen constat agrotos duos restituisse ab instanti morte; horum vnus viri nobilissimi filius, cui alterum imputruerat lumen; pro vtroque sacris operatus ita illos sanauit vt die eodem lecto exilirent. Arreproptiam, marito flagitante cum adire non posset, misit ad illam Chirographum suum, breui nominis Dei, & Matris Virginis inscriptum inuocatione, quo vno illam à malo demone liberauit. Agrotos alios, auditis eorum confessionibus vitæ simul huius exemit periculo, & in æternæ fiduciam reduxit. Sed hæc adeò ieiunè, infra etiam illa quæ non suæ, sed suorum fidei concessa significauit ipsemet Berzeus, fortassis melius tacuissent ne existimentur, sola esse & miraculorum eius summa.

31.
Comparatio
Berzei cum
Xauerio.

Vixit annos Berzeus duodequadraginta, vt constat ex literis quas de se ipsemet & hac sua ætate, paucis quam obiret mensibus ad Ignatiam dedit. Sed Indis excolendis annos tantummodo sex, & dies sedecim insumpsit: vir plane magnus, & iis doctrinæ, pietatis, & caritatis animosæ partibus excellens quæ operarium absoluunt Apostolis supparem, quem si Deus vitæ donasset longiori, habitura erat in eo India, alterum è Societate apostolum Succidaneum Xauerio, ante mensis decem mortalibus exempto. Et vero id illum peculiariter oblectabat, quod sibi à Deo videretur duci, per calcata sancto suo Patri, ac præceptori vestigia. De quo ipse ad amicos scribens, modumque indicans, quem in iuuandis hominibus teneret; me, inquit, subinde consolatur, quod horum quæ actito nonnulla, in rebus P. Magistri Francisci reperio, cuius tamen indignum me arbitror calceamenti corrigiam soluere; etsi erat ipsi tam similis quam bono magistro bonus discipulus. Nam & se proximis totum dabat, & voto obstrinxerat, nulli se vnquam labori parsurum, quò posset eorum animis aut corporibus prodesse. Neque propterea occupationes tam sedulæ amouebant illum à Deo longius, quin & in media illarum turba, perinde illi ardere facies cernebatur, vt si Deum contempleretur otiosus. Quod de se fateri non dubitat, velut donum sibi cum aliis Euangelij præconibus commune, in conuersiones infidelium distractis; quo nempe in plura dissiparetur magis, hoc se expertum penitius in Deum colligi, cui videlicet in omnibus laborabat vni, & à quo vno acceptam ferebat suam illam agendi faustitatem in procuratione diuinæ gloriæ, hoc vno beatus si Christum cognoscerent, & amarent, qui prius nescissent, & odissent: ad hæc in vexando asperius corpore nihil admodum fuit ab Xauerio diuersus; somni breuitas, vna in diem refectio, triduana sæpe ieiunia, vestitus quem ethnici, viro tot suspiciendo nominibus, & tanto stupebant esse, mendicis viliores. In alios vero lenitas, & miseratio, & tam pie solers, & amabiliter industria caritas ad fingendam ex aliena imbecillitate familiarem consuetudinem, vix vt cum villo ageret peccatore, quem Deo non lucrifaceret. Ac si probasset Ignatius, Brachmanum, & Iogorum cultu percursurus erat ethnicos illarum regionum vt eos vestium similitudine, & asperitatis, quam in iis

vnice

unicè suspiciunt, & colunt, conciliaret legi Christianæ. Iam illa de se abiectissima existimatio, peræque ut in Xauerio quicquid in se aut boni agnosceret, aut operaretur in aliis, fratrum suorum orationi ac meritis deberi statuebat. Non possum (ait nostros per literas in Lusitaniam alloquens) Deum satis laudare, nutu tam paterno, & prouido, omnia dispensantem, quod tantorum me reum scelerum, in hanc nihilominus Societatem sanctam cooptrauit, ubi mei me magis quotidie pudet, spectantem atque audientem fratrum meorum affinem Angelis virtutem, & operam, quibus incitor vehementer, ad excutiendum vitiorum meorum quo implicor cœnum, & quo tanquam bufo lutulentus miserè nutrior. Nisi precum uestrarum fiducia niterer, quas esse pro me apud Deum assiduas arbitror, ad ea profecto nunquam animum adiecissẽm, quæ per me abiectum Societatis abortiuum, dignatur Deus perficere. Demum ne longius virtutum utrimque comparatio procedat; Berzeo, uti Xauerio, laborum tunc delatum est præmium, cum in prociectu esset ad illos integrandos. Paranti ad Sinas ingressum Xauerio, è vita exitus superuenit; & Berzeo similiter comœtum in Æthiopiam præstolanti, ut Patri optimo, & magistro colendum relinquere Orientem. Qua de re literas ad Imperatorem Æthopum scripserat, spondens fore ut illi compertos faceret errores quibus ipse cum suis falleretur, scripserat & ad Lusitanos de hac facultate sibi obtinenda; certum Simoni Roderico Sacrorum promiserat numerum, si hanc ab Ignatio impetraret, ipsique Ignatio si eam concederet. Nec vero illam negauit Ignatius, etsi enim Goæ, maiori animorum compendio hæere videbatur, at enim à Deo si accerseretur in Æthiopiam, nec eo anno Patriarcham illuc censuisset Rex Lusitaniæ debere proficisci, hanc ei liberam potestatem Ignatius fecerat. Quod si ut votis omnibus ambiabat adscitus fuisset ab Xauerio socius ad subiiciendum cruce Orientem, mira quædam versabat animo, de quibus spes suas, præmaturas, sed summas, & ardentes significabat Ignatio; nimirum se Christum Iaponiæ, ac Sini illaturum, iis Christo iam partis, transgressurum in Tartariam maiorem; inde remeaturum in Europam, adductisque in eo regressu ad Ecclesiam infidelibus illorum tractuum, præsto se Romæ ad illius pedes adfuturum, votis quidem expectationis, & confidentiæ ultra modum projectis, verum apud illos qui non norunt (ut norat ipse atque Xauerius, iisdem fere verbis, eadem apud Ignatium professus) velle nos iure omnia quæcumque vult Deus; hoc est ne posse quidem nos I E S V M quod ait Apostolus digne à nobis nominari, & sola nostra tenuitate fretos, at si nobis uti Deo placuerit; nihil esse tam arduum ac tantum, quin possit à nobis superari, & confici: sed hos diuinorum ignium heroos sensus nisi in animis excellentissimæ virtutis, & Apostolicæ sanctitatis minimè deprehendas, qui ex Xauerij præscripto, omnem à se mortalis cuiusuis, & debilitatis suæ expulerint metum, mortisque adeo ipsius; imo quibus mors ipsa in voto sit. Cuiusmodi

Berzeo

Berzeo inerat comparatio magnæ mentis ad martyrium tam feruens, vt loqui de re alia nesciret, nisi de morte pro Christo oppetenda, aut vita in summis, animarum causa, colluctationibus relinquenda quare lapidibus sæpius ab Saracenis appetitus, haud quicquam propterea ablitit, solus inter alios de religione disputare; vel Iudæorum mensis accumbere, quanquam veneficij suspectis; vel ad consueta opera exire, etsi sole Ormuzij, quàm torrente sub zona nocentiùs, medios dies inflammanre, & dehortantibus ab eo Lusitanis sic respondit, vt si hæc foret ab æstu, quo ardebat maiori, refrigeratio; valetudinis, & virium prodigus, decem operarum æquabat vices; labori nouo præcedens initium dabat, virtute semper tam actiuosa, & viuuda velut ipse acquiesceret labori, quiete laboriose vexaretur. Quod eius manifestum fit ex Epistolis, Apostolicum planè virum spirantibus, quas hic integras reddi, si munus historiæ non veraret, spectarem germanam iconem ipsius absolutissimæ virtutis delineatam ab ipso met nihil minus cogitante. Claudam tamen de illo quæcumque memorauit, vnus ex literis particula, Cominbricam ad nostros scribentis. [Quàm diuersa, inquit, vobis istic à nobis peregrinandi forma! sunt plane iucundæ peregrinationes vestræ, mense vno clauduntur, diuersariis leuantur Xenodochiorum, & lectulis; esto immundis, sed aliquid somni præsentibus; recreantur dulci impatientia fratres carissimos reuiscendi, qui vos in reditu gratulabundi accipiunt, suoque vel solo aspectu suauissimè reficiunt. Hic tricliniis, lectis, carorum salutationibus, complexu, omnibus denique caremus. Vobis quidem, sat scio, in perpetuum orbatus viuo, & consuetudinis vestræ suauissimo congressu, cuius nunc demum agnosco pretium cum nisi & serò, & frustra id possum cupere. Verumtamen in solitudine hac mea, tantum mihi assumo animorum, vt neque me Ormuziensis æstus interdum sternat violentia; nec frangant noctes operosissimæ; ac minentur licet indigenæ futurum si pergam, vt vitam breui hæc assiduitas extinguat (nam etiam noctes audiendis confessionibus tribuo, & magnas habeo gratias, si tres ad quietem de illis horas demam;) haud propterea labori parco. Hic in summa verfor omnium egestate, corporis, animi, victus, & horarum, quarum etiam momenta desidero. Vobis ad pensa diuini officij recitandi, ad contemplationem cælestium, & curandum necessariis corpus, tempus suppetit opportunum. Hic nisi Deo & proximo nihil mihi temporis suppetit. Prættare quod vellem non valeo; meam tamen in Cruce omnem depositam habeo, hac meam salutem fulcio, & debilitatem mihi congenitam Christi robore stabilio. Vnus meos omnes amores possidet, hunc sponsum imitatus, myrrhæ fasciculum sinu gesto, quis enim me ab Christi amore diuidat? Ne vos meæ quas dico, dicturusque sum molestiæ terrent; nam etsi sum Christi gregarius, & imbecillus miles, pauca mihi & leues videntur, ad eas quas aueo pro illo perpeti apud vos animum distrahunt occupationes; apud nos colligunt; nostrum enim agere ac pati,

pati, Deum pro scopo solum habet: afflictationes hominum, & fauorem; contumelias, & honorem; mœtorem animi & quietem promiscuè habeo; hic ego adoratione reuerenti, alibi lapidatione, crucibus illic excipior. Vobis istic abundant lacrimæ, sanctæque animi voluptates, quas si quis interdum exarefaciat cœli squalor, mœsti, per vicos, & plateas, & in lectulo per noctem, demum vbiicumque vobis perierit, quem diligit anima vestra, requiritis; at hic soli deserti siccitas maxima, riuos nobis perennes fundit consolationum. Si vos fratres mei! desideria incendunt Indicæ expeditionis, copiosum parate virtutis viaticum; erit enim profecto itineri tantò pernecessarium. Stabilite animum humilitate solida, obediētia, paupertate castimonia, Dei & proximi amore. Regnant enim his in locis hæc dotes animorum, Inducit nos sancta humilitas in Dei, nostrique notitiam; asserit in veram libertatem obedientiæ seruitus; magna sunt paupertatis diuitiæ, nam præter pauperem quis diues, & nihil cupientem? è contrariò quis egens, nisi diues cui nihil sufficit, speculum vero est Castitas, in quo reflexa Dei imago cernitur, & in iis quæ condidit, eius bonitas diligitur: multitudinem denique peccatorum operit caritas stola diuinæ maiestatis.]

Iam noua hic mihi latifundia se pandunt, colonorum præstantium strenuis manibus versata, libri subsequenti illustre argumentum, Christianæ rei, & Societatis nostræ in Mōluco successus egregios complectens. Priusquam tamen Indias desero, memorandi sunt mihi post Berzeum pauci quidam posteritatis fama digniores, qui ad beata laborum præmia illum præuenterunt. In primis vero Melchior Gonzales Lusitanus, Christi vineæ cultor indefessus, de Bazaini Ecclesiis, & atinentibus illuc Salfetanis laudem promeritus singularem. Societati Conimbricæ anno quadragesimo sexto supra sesquimillesimum adiunctus, die mensis Aprilis vigesimo quinto, mox Indiam petere iussus est tyrociniò vix dùm absoluto, & quod eius virtutis indicium est non leue, præesse focis, qui naui eadem vehabantur, inter quos magnus Dei seruus, de quo nos hæctenus, Berzeus. Goam applicuit Septemb. tertio anno 1546. & sub aliquantulum quietis ab Xauerio mittitur Bazainum, nostrorum illic Rectorum Collegium, & Christianorum Pater, Ethnicorum Magister futurus. Stationem illam perpetuo tenuit, & quamuis inde Goam reuocatus, vt renauigaret in Europam, & de rebus Indorum Christianis certiore factum Ignatium permoueret ad quamplurimos illuc secum remittendos, sed hæsit tamen Bazaini; religioni enim duxit Antonius Gomezus, qui eum acciuerat, tam solerti Euangelij ministro Indiam priuare, naui quam conscenderat eductum, Bazaino & assuetæ operæ reddidit. Quanto illic animarum bono rem Christi procurarit, Bazaini, & Tanæ arcibus Præfecti suo illius ingenti præconio Goam perscripsere. Excurrebat inde in Prouincias confines, simulachrorum cultoribus habitatas, & semper lætos ex iis manipulos reportabat, hoc est quadringentos & plures, in Christi horrea, sin-

32.

Mors P.
Melchior
Gonzalez.

L

gulis

gulis excursionibus collectos, quos tam sollicita expoliebat manu, & prospera, ut aduectis illuc ex Europa Christianis, imitationi simul, & rubori essent. Et hic illi recens ad fidem conuersorum late fusus, innocentiae bonus odor, multos lucratus est, quos, etsi non audierant praedicantem, documenta virtutum domuerunt quas in eius alumnis mirabantur. Acto Bazaini summos inter labores triennio obiit. Continuus erat conciliandis Lusitanorum diffidiis, ethnicis Baptizandis; seminarij adolescentulis fidei doctrina, morumque informandis, quos e vicinis regionibus coactos, alebat publica liberalitate; molliendis ad penitentiam perditae vitae hominibus, & verbo Dei fidelibus iuxta, & ethnicis praedicando, quorum sibi linguam incredibili molestia fecerat expeditam. Veneno sublatu creditur à Mauris aut ethnicis mixto, sectarum suarum vituris damna quas eius opera cernebant quotidie minui. In extremis agentem offendit Berzeus cum Goam Ormuzio redisset, anni 1551. Octobri exeunte, lugensque iacturam quam viri tanti mors nouae illi Ecclesiae inferebat, Ministrum Euangelij fidelem vineae Domini fidelem operarium appellauit. Qui sequuntur deinceps quatuor, ora Piscaria nobis eripuit; vnum quidem barbarorum ferro, perpulsionibus alios intolerabilium ærumnarum, quibus soli eius infelix malignitas cultorum sudoribus respondit.

83
P. Pauli Val-
lei.

Prima fors Paulum Valleum sibi legit, ob hoc praeter alia memorandum quod eum Xauerius perfectae virtutis hominem vocauit, ad illum quae spectant caetera ferme ignorantur exceptis periculis, & cruciatibus quos sua illi peperit caritas: cum enim Patres colendam sibi partem Piscariae, suam quisque sumpissent, & magna degerent locorum intercapedine seiuncti, quaecumque ab iis praclare gerebantur, illic in obscuro vbi nata erant, iacebant sepulta. Valleus saepe ab infidelibus ad necem fustibus caesus est. Dum concionatur ad Parauos quorum apprimè callebat linguam, irruptione subita Badagorum deprehensus, captus, catena vinctus in montes abductus est, vbi multis vexatus iniuriis mensem vnum transegit orizae in diem demerso quantus est pugni captus, & frigidae Siphos, quibus non tam sustineretur vita; quam arceretur mors. Quam certe diu differre non poterat, nisi Christiani quos erudierat. cōmuni consilio armati, occulta in fines Badagarum incursione inde illum tulissent; qua nihilominus ex fuga parum abfuit quin mortem incurreret. Receptis Badagae ex improvisa trepidatione animis, multitudi-
tine tumultuaria, hostem pia alacrem praeda, ipso in littore allequantur, stragem edituri admodum cruentam nisi piscatoriis lembis quos illic reliquerat, Patrem secum vna eripuiset exitio, frementibus in terra barbaris, & procul sagittas mittentibus. Verum ita prostratis viribus, & valetudine, illorum è manibus ereptus est Valleus, ut Punicali trium mensium Febri, dissenteria superueniens cum è viuis abstulerit Martij 4. anni 1552. P. Paulus Valleus (inquit Ludonicus Froës ad nostros in Europam) è sancto vestro Collegio missus in Indiam P. Henrico
Henri

Henriche laborum socius ad Cornu Comorinum, quadriennio toto fuit post grauiſſimas verberum famis, & ſitis moleſtias, velut tuſionibus duris elaboratus lapis, cœleſtis Ieruſalem vt ſperamus ædificio eſt aptatus. Obit diuinæ voluntati libentiſſime acquieſcens ſed cupidiffimus acerbiora pro illo perferendi.

De F. Alexio Malderia idcirco ſolum meminero nē facti eximij iuſta laus excidat, quo ſuæ ardorem caritatis, & nixam Deo fiduciam luculenter probauit, cœtera præclaras quas de ſe dabat expectationes præſtare non potuit, vnius biennij labore aſſiduo extinctus. Sed Goa Comorinum pedes, inſiſtere ſolitus vbicumque in infidelium circulos incidiffet, annunciabat illis diuina myſteria nunquam ſine animæ alicuius, aut conuitorum, copioſo, aut meriti ſaltem compendio. Batecalæ igitur, frequentiffimo inter Onor & Bendor oppido, leucis Goa quatuor & viginti: dum ſubitaria concione turbam remoratur ethnicorum, mortuum efferentem, (qua mente ignotum,) ſed conſenſione vna interpellatur ab ethnicis, diuque iam audito conditio ponitur, paratos ſe ad Chriſti laaacrum, & quam deprædicabat legem, ſi luſcitacione illius mortui, dicta confirmaffet; ſin autem abiret in malam rem, nec vltra tempus, & verba perderet. Conditionem arripuit frater, aggreſſurusque rem ex templo ad feretrum vertit; cū metu propoſiti euentus quo teneri ſe ad promiſſa, impij & mendaces ethnici nolebant, circumſpectare inuicem, ſtupere attoniti, ſenſimque ſinguli ſilentio abire. Rogatus deinde Alexius, ſi ſtarent infideles conditioni propoſitæ, quid eſſet facturus? nihil cunctatus reſpondit ſe Chriſti nomine, Mortuo imperaturum vt ſurgeret, nec dubitare ſe quin excitaturus hunc fuiſſet Deus. Deinde Coulanicum P. Lanciloto laboribus exhaustus inmodicis, oppreſſus eſt lethali aſthmate an. 1553. cum eſſet non pridem admiſſus in Societatem, & quidem magnis emptam incommodis in miniſterio noſtrorum quibuſcum in Indiam nauigauit. Societatem illic petiturus, quam non impetrabat in Luſitania. Conſpicati parentes adoleſcentis conſilium, poſtquā ſuadendo & rogando nihil agant ad euerendū illius propoſitum, reſtitanti pallium detrahunt, rati nobilem iuuenem, & Ludouici Principis aulicum, domi neceſſario hæſurum dum ſoluiffet claſſis, & abſterritum iri pudore hominum ne Vlyſſipone palam prodiret thoracatus. At is è contrario abiectis etiam calcis nudipes lætus incedere, commeatum viatici, vt mos eſt nauim conſcenſuris, ipſemet in nauim, ceruice per urbem comportare, vt cerebro motus ab notis exiſtimatus ſit, aded iuueni animoſo, iudicia hominum, munduſque viluerat Luſis in hunc modum ſuorum conatibus peruenit in Indiam, vbi eius virtus ed quoque itinere facta perſpectior, recluſit illi ingreſſum in Societatem, à quo paſſus repulſam fuerat in Luſitania.

Huius item ſub anni exitum 1553. breuem clauſit in ora Piſcaria laborum curriculum P. Manuel Morales Luſitanus. Bragantiæ nobili gene-

34
Alexius
Maldeira.

35
De P. Ma-
nuele Mora-
les.

re oriundus; hic dum Conimbricæ dat literis operam ad nos accesserat anno 1543. Francisci Stradæ concionibus incensus, viri dicendo, & agendo potentis. Theologici studij mediam partem confecerat, & cum lociis aliquot quibus ipse in itinere præfisset, iubetur in Indiam proficisci 15; 1. quo tamen anno illuc minime attigisset nisi eius deprecatione certam perniciem Deus ab classe auertisset; altero enim è duplici flexu, quo ad latus Africæ vtrumque, Æquinoctij transmittitur linea, nauim eique foederatas omnino ventus deseruit, succedente infestissima, rædique ingentis malacia, quæ aqua & annona corruptis, erat etiam si foret prolixior homines penitus consumptura. Ergo cum vectoribus Præfectus magnam partem ægroti; Moralem adire, rogare vt ventos à Deo posceret, & suis ad eum precibus exitium præfens auerteret. At is duobus altero ad puppim, ad proram altero erectis altaribus, supplicationem ad ea duxit orborum puerorum, quos ab Lusitania vehibat in Indiam; tertio vix giro altaria flexerant, miserabili cantu misericordiam à Deo, & ab Sanctis opem implorantes, cum ortus à puppi Zephyrus, sensim inualuit, & reuulsas loco suo naues, cursu æquabili Cocinuum perduxit. Prima illie Manuelis cura ad populum dicere, in quo gratissima pollebat facultate, sed tribus (quod in vsu erat) hebdomada quaque concionibus instruendis, præripi sibi meditandi tempus cum ferret ægerrime, quasi aliis consulens sibi ipsi deesset, erectus est animo, Xauerij ex Iaponia regressu, doctusque ab eo sibi non minus fructuosam quam aliis operam ponere: ex quo tantum concepit roboris nihil vt in posterum operis vitarit quod posset alienæ saluti prodesse. Goæ igitur eum Berzeo verbi Dei præconem tandiu egit, dum susciperet ab eo prouinciam, magnis diuinæ gloriæ expectationibus vberem, & si succederet ex voto, Ecclesiæ fines magnopere amplificaturum. Rem gestam ab ouo minutim scribere prætermitto, longum foret, & extra lineas, mortem enarrare luctuosissimam Pareæ Pandaris, Cottæ in Zeilano regis, Lusitanorum peramantis; sororis eius iuuenem filium à Ioanne tertio in possessionem regni missum (regum enim filios in Zeilano, & in Malabare, lex vetat patribus succedere) regno pulsum eundem Madunij armis, fratris defuncti Pareæ minoris, expeditionem Prorogis Alfonfi Noronij validissima cum classe ad restituendum legitimo imperio eiectum regem; debellatum à Noronio ingenti clade Madunium; captam, incensam, dirutam Zeitauazzam, urbem amplissimam, qua se tyrannus leucis nouem intra continentem munitissima tuebatur; quingentos denique Lusitanos, quos ad præsidium pupillo Regi reliquit, præfecto iis Ioanne Anrichez, cui breui, mortuo successit Odoardus Dezza. Quam varietatem tot casuum subsecutum est quod subdo. Goam aduenerat Zeilano ex insula noui Regis legatus, & primarius administer, nobilitate, & sapientia inter suos notus; verum vt alij, tractus eiusdem insulares simulachris addictus. Hic dum Goæ subsistit, sanctitudinæ pellectus Religionis Christianæ, in nostrorum consuetudinem

dinem se dedit, ex quibus amplius de illa cognosceret, tandemque per-
 peeta futilitate suarum superstitionum, Spiritui sancto, & veritati ces-
 sit; lustratusque est Sacro fonte in templo nostri Collegij, post seme-
 stre in Ecclesiæ doctrina institutionem simul, & probationem. Hinc
 proregi Alfonso magna spes, Regem quoque Zeilani ad Christum per-
 ducendi, cuius hic erat minister præcipuus, & amore pater, ex quibus
 denique florentissimæ totius Insulæ putabatur futura conuersio, quare
 adit Prorex super hac re Berzeum, qui pro absente Xauerio nostris in
 India præerat, & petit ex eo qui Euangelium Zeilanensibus nuntiaret.
 Erat Berzeo Manuël Morales apprimè iam notus, & comperta tenebat
 illius merita, paremque arduis quibusuis animum. Ergo illum adiuncto
 in socium F. Antonio Diazio, incunte Octobri eò mittit anno 1552. sub
 discessam Morales cohortationem ad Patres Collegij eorum rogatu ha-
 buit, ardentissimam vt solebat, de vitæ actuosæ, & contemplatricis
 nexu mirabili quem Societas proficitur, iique illum vicissim salubri
 quisque consilio munierunt, ad felicem mandati cœlitus muneris euen-
 tum profuturo. Tenebant in ea Insula Lusitani præter loca quædam
 leuioris momenti, portum & arcem Columbi vrbe oræ illius occidentis
 post urbem Cottam præcipua: illic Morales præfecti Odoardi
 præstolabatur nutum, quo significaret maturum videri ad conuer-
 sionem Regis curas adiicere. Sed ea maturitas temporis vnde, vnde tar-
 data (nec enim proditur) nunquam satis matura comparuit, visa-
 que pia mens ad hoc Proregi optimo infusa vt dum incumbit conuer-
 sioni barbarorum, suorum salutem prope depositam curaret, stupori
 fuerit audire vitam illic quàm perditam, & peiorem ethnica viuerent
 Europæi, milites, ministri regij, mercatores, quorum est in Zeilano
 summum casæ optimæ seu vulgo cinnanomi commercium. Procul ab
 oculis, & censura proregis, agebant tanquam in orbe altero exleges,
 præter legem vnã quam sua cuique dictabat libido, nemo illos vs-
 quam publicè de Deo, nemo de Ecclesiæ præceptis alloqui, sed præ-
 criptione quadam apud illos censeret abrogata; nullum festa inter &
 profesta discrimen, nullus feria sexta, & Sabbatho ciborum delectus,
 carnes impudenter & vulgo quotidie, tyrannis erga indigenas auara,
 neglectus diuinorum tantus vt viri ætatis etiam prouectæ orationem
 dominicam ignorarent. Suos itaque conatus, & contentiones admouit
 huc interim Morales dum noui aliquid ad conuersionem illius Regis
 seu dilatam, siue abiectam affulgeret; tribus primis ex concionibus,
 patientiæ dumtaxat suæ pretium tulit, ab auditoribus illud solum quod
 notarunt sacratæ paginæ ab sceleratissimis referri *Peccator cum in pro-
 fundum peccatorum venerit contemnit.* Contemptum inquam, & diſteria.
 Quibus nihilo frigidior effectus, quin eò fidentius Deo nixus, quod
 apud surdum auditorem, vocem suam cernebat in auras vanescere, ma-
 ioribus animis ad concionandum erectus est, ea pertractans argumen-
 ta quibus stupida gentis lethargum succuteret, & obtereret saxeam ob-
 durationem.

durationem: sic velificante famuli sui conatibus Deo, euigilare sensim fides emortua, & tenuis radius bonæ lucis auditorij mentes peruadere; quas ut vitæ in melius vertendæ acrioribus stimulis vrgeret, expiandique vnâ pœnitentiæ luitione breuissima, labes eius omnes præteritas, iubileum eundem, in Christi Natalem indixit, quem incredibili prouentu anno præcedenti, Goæ exceptum narrauimus; neque ferax minus exstitit in Zeilano, scribitque de hoc mira quædam Morales ipse, cū magnis ed Deum actionibus gratiarum. Nam exinde illum consentium multitudo à prima luce ad condensam noctem detinere; accedentes flere, suamque lamentari, prope, vti vocabant, necessariam, cæcitatem, vt quibus eatenus enormitatem suorum scelerum exprobrasset nemo, alioqui prorsus haudquaquam in illa proiectè adeo ruituris: piacularem sui flagellationem, nemo non vltro priuatim aut palam subiit; ad hanc flagellorum quem secum tulerat fasciculus passim circum per manus spargebatur; Generali tandem diuinæ synaxeos celebratione iubileo finis impositus pertigitque fructus præstantissimæ operæ ab Christianis ad ipsos Ethnicos, qui Religionis Christianæ formam ac regulam mirati; captique pulchritudine illius ad eam accessere; ac futurum erat vt multo plures aquis salutaribus tingerentur, si præsto adforent à quibus eorum pietas in proposito foueretur, sed veritus Pater, ne post suum discessum reuoluerentur ad priora, nisi paucis baptismum non indulsit, iisque tum flagitantibus enixè, tum constantiæ futuræ pignus præbentibus. Hac ille cautione confinem vrbi Columbo principem lustrauit cum vxore, nepotibus, familia omni eiusque populo, quod robur in principe pestusque par animaduertisset, religioni quam amplectebatur, in se suisque conseruandæ.

Longè ab hac diuersa Diogorum fuit, & Cingatarorum venatio: sunt hi Sacerdotes idolorum in Zeilano, venerationis apud vulgus sanctissimæ, peruersitatis re ipsa per se sceleratissimæ. Prope fana Pagodum habitant, croceo vestitiur, os omne caputque tenuissimo obnubunt velo, nec vlli vnquam aperiunt; luit omnem cum iis industriam Morales, nam vt conspicabantur illum procul, statim alio diffugere, & occultare se dum is præterisset. Duo ex ipsis aliquando coacti ferre consistentem, tam longè fuerunt ab explicanda illi quam sectarentur superstitione, vt ne verbum quidem, aut syllaba abj interpellatis, & humanissimè rogatis excudi valuerit. Ex aliis Columbi ciuibus messem legit per aliquot menses culturæ solerti, & strenuæ non ingratam; post, Cottam migravit, leuca inde vna interiorem continenti, & Lusitanæ pariter ditioris; partim urbem illam sanctis laboribus facturus meliorem, partim honores vitaturus, quos iam Columbi perpetuos, & immoderatos ferre vltius vir sui contemptor non poterat. Sanè vrbi præfectus Odoardus in Lusitaniam reuersus, prædicabat illum non quasi hominem, vt aiebat terrestrem, sed tanquam de cælo angelum, nec alia vsquam nomenclatione vocitabat. Columbo denique illa item ipsum religiose

ligiosæ repulsæ sancta seueritas pepulit, qua videbat offendi multorum pietatem, à quibus ingestas numero grandi pecunias cum repudiaret intactas penitus, dolebant scilicet quod se parum censeret idoneos, à quibus aliquid admitteret. His contentionibus insudans, animo quam neruis robustior, concidit tandem illarum sub onere, & luxata temperie corporis, debilitate summa virium ægrotavit, ob idque à Berzeo reuocatus Goam, vbi tantisper refocillatus est, concionandi resumpsit munus, in quo pergere diu non potuit, nam profluvio sanguinis violento, paucis diebus interijt: porro illinc ipsius obitum quotquot nuntiarunt, illum admirantur, laudantque vt viris inuidendum etiam perfectæ sanctitatis. Ferream qua erat succinctus catenam, in extremis quoque non posuit. Sermo eius omnis, amore cœlestium, accensa cum Deo colloquia, & gratiarum sensus ingens, quod circum tot sibi fratrum numero adstante, comitanteque voris & precibus obiret. Singulis valedixit, suprema verba seorsum singulis reliquit ad stabiliendam in vocationis proposito, & Christi obsequio illorum constantiam, & sacrosanctum Iesu nomen vt mente sic ore assidue versans viuere desuit, anni 1553. Augusto mense, quem vt notant veteres literæ duobus post mensibus secutus est, medioque Octobri occubuit. Berzeo Xauerius in Sinas proficiscens hunc substituerat; ad nostrorum in India regimen; & qui tandem huic successus est Melchiorem Nunnium. Sit hic illi pro laudis Epigraphæ, pars prior epistolæ quam de suis in Zeilano rebus, ad nostros in Entropam scribit vbi sui ipsius demissionem exquisitam, narrandis etiam quæ illic gereret, pulchrè significat. Benedictus Deus inquit, Pater D. N. Iesu Christi, qui consolatur nos misericordia sua grandi, vt possimus quoque inuicem consolari, communicandis mutuo eius donis, & communes illi easque immensas gratias simul exsoluamus. Inter illa quibus dignari me voluit, vnum est quod me ad æternas animi erga illum grati testificationes inuiolatè obstringit mei scilicet immerentis atque inutilis in Societatem Iesu cooptatio. Hoc nomen apud me tantum est, vt si mille mihi sint corpora & animæ totidem, non possim ijs eius obsequio insumendis, partem insolubilis nexus rependere; nam me quibuscumque benignitas afficit, haud purem hæc posse aliunde in me proficisci, nisi ex merito, & precibus fratrum ad quorum Societatem pertineo: sit argumento quoddam indignum, nec muneri parem, in has legit, duxitque nationes, vt emptas sanguine Christi Iesu ad eum animas traherem; ad hoc facultate me donauit diuidendi populis verbi sui, populos vero eius audiendi propensa voluntate; præter innumeras opportunitates, plura promerendi, ferendi, sapiendi, & pœnis pluribus mea expiandi peccata vt iure liceat cum sapiente profiteri. *Venerunt mihi pariter omnia bona cum illa.*

Antecesserat hos duos sub finem anni sesquimillesimi quinquagesimi secundi, F. Ludouicus Mendesijs qui ferro barbarorum præciso capiti caritatis suæ promeritus est immortalem coronam. Furebat mos atrox inter

36.
De F. Ludouico Mendez.

inter conterminos Piscariæ reges, vendendi licentibus populationes finitimorum debiliū, velut foret hæc deprædatio, seposita quædam regibus venandi potestas, vendebaturque conceptis ad pretij, & prædarum mensuram diplomatibus. His regum muniti literis emptores, pestem conducebant latrocinantium, armatique hunc modo, inde alium, atque alium ex confinibus pagum repente inuadebant, direpto eo, ac dilacerato, in ditionem Regis sui concedebant, diuidebantque cum illo grassationis suæ prædam. Docebat Mendez Christiana mysteria in pago Piscariæ frequenti, cuius incolæ infestis Badagarum incursum pacto tributo redemerant. Sed hic pagus accepta quam dixi prædandi copia, in caput latronum parauit irrumperè à quo fuerat expilatus; ergo incolæ pagi hanc sibi ab latronibus illatam apud Badagas queruntur iniuriam; indignantur Badagæ tributarios suos nulla sui habita ratione pessimè habitos; arma capiunt, & Christianis præsidiariis exscendunt è montibus, latrones occupant securos & incustoditos magnamque de iis stragem edunt. Rex prædationis quam vlciscebantur nundinator cuius facultate suscepta fuerat, ira fremens, inferre Badagis validioribus vindictam non ausus, in Christianos illam vertit, quorum exciti querelis Badagæ latrocinij emptores peremerant. Pagum igitur de media nocte, magno numero, magnis ad necem vocibus ingressi bacchantur in plebem, & primores, promiscua cæde; horum clamor in fugam, & templum alios compellit haud quidem hostilem inhibituos barbariem, sed futuros in Dei manibus ad vtrumque, seu viuere seu mori oporteret. Noctem illam precando Mendez sacra in æde traducens, excipit fugientes, erigit consolatur, vt poscebat, & dabat summi periculi grauitas. Verum hostis, concursu asylum captantes prospiciens, eo conuolat præceps, & multitudinem confertam aggredi veritus, lignorum strue templam cingit, omnes vno incendio perditurus. Hic Mendez pro foribus militi obuiare, rogare, supplex erga Dei domum, erga tot insontes, pueros ferme, feminas, & causæ ignaros quæ vindicabatur, incrudescere ne vellent: quæ dum orat, ferrum precantis faucibus barbarus immergit, eumque deiecit, mox ferro eodem latus fodit, & caput demum palpitantis adhuc & spirantis abscondit. Paucorum quos primus hostium furor obuios habuit pars cæsi, pars saucij. Victores triumphabundi ad Regem suum, Ludouici Mendez rescissum caput ferunt, quartum annum agebat inter Indos, Coulani tres cum P. Lancilloro defudarat; in ora Piscaria quartum; cuius non plus quinque, & viginti diebus in pago vbi occubuit.



ASIATICÆ HISTORIÆ SOCIETATIS IESV. LIBER SEXTVS.



DV M nobis Ormuzij, cursum hunc res tenet Christiana; in Moluco, Mauro, Amboino, aliisque illius Oceani insulis, quas vna nostrorum colebat industria, variis casibus exagitata est rerum publicarum; & mira utrobique, aduersorum æque uti prosperorum alternatione. Inaugurationes regum ethnicorum aquis vitalibus; conuersiones populorum ad Christum, & desertiones; martyria, conflictationes atroces, & barbaræ, hisque similia euentus sortita contrarios nunc depressæ religionis, nunc sese attollentis; eos nobis narrandos suggerent qui & spectatores, & pars magna illorum extitere, digesto simul annorum ordine reddemus, quæ contigere à Xauerij obitu in consequentes septem, & viginti, quorum serie continetur, suis articulata nexibus rerum gestarum periodus. Nulla toto vsquam Oriente periculosior cultura, & operosior quàm Insularum de quibus aggredior scribere, haud tam cœli æquinoctialis influxu æstuoso, & solo vix nisi aromatum feraci; quàm insularium immuni barbariæ & Saracenorû vicinia, qui sua illos circum vndique ambiunt potentissima ditioe tum latè in alias insulas, tum in magnam partem Molucensium porrecta.

Nouandis rebus initium dedit annus 1552. & Tolum Morotiæ vrbs princeps vnus ex insulis quæ Mauri nomine censentur. Tolum Xauerius Ecclesiæ sanctæ adiunxerat, Ethnicorum millia quinque & viginti sacro fonte in ea ipsemet lustrarat; Christianorum virtus & numerus sub disciplina P. Ioannis Beiræ accuratissima, eiusque sociorum, tam manifesto diuinæ gratiæ ostento creuerat, ut gens si qua illo in tractu inhumana & fera, mansuesceret, & expoliretur in omnem Illustris Ecclesiæ sanctitatem.

M Sed

I
Apostasia
urbis Toli, in
insulis Mau-
ri.

Sed enim quicquid multorum annorum diuturnus, per summa pericula, promouerat sudor, pænè subito retro fluxit, planeque dilapsum est. Instinctus dæmone barbarus, fidem Deo fregit, eò detestabilior effectus, quò solent Christi desertores in deterius ruere, quàm ij qui nunquam Christum professi sunt. Rebellionis sacrilegæ funesta fax Saraceni; efferenti sese, in medio Mahometismi, regno Christi, eiusque intabescente progressibus, & suspecta sibi Lusitanorum potentia, nouis se in dies viribus firmante. Nam præter sedem Amboini, & Ternate fixam, Mauri quoque insulæ post susceptam fidem, cum Lusitanis amicitias iunxerant. Tidoris ergo, & Geiloli Reges (insulæ ad ortum Moluci amplissimæ) vterque Saracenus, iurati condicunt de Christianis Morotix ad defectionem adigendis. Militem educunt, & Toli fines magnis vtrinque copiis circumfusi, procul negotium prætentant, Geilolanus potissimum, quod & exercitu plus posset, & eius insulæ imperium verius affectaret, quam vt expelleret ex ea Lusitanos. Tolum nihilominus aggredi propius nunquam ausus, obsidione, aut irruptione vix expugnabilem, propinqua vrbi loca inuadere, inde ad prædandum, mactandum, vastandam regionem, crebris populationibus grassari, quibus perincommodè arctata ciuitas, se tamen ab hoste fortiter, & Christi fidem tuebatur. Beira nempe furtiuus per noctem vt prædabundos, defugeret excursionibus, suburbicaria confirmabat, religionibus periculo magis obnoxia; verum vnus tot locis tot impugnationes elidere aut eludere non valuit. Missis Rex Geiloli feacialibus ad pagos veniam, pacemque ferentibus, tantum si ad ritus patrios redissent, multi pagorum vastitatem agri & domorum, apostasia redemerunt. Sed Princeps Magistratus cuius nutu ciuitatis gubernatio ferebatur, præcipitauit omnia in desertionem publicam & vniuersalem; is suæ priuatim incolumitati, & communibus studens vtilitatibus ciuium, palam impudenter fidei Sacrosanctæ professionem eiurauit; & Christum exutus, ethnicum induit cultumque, & habitum ethnici. Vtque barbaros inter, pecudum more gregis caput grex totus sequitur, eo ipso die, secum impetu cæco in ruinam eandem rapuit vniuersos, & quæ vrbs primo diluculo Christianorum censebat capita tringinta millia, sub serum diei totidem censuit ethnicos, neminem Christianum. Nempe illorum qui præsumt auctoritas non exempli minus quam imperij pondere subiectos trahit. Eiectus à desertoribus Beira remigrat in Molucum; Geilolanus quod tanto ambitu prensarat, vrbs regia fide seruandam suscepit. Huic nouo Regi vt sacrilegio maiori, assentarentur putidius rebelles apostata, quicquid antea rebus sacris exhibuerant venerationis, in earum vertebant proculcationem; deiectæ vbique cruces omnes, euerfa altaria, templa solo æquata, sacræ imagines post mille dedecora laceratæ, ignique traditæ. Sed hanc Ciua, pagus agri Tolensis contumeliam caro luit, non sera quorundam suorum pœna. Vni impie dissipata Virginis matris effigie, repente manus aruere; alteri paucis ab hinc horis, marini piscis

eis transfixum acu caput. Lusitano vero quos non dubitabant fore tam iniuriosi sceleris ultores, ut ab se defenderent, coniurata cum Rege Geiloli in omnes casus arma sociarunt, eique demum sacramento dixerunt, & addixere se veſtigales.

Ternate arcem firmo præſidio pro Luſitanis obtinebat Bernardinus Soſa; dux quidem fortis, & in paucis fidus, ſed qui ab indicto Saracenis bello, tranſerre copias ad puniendos rebelles, & repetendum Tolum tam cito non poterat, quare ipſemet Deus vindictæ præluſit, eo quidem fragore ut niſi ſuis obſtupiſſent ſacrilegiis, facile ſentirent impietatis ſuæ conſcientiam ſeueram iudicem ſæuamque carniſcem. Ex quo enim die religionis Sacroſanctæ abdicauere ab ſe nomen, iratum mox cælum, terramque ſenſere inimicam. Annonas primum horreis conditas concepta caries ubique perdidit. Agros nunquam prius ſementem, & operam mentitos, totiuſque inſulæ maximè feraces, emaciauit ſterilitas adedè pertinax, ut nec ſegetes ad meſſem, nec ad maturum fructus perducerent. Aquas antea ſaluberrimas, & lymphidiſſimas, infecit dirus, & peſtilens ſapor. Corruptoque iam omni potus cibique comætu, cœpit fame ac ſiti ſceleſta natio interire. Acceſſit hiſ grauior cumulus, latè ſe contagio diffundens morbus, haud paulo maiorem de barbaris ſtragem edens, quàm dediffent antea Geilolani arma, cuius metu Chriſtum abnegatant. Ad hæc illi ſaxis duriores, ſixi tamen ſtupēbant ſuo in ſcelere, quanquam non poſſent non intelligere tam inuſitatas iis inſulis plagas, inſigi ſibi ſuperiori quàm naturæ manu. Soſam interea belli finis quod inſtituerat, liberum amiſit, ad feſtinandam contra perduelles impioſ ultionem. Quadringentos ad hoc ab Aëtio, Moluci Rege, ſiue ut illic appellant Tacile accepit; Chriſtianorum haud quidem ſtudioſo, quos uti ſectator Mahometis proſequebatur implacabili maleuolentia; verum, quòd magna pars Inſularum Mauri ad eius patrimonium ſpectabant, quod ſibi cernebat periturum, ſi eas Rex Geiloli occupaflet; vicinum præterea ſibi fore adlatus, auctiorem viribus, & inſenſum, ſeptem tantum leucarum, Ternatē inter & Geilolum alteo ſeriunctum: Ternatē ſibus Soſa, viginti addidit Luſitanos, debile ad magna ſubſidium, niſi cauſa hæc & bellum Dei foret, cui æque pronum eſt paucitate ut multitudine vincere. Hac Dei fiducia erecti, claſſem ineunt, ex medio quodam nauium genere conflatam, quas vocant Paraos, & Morotiam proras verunt, Ternate diſtātem millaria centum octoginta. Tolēſes ex alia parte, de Luſitanorum apparatu haud multum ſolliciti, animantur inſuper ad deſenſionem promptis Geiloli Regis auxiliis, & confidentia verborum. Toluſ enim, ut ferme ſunt aliæ eiufdem inſulæ ciuitates, ſitu prope inexpugnabilis, in montis altiffimi ſupremo cliuo extructa eſt; ob circum præruptos, & inſuperabiles aditus inaceſſo; nam quā ſolūm datur aſcenſionem admoliri ſemita eſt anguſta & ardua quam aduerſus multos facile pauci obtineant, nec vllus præter hanc aliunde, niſi re-

2.
Tolēſes
Apoſtata
diuinitus
puniti.

prando per tesqua, & acumina rupium, pronus in præcipitium ascensus. Hisce ab natura munimentis parum se tutam perfidia ciuium credidit, nisi artem iis adiungeret, altis se itaque aggeribus & vallo includunt; minus abrupta diruunt, & abrumpunt, fossisque transversis tutantur; foris pomeria, defixis è ligno durissimo sudibus præcingunt, tam densa palmarium cuspidum corona ex humo horrente, vt necessario iis sese induerent, qui essent ad obsidionem, vel impressionem accessuri. Postremo ad oppugnatores mora & tardio frangendos, urbem omni annona inferciunt, quam ob sterilitatem anni iis locis præparcam, à Rege Geiloli copiosam, cum militari subsidio, & tormentis bellicis acceperant. Tam pulchrè descripta propugnatione, tumida vrbs Tolus, Lusitanos aded non timebat vt licet plures decuplo venissent, pro mulsis esset habitura. At hi factò exscensu in littus insulæ, vt montis radices attigere, difficultate suscepti operis nullo modo percussi, reconciliandæ gratiæ conditiones Apostatis deferunt. Pacem mallent an bellum, in eorum arbitrio esse; vtrumuis eligerent; arma se nec eo animo sumpsisse, neque vltum venisse violatam Deo, & Lusitaniæ Regi fidem, verum vt eos placidè iusto vtriusque obsequio redderent, id si vltro placeret; arma se ponere: sin autem; illa non cassis viribus, nec lento conatu expedire: nec se tot auxiliis munitionum operibus extra tela securos confiderent; neque robur suorum contra paucos, numero metirentur, Deum cuius numen tanta indignitate temerassent, facturum iis, & præturum viam quos tam execrata vltiores perfidiæ mittebat. Hæc discrete, ac verbis fere totidem legati, quàm modestis, tam insolenti responso exceptis, sibi videlicet nec Regem Lusitaniæ cordi esse, neque Christianorum Deum. Purgarent quamprimum insulam, seque illuc vnde venerant referrent. Nihil se aut pacis, aut fœderis cum iis recipere: stetitisse iam sibi nimio Lusitanorum amicitiam, alios captarent amicos depredationum expertes, & ignaros quibus essent ab iis grandi suo damno expilati. Cœterum ab iis nugas agi, quos vana spes aleret, futurum vt quam abiecerant Christianorum vitam resumerent, flagitiosorum scilicet, cuiusmodi essent Lusitani. Dolere se potius, & erubescere quod fuissent quandoque Christiani; vnâ sibi restare mœroris huius consolationem, tenax propositum Christianismi nunquam repetendi. Hæc si parum certò asseri crederent, experirentur armis; bonis aurbus in procinctu se stare. Loqui desierant cum *elevauit Deus manum suam super eos*, ictum vibrans auditu terribilem, qualem ij describunt quos non eius modo atrox sonus, sed ipsum quoque præsens spectaculum perculit, clarus enim tunc, & serenus dies, extemplo nubibus obduci, & tam atris inuolui tenebris vt nox media videretur; simul his monteditissimis nono ab vrbe milliati, repentino verticis hiaru densa fumi nigrantis volumina eructare, crebris mixta flammaram iaculis, quarum varius color terrorem augebat. Inde ingens sublime ac late saxorum, & pumicum vomitus, sed multo infestior cinerum, qui tam conferta

vi tectis domorum illic debilibus impluebant, vt tota vrbe corruerent. Vna ad latus Ecclesiæ velut prodigio ab hac clade immuni domuncula, olim Patribus habitata, quanquam solis palmarum caricibus aridijs tegetetur, iam subterranei mugitus frequentes, & horreni, & longe grauior terræ motus, tam diris succussionibus montem pulsans qui Tolum sustinet, vt de vestigio homines, de militum manibus arma excuteret, accessit à ventis procella vehemens, & quacumque furebat turbinis impetus correptæ cum arboribus & reuulsæ domus. Aberat lacuna quatuor Tolo leucis, habebatque ripæ impositum oppidum, ductis circum fossis egregiè munitum, cuius fiducia oppidani à Christo defecerant, rati Lusitanos omni ad se aditu excludi. Tolum ergo igne dum cælum fulminat, oppidum obruit intumescens lacuna, & conclusarum terra aquarum accessu subbulliens, immensa restagnatione totum magna cum strage rebellium oppidum operuit, eodemque tempore candens rupes è montis ardentis excussa vertice in illud decidit, non dissimili fragore, ac si fulminum in reos struem iacularetur cælum. Cineris denique altissimi copia non planis modo æquauit fossas quibus interclusæ fuerant in urbem semitæ, verum etiam palorum extantes cuspides sepeliuit; ac ne foret obscurum Dei manu hæc geri, ea cautione multas circum leucas sapiens cinis operuit, vt in Christianorum pagos tertio quartove à monte milliari in fide constantes, ne color quidem illius afflaretur. Sic illa in defensionem tam meditata, & multiplex comparatio fefellit desertores; tenuitque tres dies, & noctes totidem; coniurata in exitium barbarorum, elementorum pugna, & magnum illorum numerum peremit, aliis saxorum ignita grandine obrutis, aliis ruina ædificiorum ex terra mouente, & mole cinerum misere oppressis; pars tamen potissima in Syluas se abdidit, Lusitani suis è nauibus, minori metu quam gaudio Deum pro se pugnantem interim spectauere sedato iam montis vomitu, è syluis ad urbem tuendam barbarus; ad inuadendam redit Lusitanus, cui cum fossas, & calles complanasset cinis, non fuit difficile in montem euadere. Magna vi, & Marte ancipiti ad muros pugnatum est, barbaris pro vita & vrbe desperantè nihil non agentibus, sed per sepultas muricum cuspides & cinerum cumulos occupata est tandem, nudataque propugnaculis, & mœnibus ciuitas, fugaque iterum dilapsis in solitudinem redacta; cæsi hostium complures, de Sosæ militibus nec vnus numero defuit.

Certa fide habetur Xaucrium & in Moluco visum de expeditione de- liberantibus adesse suaforem; & aduersus Tolum militibus pugne hortatorem, vt ea merito inter eius memoretur gesta. Id solum aduerto non potuisse hanc eius præsentiam nisi miraculo exhiberi, constat enim tunc virum sanctum milliaria à Molucis circiter mille abfuisse, nimirum ex Indiis in Sinas nauigantem, quorum in aditu obiit; hæc autem enarrata non incidisse in annum 1546. quo sanctus in Mauro versabatur (vt scripsit lato errore temporum nonnemo) sed in sextum post an-

num, hoc est 1552. potuit attamen alibi existens Xaverius diuina virtute Tolensi prælio, & excidioni præsens sisti, factumque firmatur tot testibus, quorum aliqui pugnae intererant, ut summi Pontifices suo diplomate, inter prodigia illud retulerint ab eo adhuc in viuis agente, mirabiliter edita. Deerat suus victoriae colophon, Regis Geiloli iusta poena, hostis Christianorum perditissimi, qui Lusitanorum socios perduelli face incenderat. Secessum is sibi in insula legerat milliaribus à Ternate viginti, vbi se arce tuebatur, situ, & operibus, ut mente fingebat, inexpugnabili, & omni genere comatus ad diurnam obsidionem communita, machinarum præsertim ænearum quas decem & octo annorum ex præliis, & naualibus contra Lusitanos victoriis tulerat, nunc in numen iratum, & Sofam prementem sibi prorsus sensit inutiles. Obsidione trimestri, cum arce captus est, sed hausto venæno, victoris manus, & debitum supplicium effugit. Successor datus perfidioso patri filius melior, & fidelitatis aduersus Lusitanos egregia, eamque ob causam prodicione Aërij Molucensium Regis de medio sublatus, prout inferius commodiore loco narrabitur. Restituta re Toli publica, de religione instauranda cœptum agi, ad hoc è Moluco accurret Beira, qui vrbis attonitus calamitosa vastitate, fugitiuos in eam reducere statuit. Sylvas itaque scrutari, & contubernia illorum aliquot multo labore deprehensa securitate venia, ex trepidatione confirmare, secumque in urbem pertrahere; alij paulo post ex vterioribus montium latebris audito illius aduentu prodire, ingens suo cum ductore populus, & Beiræ conspectu, manus ploratusque in cœlum tollere, magnis lingua sua vocibus à Deo veniam, & ab ipso rogantes, & sacrilegij culpam omnem, communi execratione in Geiloli tyrannum reiectantes, cuius ut excusabant infelices, non potuissent crudelitatem deuitare, nisi desertione legis Christianæ, & fidelitatis Regi Lusitanæ iurata. Cœterum, plus nimio expertos, quanto esset & Deus iratus, & Rex Lusitania armatus tyranno potentior; ab ipso qui gratia apud Deum, & Regis Præfectum, tantum posset, orare vtrumque fieri sibi placabilem, vtrique se fore æternum addictos, vtriusque in fide mansuros, quæ dum multo cum fletu iurarent, prætendebant eneetos fame liberos paruos cadaueribus ipsimet quàm viuis corporibus propiores. Facile inflexit mitissimum Beiram, reorum calamitas, lugens & ipse, admissi poenitentes in fidem recipit; & ducem, ac vadem redeuntibus se præbet. His addunt se alij comites qui è dumetis, & cauernis horum fiduciam conspicati, vltro ipsis accedunt, viri, & pueri; veteres quas adhuc memotia tenebant Christianæ doctrinæ cantiones mœstis vocibus repetentes, prostratique ad Beiræ genua eandem cum aliis misericordiam implorantes. Tolum tandem cum eo ingressi ad reparandas ædium ruinas se accingunt, sed ante omnia primam admouent reficiendo templo manum; quæ sibi procuderant statuerantque simulacra, deturbant, & conterunt, vni eorum euertendo, & comminuendo, diem integrum & noctem vniuersus

sus populus insumpsit, tanta erat monstrofi idoli moles, in augustissi-
 ma Triados confecta probrum, dimidiato tricorpore trunci vnus basi
 imposito. Vicissim quoque diuina bonitas infelicium dolorem, & fi-
 delitatis promissæ obliues lacrimas, manifesto indicio se accipere mon-
 strauit. Nam exinde ager de sicco & sterili ferax; aquæ ex ingratis &
 noxiis, sanæ, potuique idoneæ: Christianorum requirentium deserta
 sacra; Ethnicorum votis supplicibus, salutis fonte petentium ablu-
 tanta multitudo, vt diu noctuque instarent, nec horæ spatium Beiræ
 liberum permetterent. Fuit cum vna hebdomade, millia quindecim
 baptismo tingerentur; fuit cum die vno ad quinque millia. Iam quæ
 Tolensibus inflicti cœlitus prodigiosi supplicij fama sonuerat vicinæ in-
 sulæ, missis nuntiis plurimum rogabant vt sua in oppida ne grauetur
 Beira transmittere, nam se quoque velle Christianis adiungi. At is so-
 lus non valens in tot insulas diuidi, cum egrè vel Mauro sat esset, in
 subsidium accersit è Molucensibus insulis quatuor, P. Alfonso Ca-
 strinum, Nicolaum Nonnium necdum Sacerdotem, Melchiorem Figue-
 redum, & alium recens tyrocinio adscriptum: appulso Regibus qua-
 tuor destinat idolorum cultoribus ad baptizandos eorum populos qui cū
 vnum inter se commune haberent idioma; & essent ab omni Mahometana-
 norum contagione liberi, tam secure illis committebatur Christi fides,
 quàm procliuēs ad eam accedebant. Cœtera, si vsquam alio sub cœlo
 barbari, & nulla ciuili rei forma. Cœtæ solum temporum mensuræ,
 de stellarum quarundam ortu & occasu distinctæ. His Beira confectis, ad
 deducenda ex Indiis sociorum auxilia eò renauigat, vt qua ope valeret,
 infinito illi Ethnicorum numero adesset. Fortunauit Deus exitum nauig-
 ationis, occurso Xauerij quem Malacæ offendit. Illic mutua gestorum
 & casuum narratione recreati, Xauerio de Iaponicis, Beira de Molucen-
 sibus referente, ille in Sinas, iste Cocinum, quo destinauerant vela fecit.

Crescebat per id tempus noua Maurensis Ecclesiæ soboles neophy-
 torum accessione, morumque probitate, magnumque de se constantis
 fidei, & innocentia præbebat specimen, sed hæc ne rata certaque ha-
 berentur, verabat perpetuo oculis obuersans Saracenorum vita ex ritu
 impuri Mahometis, & perpetuo auribus obstrepens eorundem in legem
 Christianam obrectatio contumeliosa, quo vtroque recens ad fidem
 conuersis non parua creabatur offensio. Mixti enim debebant Mauris
 Christiani, nec raro eodem sub tecto & lare Maurus pater & coniux,
 vxorem & filios habebant Christianos, lubrico sanè in lapsus proniori,
 quo bonis prauorum scabies, quam prauis bonorum probitas promptio-
 ri contagio adhærescit. Huic periculo iturus obuiam, Lusitanis in Mo-
 lucco Præfectus, & seiuncturus ab Christianis Sarracenos anno post 1553.
 proximo, Ternate in Maurum suo cum milite traiecit, vltroque se illi
 non rogatus, adiecit socium cum lectissimis suorum Aërius Mahometis
 cultor & Molucci rex, siue quod idem est Ternatis, cuius nempe deinceps
 sapius memorandi præmittenda hic nobis ingenij imago, vt semper sui
 vbiq:

3.
 Aërij Regis
 seu Cacilis.
 Molucarum
 ingenium.

vbique similis agnoscat, etiam dum se homo versipellis in omnia fraudum prodigia transformat. Hunc Mauri Iauanensi natum, Moluci Regis Boleizij concubina, inauspicato Lusitani, iuuenem in regnum promouerant. Hoc totis illius Oceani, quæ decies mille notantur insulis nec esse sceleratior potuit nec fraudulentior: simulandi artifex incomparabilis; proditioinum suarum tam catus occultator, vt fidelitatis ad dictissimæ specie sexcentos oculos falleret, seque illorum quos perdebat rationibus propensè consulere probaret. Religionis Christianæ, quam morte grauius oderat, dixisset amore percitum: hortabatur ad suscipiendam illam suos palam & disertè; imperabat clam de medio tolli qui eam suscepissent. Alcorannum cum nostris, ioco & conuiciis traducebat: suscipiebat perinde cum suis, vt si eius singuli caracteres, totidem mysteria velarent, eiusque apud Cæcigos suos agebat interpretem, & magistrum. Baptismo quin etiam optabat tingi ne suspectus fieret Saracenorum fouere arma secum in Christianæ rei pernitiem coniurata. Erga Lusitanos, nemo adæquè vt ipse Lusitanus: in illos, sed vbi duntaxat maiori sibi commodo verteret, semper beneficus. Nam erat ambitus eius summa, summum omnium Insularum quæ Molucensibus adiacent imperium; quate magno in lucro reponebat, Lusitanis interdum aliquid cedere, vt si quando fors & tempus inuissent, semel omnibus potiretur. Fractos bellis vidisset assiduus, quæ per fœderatos sibi Saracenos clandestina illis conflabat machinatione; tum vero ipse militem vndique facere vt euertèret iam nutantes; at si vel auxiliis Indicis, vel secundo prælio, res suas firmassent, fingeat illorum se defensionem scriptissè milites; insultabat eorum hostibus, pacis intercessor accedebat. Omnis denique perfidiosa vulpis, clam cæca in nocte, & latebris conatus, coniurationes, doli, proditioes, quorum idcirco suspiciones fiebant aut statim euandæ aut nullæ, quod is præter fraternam beneuolentiam, clientis fidem, & subiecti obsequium nihil præferret. Augebatur his artibus in dies, amplitudine ditionis, & circumducebat vater Mauros iuxta & Lusitanos; & hos quidem suadens ipsorum interesse, ne confinés iis Reges minime Christiani, tantum viribus pollerent ita facile obtinebat, vt eos sinerent ab eo impugnari. Mauros vero aiens, eò se vnicè tendere, vt potentia, & opibus quæsitis ad primum occasionis articulum Lusitanos tandem opprimeret. Sic Ternatem præter, Macianum, & Timorem, iisque proximas Irum & Marem (quæ item Molucis adscribuntur) Maurum sibi prope integram subiecit, & magnam partem Amboini, aliasque maris eiusdem complures insulas. Nec deprehendere Lusitani eius ambages animi prius valuerunt, quam illum cernerent eò iam imperij venisse vt dissimulare illas expediret. In quo plane Deus Lusitanis commeritas rependit crudelitatis pœnas quæ sæuitum ab eorum quibusdam fuerat aduersus filios Boleizij Regis, quam præclare de Lusitania & ministris regiis meriti, tam indigne tribus suis in liberis habitis, vt hoc ipsorummet historici, sine lacrimis non feri-

bant.

bant. Omnibus enim consecuta mors, vnus veneno, ferro alter necatur, incerore tertius, vt notho Aërio daretur in regnum aditus, qui eadem ipsis Electione suam, ingratiſſimi animi remuneratus est mercede, quam patris sui amori fidiſſimo, & beneficiis singularibus rependerant; sed hæc ad perſpicuitatem eorum quæ sequuntur de Cacile Aërio, Ternatis seu Moluci Rege, Molucarum enim quinque primaria Ternate, Regno nomen facit, nunc ſcriptionis filium resumamus.

Vix sine tumultu, & cædibus videbantur posse Christiani à Mauris ſeiungi: intolerandum Mauris accidebat, ab vxoribus, & filiolis distrahi, quorum nec ritu volebant viuere, nec consuetudine priuari. Coegit inuitos Aërius, cuius imperio ſuberant. Obibat pagos ſtricto acinace, intentabat refractariis necem, euersionem domorum minabatur, nisi producerent Christianos, præire se illis exemplo aiens, & quos ſuis in ditionibus comperisset initiatos ſacro Baptiſmate, illos se dedere Christianis, ne duabus quidem ſuis ſororibus induliſſe, ſed Baptiſmi lauacro Chriſti fidem profeſſas, Luſitanis libenter tradidiſſe. Quod ipſe tam verè affirmabat, vt cum inter ſuas feminam haberet, quam ignorabat eſſe Chriſtianā, id vbi reſciuit viſus ſit acerbè dolere, ergo pretioſis inde exultam veſtibus, honorificè dimiſit liberam. Ita qua minis qua precibus, diu noctuque conſtanter & fortiter ſatagens Patrum conſilia oprato exitu perfecit, & ſegregati ſunt à Mauris Chriſtiani. Sux quin etiam diſcedens probæ mentis argumentum reliquit, quod P. Alſonſo Caſtrio ſuaſit, pueros aliquot Maurorum filios Ternatem ſecum deduceret, qui Chriſtianiſ illic imbuti diſciplinis, fierent Patrum interpretes, ad annuntiandam reliqua inſula Chriſti legem, tulitque hæcenus hoc boni Regis huius pietas ſimulata, quæ tam in ſpeciem ſincera & effuſa, vt non poſſet maiorem teſtari ſi foret inſigniter Chriſtianus, creditus certò eſt, ad fouendam, prouehendamque Chriſtianitatem magnopere affici (quod vt maximè crederetur, vehementer curabat & ſuis rationibus deputabat) ſcriptumque in Europam non longe illum ab regno Dei eſſe. Sed hanc interim famam in ambiguo ponebant concubiniæ centum, ex quibus ſeſe non norat extrirare. Annum hunc 1553. occupauit ferè Chriſtianorum ſeparatio à Mauris, ſub ſinem illius, ſociorum ſuppeticas aduexit ex Indiis Beira; verum Xauerij obitu mœſtiſſimus, cuius ſanctum corpus ab omni putredine intactum, veneratus fuerat Malacæ, ſuiſque oſculis, & lacrimis ſparſerat, illam memorans cum eo poſtremam ibidem paucos ante meſes, & ſuauiſſimam conſuetudinem. Socios quo maior vrgebat neceſſitas illico diuiſit; ipſe cum Franciſco Godigno contendit Tolum. Eæ ſolum inſulæ quæ Amboini continentur appellatione, noſtrorum iam inde, cultura deſtituebantur, ex quo anno 1549. P. Nunium Riberum peremerant; cuius hic breuiter conſignanda eſt virtus egregia.

Adlectus fuerat in Societatem Riberus Luſitanus Kalend Auguſti, anno 1543. dùm Theologicis ſtudiis in academia Conimbricenſi dat

N operam

4.
Separantur à
mauris
Chriſtiani.

5.
Vita P. Ri-
beri, &
morſex pro-
pinato ve-
neno.

operam, ad hoc illum exemplo validè impulit Gonzalus Sylueria, viginti tunc annorum iuuenis, & clarus nobilissimo genere, post abique vlla comparatione martyrio clarior, quod in regno Monomotapæ obiit dum illic Euangelici præconis officio strenuè fungeretur. Nō diu post tyrocinium bienne, Sacerdoti iam, sua virtus Indos obtinuit excolendos, & quidem in iis quod erat asperrimum & difficillimi laboris, nec committendum nisi hominibus ingentis animi, & exploratissimæ virtutis, qualem norat Riberum Xauerius cum eum Malaca iussit in Amboinum, proficisci anni 1547. Augusto mense, vbi ferendo, & agendo, luculenta sui breuissimo tempore præbuit documenta. Atque illo in primis quadrimestri, quo classis illic ex India hycmat, aptos ad reditum Etesios expectans, pietatis suæ ardore indutrio illam penitus inmutauit; Lusitanos enim illius exercitus eò supra modulum bonitatis prouexit quem tenent probi mercatores, milites & nauatæ, vt putares sub cultu profano, religiosam professos vitam: in iis non pauci iungere cum illo perpetuas operas, & Societatem indiuiduam voluere, in eruditione illarum gentium; & ad hoc aliquos etiam admisit. Eodem, quod dixi; mensium quatuor spatio, feraci apud Saracenos, & idololatra prædicatione, sexcentos Baptismo lustrauit; vltra bis mille sesqui anno sequenti; messem esto parcam & auaram, si hanc numerus metitur; copiosissimam, & prodigam, si spectetur gentis barbaries ad eò ex legis, ad eò belluinæ, vt circa Amboinum, filij patres decrepitos vicissim donarent ad instruendas semicrudis illorum carnibus epulas, & inter crudelia crotala & nefarias choreas illorum se artubus saginarent; in omni vero lasciuia genere; etiam belluis peiores; veneficiorum docti artifices; latrociniis terra marique metuendi; & nihil non perfidia auctori vbi oboli lucellum affulsisset. Tantum nihilominus in feras bestias potuit Riberus, eiusque potissimum charitatis in illos mira teneritas (inaudita barbaris, & ignota) vt illos mansuefecerit, sibi que ac fidei Christianæ quoad sinebat naturæ immanitas, effecerit dociles. Et erat planè quod barbaros molliret, eorumque sibi addiceret beneuolentiam, cum se suis quoque exueret vestibibus, vt modo hunc modo illum tegeter ne tunicæ quidem parcens, sic vt cogerentur Lusitani per hyemem quam illic egerunt, pro sua pietate, nuditatem illius identidem reparato vestitu munire; verum vbi statione abissent, cum suimet oblitus, nihilo quam antea minus large suos in Christo filios sua pergeret inopia iuuare, tandem eò venit vt lacinia stragulæ inuolutus incederet quæ noctu lectum quieturo præbebat, interdium vestem. His inusitatæ caritatis dulcibus vinculis, obligatas sibi feras illas, ad audiendum trahebat Dei verbum; quod pariebatur in illos ita congruenti eorum ingenii facultate, vt fructum hinc ferret vberem liquidissimæ voluptatis. Afferebant ad illum adoratas sibi catenus statuas, & coram ad illius pedes, confringebant, cruces multas figebant, ædificabant templa, materie & opere rustica; sed opificum pietate magni æstimanda, vt qui licet dierum,

dierum paucorum neophyti, omnes tamē certatim manus operi admouerent. Multum illi negorij dabat indigenarum inuestigatio, qui quod Rege carerent; & mutuis semper conflietarentur bellis, tuebantur se montium summis & abruptis verticibus, quorum ascensus (vt scribit expertus) mortis quidam videtur ambitus, cum vbi ad summum eualeris, pereundum sit illic dira fame; sed nihil iniuium caritati; nihil durum vitam Deo immolanti ad redimendam salutem animarum: nudis pedibus, corpore seminudus contendebat illuc Riberus infatigabilis, & sperato itineris sine, via molestias solabatur. Ita breui magnarum: expectationum fundamenta iecit, si Deo venisset gratius desiderijs illius quam meritorum præmijs indulgere. Saraceni quidam sectæ suæ fautores acerrimi, nocte intempesta furtim serui Dei tugurio ignem subdere quo illum simul absumerent; sed fuga exitium præuertens ad mare procurrat vbi dum lintre in aliam traicit insulam, subitanea illisus procella, & naufragus, ex aquis tamen pariter vt ex igne, sed dispari euentu feruatur, scopulo nimirum tam attritus, & lacer adhæsit, vt triduo integro humi iacuerit: illic fortuito barbari occursum quem Allifurium vocabant inuentus, inter brachia sublatus est in neophitorum pagum, & ab iis pro egestate quo licuit modo recreatus. At hic Saraceni, velut ipsum renasci cernerent in opprobrium sui Mahumetis, alia via necem illi parant, hospitem illius pretio corrumpunt qui fide iis vendita, venænum illi propinauit ipso assumptæ in cælum Deiparæ die sacro. Mane sacris pr uatim operatus (nec enim illic fas erat alio ornatu) musico tamen cantu sacris dicato solennibus gloria in excelsis decantauit. Quo id animo tam nouum haud facile dixerim, nisi fuit sanè is, ille dies *αὐτῆς χάριτος*, decantandæ, gratulandique tum sibi transitum, in cælum; tum Xauerio possessionem Iaponiæ Christi nomine initam in quam tunc primum is eo die iniiciebat pedem, & cōuersionibus innumera bilium hominum pandebat aditum, vnâque tot martyrum gloriæ qui regna illa suo & hæcenus cruore in messem vberriam feliciter irrigarunt & sunt deinceps nihilo auarius rigaturi. Ex tremore totius corporis, & acerbissimis conuulsi stomachi doloribus, febrique sæuissima, Nonnius, pestem venæni grassantem vitalibus sentiens; tempusque supremum instare, paucillum id quod vitæ supererat festinatò cœpit alienæ saluti expendere dum suæ vltimam operam imponit; cumque non possit in pedes confurgere, distentus in linteo circumferebatur per Christianorum pagos, quibus valedicens, fidelitatis Deo fortiter præstandæ, postrema tradebat monita, necessario mox futura vsui, cum adesset nemo, à quo post eius obitum docerentur. Dies tenuit septem hæc circa pagos gestatio Nonnij, neophytos suos salutantis, hortantis, & sensim morientis, post quæ beato sine peregrinationem suam clausit. funeris pompam non habuit aliam præter Christianorum tristem luctum suam deplorantium orbitatem & tam cari Patris lamentantium iacturâ, cuius in erudiendis iis insulis nemo erat qui vices subiret. Quanquam

Nonnij mortem, si non præcipitassent impiorum manus, diu certe differri non poterat in perpetua ærumnosi laboris assiduitate, in victu præter herbas crudas, & orizæ pugillum ad omnes delicias omnibus carente in lecto etiam & lecto, præter cælum & humum nullo: continuus ad hæc inter fidei hostes, quocumque vocaret ministerij sacri officium discursus; & nauigatio aduersis temporibus importuna; crebrisque naufragiis cum præsentissimo vitæ periculo infelix.

6.
Naufragium
& mors F.
Antonij
Fernandez.

Huic ergo sed quinto ab obitu anno 1554. Februarij 22. successit F. Ioannes Fernandes, & mouit hominem ad hanc partem laboris tam ardui optandam, Christianorum illorum calamitas, Maurorum permissa tyrannidi, à quibus in miseram abacti seruitutem aut vilissimo pretio venibant, aut si emptor deesset, esca piscibus in mare mittebantur. Quare Fernandio obseruandi sui iugis necessitas instabat, cum apparere in publico non posset, nisi cum perpeti necis inopinatæ discrimine, me quidem (ait ipsemet scribens) si occupauerint, non erunt solo fustuario contenti, & destituentur Christiani omni præsidio doctrinæ & salutis.] Seruauit tamen Deus incolumem, accipiebatque à multis etiam interim insulis nuntios, quibus ab eo baptismum flagitabant. In iis insula duorum Burrorum, milliarium ambitu sexcentorum, ad tertium & sesqui sub antarctico gradum sita. Ea Christianos, sed baptismo tenui, habebat quamplurimos, rerum de reliquo diuinarum rudes, & nullas Christianæ vitæ regulas edoctos. Illuc enim cum olim Lusitani negotiatores appulissent, impetrare inde discessum ex incolis non ante potuerunt, quam eorum ad quatuor millia Christiano ritu abluissent, verum prope ignaros quid agerent, & nulla nisi exili admodum institutione irroratos: quærentibus sub hæc, quam morum formam imitari deberent, vt Christiano munere fungerentur indixere illis mercatores non aliud, nisi vt ad crucem quam ipsi statuerant prætereundo genua flecterent, & sublatis in cælum manibus Dei misericordiam poscerent hoc vno se saluos confidebant fore, & vita quam ethnici duxerant, eadem pergebant viuere Christiani. accersabatur ergo ab iis Fernandus, vt qui nondum essent baptismo consecrati, ab eo illum susciperent. Tendebant & aliæ insulæ ad illum manus, & ex Amboino per legatos illum ad se vocabant, vrgentes maximè vt sui misertus, sibi quoque salutem afferret, quam non possent ab vilo alio sperare. Is vero tunc secum præter Vincentium Pereiram pietatis feruidæ Lusitanum habebat neminem; qui arrepto in Sinas itinere vt Societatem illic à Xauerio obtineret, consultiori Beiræ suasu in Amboinum transmiserat, vt eam strenua opera mereretur. Hoc vno comite Fernandez, ad quærendos populos se accingit à quibus baptismum rogabatur. Ad hoc ipsi locum in cercuro suo præbuit nepos Iordani Freiræ, Præfecti quondam arcis Ternatensis. Est porro eius nauigij figura qualis eo in mari solet, è lignis teretibus, nec ægre solutis quod nullis tabulæ confixæ clauis, mutua solum commissione connectantur; agitur triplici remigum ordine, transuersas ad latera.

latera extendit trabes, quibus etsi mergatur, non facile tamen ad ima deprimitur. In altum prouexerant cum turbato horribilem in modum cœlo, tempestas cruda nauim exagitat, & quassationibus ferendis imparem euertit, vectores in aquis pereunt, Vincentius Pereira incassum omnia contendit vt Fernandium seruaret, distantem enim à terra longinquius, maris iactatio vehemens omni ope exclusit, & fluctibus obruit. Vincentius vtrumque brachiorum remigatione se sustinens ad rupem impingitur, quam dumprehendere nititur tam crebro fluctu in saxa illisus est, vt iis tandem correptis, nisi manibus serpendo non posset incedere. Sic triduum reptans cum errasset demum indigenam offendit, à quo humaniter semiuiuus in humeros tollitur, & reficiendus in Christianorum villam deportatur; qui cum reliquis Amboinensibus incredibili mœrore profecuti sunt mortem Fernandij, quem à se tam pridem fidei, & mysteriorum doctore carentibus tamdiu expectatum, vixque sibi ostensum repente amisissent. Vir erat efficacissimi ad Dei gloriam feruoris, & in transcribendis in eius obsequium Ethnicis adeò strenui, vt diei vnus spatio quandoque baptizauerit septingentos, noctem primæ auroræ sacro illo opere coniungens. Incidit illius ad Deum transitus in 12. Martij, anni 1554.

Cæteros agendi, tolerandique vis & assiduitas quietis impatiens paulatim absuuebat, prosternebatque sigillatim modo hunc, modo illum operariorum, vt interdum omnes domus eiusdem ægrotarent; curatorem ægroti agere cogebatur ægrotus; omnes verò proximis adesse, & ad animorum necessarios vsus accedere; summum tamen his morborum ærumnis futurum fuisse solatium, eorum vnus scribit, si vel frustum panis nancisci potuissent, sed panis alius deerat præter quem ex arbore paulo palma maiori conficiunt incolæ, ligno eius in farinam commolito, pistoque in massas, & neglectim cocto. Sagu indigenis dicitur, saporis expers, & gratiæ, & semihominum, quales ij sunt, cibus. Inuenitur ibidem ex oriza panis, sed arctus, & rarus, & vix nisi in mensis optimatum. Nostris obsonium orizæ tostæ pugillus dabat aqua maceratus; aut si quando ad mare ouum testitudinis, vel aliquid piscium, in delitiis ponebatur; somnus vt plurimum humi sub arbore vel in littoris arena; medicus, sua cuique naturæ constitutio robusta, & vice remedij cuiusvis patientia. Operis tamen perpetua, & indefessa strenuitas, & in tanta victus, & medicaminum egestate tam alacris, & animo vegeta, vt si corpus quoque, mens suis voluptatibus refoueret, quibus vsquam negabat Xauerius se diuiniore, quàm in Mauro expertum, vnde procul abesset omne ab humanis solariis leuamen. Certo quidem inducor vt putem ad has S. Ignatium allusisse nostrorum in Mauro; Amboino, Molucis calamitatum conflictationes, cum ad fulciendam in Europa Collegiorum quorundam constantiam quæ dura tunc premebat inopia, reuocaret illis per litteras quæ nostri apud Indos paterentur; & sunt eiusmodi literæ, vt quam iis quondam tulere consolationem,

7.
Patrum inter
Molucas
ærumnæ.

eandem in similes casus sint semper allaturæ. Multorum inquit, accepimus literis, Reuerentias vestras à D. Deo, sanctæ paupertatis opera exerceri, hoc est penuria rei domesticæ, ad valetudinem corporis & opportunitatem necessariæ. Non est in minimis beneficij huius ponenda gratia, quod dignetur vos diuina bonitas eius doni experientia, & sapore cuius perpetuis teneri nos desiderijs oportet, si fingi volumus ad Christi IESV ducis nostri similitudinem, pro nostri ordinis sanctissima institutione. Equidem locum in Societate nullum scio, in quem boni huius non pertingat communicatio, & sensus, tamen largius, parcius ut est locorum diuersa conditio. At si cum nostris in India fratribus componamur, nostrum hoc pati durius non censebo, cum inter graues corporis animique molestias, multis locis pane, vinoque careant; oriza, & aqua leuisque alimenti similibus victitent; misere vestiantur, magnisque homo exterior arctetur incommodis: nostris quoque nos veritari in Indiis statuamus, quæ sane nusquam defunt; ita si nobis penes quem ea cura necessaria minime prospiciet, licebit ad Sanctam mendicationem confugere, quæ suppetias feret egestati. At si volet nos Deus inopia vrgeti, ægrotis saltem nihil desit, possunt enim qui valent, facilius patientiam durare, quam nobis concedat qui tam amabilem docendo, & ferendo fecit. D. Christus IESVS, sui nos amore, rerum omnium loco, & sui sapore obsequij perfundens.] hæc ad suos Sanctissimus fundator. Roma | mense Decembri ann. 1552. datis. Sensim igitur in Molucis dilabente nostrorum numero grauitate onerum, & incommodorum, cum ad magnitudinem operis qui erant superstites pro nullis propemodum habendi essent, decreuit Beira iterare in Indiam transitum ad accersendos laborum socios; cuius item illi suavor consilij fuit, debilitata mentis sensus quidam, ex oppressa violenter natura toto simul arumnarum, laboris, discriminum, mortis semper in oculis posita, toto inquam illi & perpetuo pondere incumbente, nullo vel diei vnus à molestiis laxamento. Ex quo factum ut Goam reuersus an. 1556. nunquam postea reperierit Molucenses; sed in collegiis Tanensi, Bazaino, & Goanno residuum traxerit vitæ septennium, nec satis quoad corpus vitalis, quoad mentem stupidæ & omnium oblita. Quare hunc in annum quo cœpit Molucis pro mortuo esse, apte colliguntur singularia merita quæ vitæ tantus in Indiam ad exemplum operariorum; inde ad coronam Apostolicis promissam laboribus in cœlum tulit. Ortum duxit Ioannes Beira ex regno Galleciæ, Pontifitriæ natus, canonicus Corunnetis, in Societatem vocatus Francisci Stradæ concionatoris eximij familiari allocutione.

8. Louanio Strada petebat Conimbricam, anno 1544. ibant socij cum illo vndecim, excipiuntur hospitalitate humanissimi hominis ad quem statim non pauci conueniunt, peregrinos duodecim noui cuiusdam ordinis spectaturi, de quo nisi fama nihil dū cognouerant. Hic circum adstantes animaduertens Strada, arrectusque in quæstum animorum, ser-

monem

p. Beira vita, labores in Moluc, &c.

monem cum iis induxit de negotio salutis, quem nondum absoluerat, cum eo penitus Beira vnus adstantium ictus captusque est, tam propitia Dei adspiratione, vt die eodem caducis & rebus, & spebus valedicens, tredecimum illis se socium dederit. Stradae quidem laude haud minima qui eum expugnauit, sed eius profecto haud paulo maiori, tam scilicet pie probèque animo comparati, vt primo illi ac simplici Dei inuitantis nutui cesserit. Proficiscuntur vnà postridie; Beira eques, alij vt venerant pedites, sed noui comitis accessu valde læti: quos non est passus diu tam incommode ambulare, sed verecundatus sibi melius inter illos esse quorum magis auebat fieri seruus quàm socius; debilioribus equum suum concessit, qui & ipsi mutatis vicibus lassas vires alterna leuabant equitatione. Conimbricæ admissus in tyrocinium, vnus anni tiro designatur ad Indiam delectu Simonis Roderici, eòque martij 29. anno 1545. Vlyssiponæ vela fecit, cum Antonio Criminali & Nicolao Lancilloto, tactoque ad vigesimum diem Mozambico, quinto solum mense prospera navigatione Goam legit, eiusdem anni Septembris secundo. Goæ rerum magnarum ad quas cœlitus fingebatur humilia iaciens fundamenta, ianitorum domus quamvis sacerdos egit, seque similibus exercuit ministeriis donec Antonio Criminali (postmodum in Piscaria martyri) attributus est in Parauos comes; inde ab Xauerio Malaccam euocatus, in Molucum denique missus est. Vitæ cursum scripturo quem illic peregit, delineandus esset ærumnarum ordo quibus apostolus gloriatur, nec suspicionem facerem amplificati supra modum veri. Omnes illinc de Beira literæ magno consensu id affirmant, gesta que ipsius literis firmiora. Illud *in mortibus frequenter*, quotidianum illi fuit. Vnde frequentes de illius morte in Indiam nuntij, nunc ferro, nunc venano perempti; nisi cum præsentis vitæ discrimine prodire non poterat inter homines natura barbaros, superstitione inimicissimos nomini Christiano: quod ergo incolæ noctu è syluis descenderent ad venationem hominum veluti ferarum, cogebatur iter sub ardentissimis solibus agere, cum vix gradu altero & sesqui ad septentrionem, Molucæ absint ab æquinoctij linea. Sæpe via exerrans solus vagabatur per inuia montium & saxosa, herbisque carentia quo saltem animantium pabulo falleret sæuam famem. Tolensium coniuratione, paulo ante narrata, menses nouem errauit profugus, montes, & nemora percurfans, vitam herbis vtrumque, & aqua sustinens, nudo in solo, qua nox occupasset sub dio dormiens, vel in cacuminibus arborum; subinde vero se Christianis ostendens, & defectionis reliquias suscitans ne superstes in iis extingueretur Christi fides: residuum temporis quo compellebatur in speluncis latere, suo priuatim lucro solitarius precando exigebat: neque hac tamen sui tam cauta obseruatione, sat barbaros cauit. Bis illum duo fidei desertores prodidere, ab iis venditus Mauris crudelem apud eos passus est seruitutem: sollicitatus ad abnegandum Christum, haudquaquam martyrio defuit, nec acerbitate cruciatuum mentis robur.

bur inflexit; quod autem in viuis seruatus est, non putem alteri tribuendum quam cupiditati barbarorum, qui auaritia saeuitiae rabiem premente, ex illo Christianis vendendo lucri aliquid opimi sperauerint. Longe acerbius, alienam in fide mollitiem, quam suas pro fide pœnas sensit. Senes quatuor Christiani, cum illo torti, dolorum impatientia Mahometi iurarunt, nec forti spectaculo quod de se iis dabit, nec horratu incenso, durarent patumper, & breui clarioque martyrio, æternam redimerent salutem, erigere illorum ignauiam potuit. Quanquam infelices, infelicem hanc vitam, Christi, & felicitatis eiuratione impiè seruata, nondiu seruauere, hanc iis paulopost diuina ultio, terribili documento eripuit. Nec illum mitius excruciauit dolor, cum sui odio Saracenos spectauit coram infantes teneros, matrum quas baptizauerat sinu raptos ad saxa collidere, quam eandem ab ipsis præstolabatur barbariem, vt morte consimili comitaretur in cœlum pueros innocentes. Nec absque miraculo factum diuinæ clementiæ haud quidem Beiræ studio indulgentis, cuius supremum erat votum & gloria pro Christo mori; sed ab tenera Christianitate orbitatem arcens, vt mortem effugeret toties sibi ab ethnicis, & Mahometanis regibus paratam, machinantibus, eodem vulnere se illi vitam, Christianæ rei columen erpturos. Semel quosdam offendit qui se mentirentur eiusdem itineris comites, humanos, affabiles, etiam liberales, nam & mensa illum inuitarunt, re ipsa vero proditores; dum enim ex mensa, iter statim post, recepturus quietis aliquid humi captat, frustra in somnum claudere oculos conatur; imo quadam interius voce exstimulatus vt surgeret & causam circumspiciens occulti metus, videt se à comitibus armatis ad necem appeti. Quibus intrepide occurrēs nec vultu, nec animo turbatus interrogat, quò arma illa? cuius rei causa cuiusue imperio? fiderati hac voce stupent sicarij, contuentesque inuicem, seu diuina vis hæc fuit seu conscientia sceleratæ, demissis armis silentio abeunt: facti vero sunt postea Lusitanis, se ad eius necem à Rege Ternatis summissos, vt omnem deinceps ex Molucis Christianorum gentem excinderet. Est hic Ternatensium Cacilis Aërius, nuper nobis depictus, promotor ardens religionis Christianæ, Beiræ ipsius obseruantissimus, eiusque laudator sanctimoniam tam largus vt fide regia sponderet, daturam se illi vnum ex Filiis, Christi fonte lauandum, educandumque in Collegio Goano, sed mera hæc erat histronia hominis scelerosi, vt securos de se cum Beira Lusitanos, incolumis ipse funditus deleret; verum sua hæc illum vulpina aduersus Beiram strophæ vltima fefellit, ex quo furiose in iram efferatus, indignatusque patere fraudes suas, octoginta iussit illius pagi incolas trucidari ex quo duos quos dixi, conduxerat homicidas. Sæpe item Rex Geiloli senior Beiram ad se aut viuum, portari, edixit aut interfecti caput; nihilque propius fuit quàm vt caperetur, nisi sicariis vndique vallato, ad litus quò solum dabatur exitus, amicam nauim appulisset Deus, quæ fugam illius, & vitam suscepit, interuisenti eas insulas sol-

ni contingit ex inopinatio nauigij latus, iactaque sunt anchora, vt sua
 laxata tabula restitueretur cominissura; inter haec Regis Geiloli classis
 illa maria perlustrans, piscatores rata qui missis retibus, illic opperirentur
 suam praedam, intactos tacita praetermisit, nec fere vllum conficiebat
 iter Beira quin eiusmodi aliquid adiret discriminis, ex quo nouis
 semper & miris modis exibat Deo propitio sospes. Qualescumque
 porro senserit homines, delicatius illum mare non habuit, mari frequens
 visibat Christianos iis sparsos insulis ad stabiliendam illorum pietatem,
 conueniebat ethnicos, vt eos Ecclesiae lucraretur, transmittendum
 ad hoc in varias insulas per interiectos sinus dubij transitus ob torrentia
 fluentia & subitarios & crebro varios pugnantesque ventos, quibus freta
 illa facile subuertuntur. Ex Mauro in Molucum dum tendit tempestate
 ventorum in oram coniectus lembum rupit quo vehebatur leuem & fragilem,
 ac ne breuiarium quidem, quod doluit maxime, recipere ex naufragio licuit,
 nec vestimenta quibus se tegeret; inde nauigium aliud conscendens,
 cum Ternati quod destinauerat iam esset vicinus, iterum ad latus insulae
 procella impactus nauem fregit, erantque naufrago montes asperrimi
 ad familiarem in arce receptum superandi, nisi nobilis Maurus apud
 quem communis humanitas, quam religionis odium plaris fuit, nauiculam
 illi commodasset, qua radendis montium infimis, itineris reliquum
 absoluit. Sed his ad terram naufragiis alia passus est, maioris plena
 periculi, cum illi denique non saluus modo definitus sit, verum etiam
 incolumis; at enim naui aliquando in alto depressa, tempestatis
 ludibrio dies duos, & noctes iactatus est, nudus, tabulam complexus,
 cum sola ad brachium precatoria corona; tandem actus in littus,
 sed porrectis in mare abruptum silicibus, vitam quidem ex aquis
 eripuit, verum tam crebro ad saxa fluctuum verberare attritus priusquam
 de iisprehendendis omissa tabula auderet confidere, vt aegre viuus
 euaserit. Hinc nudus, vt erat & toto corpore saucius via per imminentes
 mari scopulos, & locorum deserta & inuia quaerere; barbarorum
 occursum, hostili in solo pauere perpetuo; per diem latere inscauer-
 nis, solisque herbis syluestribus cibi omnis defectum supplere. At enim
 haec omnis corporeae opis quanto maior, miseriorque inopia; tanto illis
 animi gaudiis fulciebatur vberius, quibus solet Deus; supremis in casibus
 suos consolari, de iis Beira ipse ad S. P. suum Ignatium scribens,
 epulas nominat mentis palatum eò iucundius oblectantes, quod essent
 corpori magis insipida. Quanquam his illum naufragiis, non fuit Deus
 periclitri semper, & mortem capiti instantem cernere; interdum quoque
 miraculo his illum subduxit, ne prouidentiae suae sanctissimae deesset,
 cui solenne est, haudquaquam suis inter duras conflictationes, manum
 statim de caelo extra ordinem rerum protendere; ne illorum virtus
 marceat in obscuro, & argumentum meritis subtrahatur. Nec e
 contrario consuevit Deus illos semper arumnis permittere, ne vulgo putetur,
 peculiarem eorum tutelam non gerere, metiri que illos communi

cum aliis æstimatione. Redibat aliquando Malaca in Molucum cum Georgio Dezza, & Borneum radebat insulam cæcis scopulis vadisque circumseptam, cum ex improviso in illorum vnum se nauis induit, quæ vt plenis velis ferebatur, carina ad proram confixa sic illi inhæsit, vt diuelli multo sex horarum conatu, nulla vi aut arte valuerit; timebaturque ne quo forte fluctuum accessu, à puppi quæ erat mobilis, subreçta, in subiectum scopulum recidens diffiliret. Hic Beira cum se ad orandû contulisset, moueri se sensit vt Dezzæ Præfecto suggereret de dotanda ex voto Virgine orphana. Monenti Dezza tam liberaliter morem gessit vt dotem quam vouebat pardais quingentis taxaret (nummo argenteo aliquanto tunc inferioribus) nuncupato voto, Beira post fufas aliquot ad Deum preces, paulum aquæ lustralis in mafe coniecit, augustissimæ Triadis auxilium implorans. Atque hic scopulus velut manui occultæ cedens, nauim mox à se amittit liberam, quæ summis iam aquis reddita cursum suum commodè tenuit. Sed iam proxima Moluco, longè grauius periclitabatur imperitia nauarchi inter duos latentes scopulos coniecta, nisi Beira pro vsu quo illa maria sursum deorsum toties percurfarat, & triuerat, exitum monstrasset quo erat in apertam educenda. Vitam ergo tot malis fame, siti, nuditate, perpetuitate periculorum lethaliu accisam, & labefactatam, subsecuix sunt necessario ægrotationes peracerbæ, nec raro mortiferæ quas non alio leuabat pharmaco nisi propria virtute, paterno Dei auxilio confisa. Præsertim dum solos montium recessus, & spelæa ignota incoleret vbi morbis subinde maximis deprehensus latebrarum conscium habebat neminem, nedum qui dolores leuaret aut consolaretur. Ægrotanti vero inter habitata, vnum adhibebatur remedium, larga & agrestis ex multis partibus corporis sanguinis missio, qua vna barbari vtuntur ad morbos omnes medicina: hoc valetudinis, & virium habitu, tamen vt ferre se pedibus poterat, indagare pergebat infideles, & iniufere Christianos, etsi nonnunquam interius febrî, sole foris ignito coqueretur; ad hæc si vires profus deficerent, cimba se neophytorum littoribus iubebat circumuehi, & ex ea docebat conuocatos, vegetante corpus imbecillum. animi caritate, ac ne ipsas quidem ægritudines in illoferente otiosas. Quas profecto contentiones & merita viri Dei sua eximie pensauit mectis; è Molucis discedens, duabus in insulis, Morotaio, & Morotia, septem & quadraginta vel castella vel oppida reliquit sacris imbuta Christianis, & qua patent Molucæ vniuersæ millia Christianorum quinquaginta qui planè numerus videri angustior non debet recogitanti barbara illa natione toto Oriente ad Christianos mores difficilîus nullam fingi: & horum quidem in laudem operum veniunt fateor sed sorte impari Beiræ socij; at ipse longè ampliorem magnis decennio integro sudoribus partam, & reductione desertorum, qui susceptam olim Xauerij opera Christi legem perfide abnegarant. In arce Ternatensi præter visitata erga Lusitanos; mancipia, pueros docendi officia Seminarium sta-

tuitur

tuit iuuenum ex primo regionis flore qui a nostris erudiebantur, suppediabat vero illorum sumptus Rex Moluci, & hanc barbarus licet, Xaverij meritis reuerentiam habebat, cuius nomine rogatus illos concesserat. Nec debet ad Beiræ gloriâ cenferi promiscuū quod clandestinas machinationes Lusitanæ ministris quinque indicauit, quibus inter se Mauri iurauerant iunctis armis Christianos omnes, vna simul impressione, ac strage extinguere eademque opera, Christi nomē in iis insulis abolere. Quæ caula fuit vt præsidia hostium vbique solo æquarentur, quod tentare res nouas, eorum fiducia consueuerat. Facit itē ad decus caritatis qua firmare ardebat neophytorum in fide constantium, quod huic Deus præpotentē manum pro illis commodauit. Ebullierāt Christianorū agri tantam murium pestem, vt depascerentur & plantas, & omnia, nec iam ædibus, & carnibus hominum parcerent si quos deprehenderent dormientes: triumphare Mahometani & ethnici, fastuque intolerabili exprobrare suam Christianis, Deum, vel ingratum quod nollet, vel quod minimē posset imbecillum ad abigendam à suis eam luem; Christiani quā damnis qua pudore permoti Beiram adire, precari suam apud Deum, qua tantum pollebat interponeret gratiam, ad calamitatem depellendam. Orauit Beira, Deo suorum miseras gemens exposuit, Christianorum agros aqua lustrali obiter aspersit, & magnis ex templo agminibus murium immanis multitudo, in possessiones ethnicorum, ex Christianorum prædiis transit; quod illi armatis querimoniis, semper enim cum armis incedunt apud Patrem acerbè cum dolerent, mali tamen auersati sunt remedium, nempe vt ipsi quoque fierent Christiani. Quin imo exorta vtriusque altercatione, quorum esset Deus pro summo & vero adorandas, ventum est gradatim ab rationibus ad rixas, & arma, & cruenti conflictus proximum discrimen, nisi Beiræ interuenisset auctoritas, qui seuocatos ab tumultu suos docuisset, quam erant professi Christi legem, nece improbantium non probari, sed persuaderi vitæ probitate, & sanctimonia vitæ omnis; alias vero locustarum nubem omnia populantem, cum esset ab eo Ecclesiæ precibus deuota maledictioni, excitatus repente Africus in mare proiecit. Hæc summa Apostolica in Molucas expeditionis, à P. Ioanne Beira per decennium peractæ; inde Goam vt dixi cum Nicalao Nunnio regressus, illic, & Tana, & Bazaini, residuum illud vitæ laboribus, & perpeffionibus consumptæ patientissimè sustinuit; haud aded à mente alienus, quin reciperet sese aliquando, & sacri celebratione sanctè recrearet; sed æger aut sanus æqualem semper apud nostros retinuit venerationem: quali primis Ecclesiæ sæculis generosos illos Christi Crucis athletas, ferro, igni & carnificinis suis superstites, truncos, & mutilos, impertiebantur Christiani, beatas illorum miseras cultu haud paulo reuerentiore profecuti, quam miseratione, & horrote. Mandarat illi Laines Societatis Præpositus de professione votorum quatuor edenda, quod eius-excellentissimæ virtuti, semperque vt scribit P. Melchior Carnerus Nicæ

Episcopus, vbiq̄ aureæ; non autem doctrinæ titulo indulgebat, sed ea gratia, sui tunc impos frui non potuit. Efflaturus animam audiuit ex adiutoribus cum adstante socio dolentem, nos viri sancti iacturam facere quam vocem tulit admodum moleste, emendauitque subdens, sancti nequaquam, sed magni peccatoris: cui de se talia sentienti, prudenter alius gratificari volens, ita est ait P. Ioannes, & venia indiges quam te oportet à Deo petere. Cui ad plaudens Pater, tu vero rem tangis, & hoc ait mihi sapius repete quoad spirare desiero. Atque in hac suimet abiectione iteranda vir sanctus spirare ac viuere desuit. In amplificando Christi regno, pertrahendisq̄ ad illum mortalibus paucos habuit pares, & diuini obsequij ardentissimo studio, iure inter illos numerandus, quos Apostolorum Senatus sacer sua ad Antiochenos epistola, appellat *homines qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini Iesu Christi*. Etsi vero totus aliorum esset, in eaque, si fas dicere, necessaria libertate quam secum inuehunt continuata itinera & transcurfus ab vnīs perpetuus, ad alios populos tum instituendos in fide, tum confirmandos, mente nihilominus in se & in Deum erat adeo collecta, vt si alta eremi silentia coleret. Ad hæc religiosæ regulæ exquisitissimus obseruator, & augustissimi Sacramenti diuino cultui sic addictus, vt quocumq̄ orasset loco, versa in illud cominus eminus facie, velut ipsi præfens adstaret: Goæ obiit Ian. 4. vt habent nonnulli; vt Indicæ literæ, Aprili mense anno 1564. quibus literis nunquam nominatur inter nostros collegas Goanos, sed semper Tanæ, & Bazaino adscribitur, nec eius vltra 1561. meminere: nomen vero defuncti, indicta pro Indis anno 64. suffragia non habent.

9.
Conuersio,
& baptisimus
Regis, & In-
sulæ Baciani.

Cum Beira in Indiam ex Molucis Nicolaus Nunnius remigrarat, vbi à Patriarcha sacerdos consecratus, cum sociis quinque, onerariis mercatorum semestri navigatione ed reuectus est, duo ex iis sacerdotes, in horum subsidium alij tres; sed illic interea dum pergunt, Christianitatis in Moluco tum publica, tum Societatis priuata res, alternantibus prosperis, & aduersis variè exagitata est, quod nunc eodem quo contigit ordine describendum venit. Atque vt primum de publicis; Molucarum quinque postrema, & maxima Bacianum ad antarcticum iacet, gradu vix vno ab linea mediâ æquatoris: eiusdem cum illa ditionis sunt aliæ insulæ leucis non plus duodecim, macilento solo; proptereaque infrequenti: Imperabat iis Molucensi Regi Aërio cognatus, & vectigalis Rex qui eius filiam duxerat, ea ex partu fato functa, de se actum putauit Rex, & Regis parens senex decrepitu, hinc nempe Aërio pronum fore accusationem veneficij fingere quo filiam suam eriminaretur ab iis extinctam: ambitiosum tyranni ingenium, & bello potentis vindictæ simulatione incubiturum Baciano, infesto exercitu, & regem ac domum regiam funditus deleturum. Iamque hos metus non frustra suscipi nonnulla prodebant indicia. Quamobrem tacito timoris huius consilio abunde persuasi, consuetum Indorum Principibus in has redactis

redactis angustias asylum requirere, Lusitaniæ arma in patrocinium flagitare; legatione quàm maxime arcana, summum arcis Ternatenfis Præfectum rogare, ut sibi & regno defensor adesset, id si ab eo impetrassent, spondebant in pignus fœderis, & amicitia, quam æternam iurabant, se Christiana suscepturos sacra; Principem cui parens regni sceptrum & iura traderet; vniuersa cum aula, daturum legi Christianæ manus; iamque inde tunc absque mora ex Patribus mitteret, à quo expiarentur sancto baptisinate. Præfectum non latuit, quo hæc deliberatio spectaret, illos dumtaxat rem suam agere, velleque in tuto collocari; si pacifceretur cum Bacianensi, auersum iri ab se Molucensem, fortassis etiam in arma proritandum. Vtuo se tamen Dei fiducia permit- tens, quæstuosam æque & periculosam iacere aleam decreuit, legatum- que clam parique arcano ut venerat, nocte proxima remisit addito illi P. Antonio Vazio, qui Christiana mysteria Regem & populum doce- ret. Erat Rex viginti annorum iuuenis, specie liberali & grata, omni- que habitu corporis dempto fusco colore, Europæum magis quam In- dum præferens; ingenij vero admodum docilis, & supra quam à barba- ro expectes, sapientis. Ergo Antonium de religione Christiana tractan- tem ut audiit, eiusque in probationes, & principia serio aduertit animum, captus illico est tam sincero, & casto illius ardore, ut exin regni rationibus omiſſis, vnam in legis Christianæ professione, salutem animi æternam peteret, quam intelligeret, nusquam alibi esse; fuitque hic idem aulae omnis, ac procerum qui Patrem audierant sensus. Quare plenius diuina edocti solenni lauacro tincti sunt Kalend Iulij anno 1557. Cum esset octauus à festo S. Ioannis Baptistæ dies, & nuper defuncti nomen Regis Lusitaniæ Ioannis, Ioannes in nominalibus Rex nouus dictus est. Sacro item fonte initiatus est frater natus minor, cum sororibus tribus, & filio notho, cæterique regij sanguinis, nobilitatisque pars maxima. Mahometi solus cum matre parens decrepitus adhæsit. Bacia- ni conuersio Ternatem die postero nunciata, Lusitanos, & Mauros longe dissimiliter mouit. Illi alacres triumphantes supplicabundi Deo; festis gratulationibus cantuum & tormentorum tonitru eam prose- quuntur: è contrario Rex Maurus acri percitus dolore, furorem illico, mox etiam manus ad bellum & vindictam armauit. Prætentare tamen libuit, mutatione nondum tempore firmata, ecquid possit gener minan- do promittendo ad Mahometem reuocari. Ad hoc illi auam mittit cum alia auctoritatis primaria matrona, rogans ad se rediret, idque si face- ret, ingens auri pondus, & gemmarum inæstimabilem copiam offerens. At is ægrè auditu & aspectu dignatus; cum illa omni quam tulerant donorum opulentia remisit, ut ab se socio responderent, pluris sibi esse religionis sacrosanctæ quem nactus erat recentem thesaurum, quàm quidquid sibi posset à mortali homine deferri, hoc promissorum ictu casto, minas intentare, denuntiare bellum & mortem parare, quos ne suspicarentur metus ab se confingi, mentiebatur se arcem Ternatensem

eripuisse Lusitanis, eorum quamplurimos necasse, reliquos in rem malam fugisse, conditum sibi cum Rege Bornei de intercipiendis Lusitanis, & eorum exercitu delendo funditus quiesset cum onerariis negotiatorum anno proximo venturus: & erant quidem hæc quoad rem, & terricula vaferrimi hominis ficta quoad ipsum vero adhuc vota, quæ cæca machinatione promouebat. Verumenim vero Ioannem Regem nihilo his minis validius, quam promissis mouit. Forti ad vtraque animo respondit, ratum sibi, fixumque in Christi fide perstare dum viueret, & promptum mori; si esset eius acinacis retusa acies in Christianorum Ternatensium laniena, in Bacianentes illum diligenter acueret: atque hic vltro citroque verborum legatio constitit; at Baciani Rex; spreto soceri terrore, per se incessu magnifico prodire ad fanum regium euertendum, in quo Mahometem Maiores eius coluerant; inde vicinas cum P. Antonio Vazio insulas adire omnique rationum, & auctoritatis molimine quam multos poterat ad Christum impellere; erantque immenso numero ad fidem accessuri, nisi Vazium aegritudo Ternatem redire coëgisset. Hæc dum geruntur Aërius abstrusus pro more versabat sed impius, & nefarios dolos, nam erat vt diximus Mahometis sectator, & Babum filium paterno successurum regno belluinis Alcoranni doctrinis, doctor ipsemet ita imbuerat, vix vt patri quicquam in iis concederet. Erat tamen re ipsa magis Atheus quam Maurus, eoque omnes immittebat curas, & contentiones, vt raptis vi, fraude ditionibus regum vicinorum, vnum ex iis corpus Monarchiæ conderet, nominaretque se Moluci Deum. Huic hominis insani dementiæ nulla tenacior remora quam Christiana lex, & Lusitanorum potentia; hanc si infregisset, illam minimè dubitabat facile dissipandam. Sancita in hanc rem, cum Saracenis suarum partium coniuratione, Christianorum strages & Lusitanorum promiscua ab ipsis decernitur, nullo ætatis, gradusue discrimine, quotquot iis reperirentur in insulis ferro addicuntur, & erant etiam Bornei, & Iauæ Mauri commodaturi ad hoc manus: sic ille scitè communis causæ representatas rationes in priuata commoda callidè vertebat, sed calliditatem proditoris delusit secreti proditio, rem omnem Rex Tidoris (vnius Molucarum, non plus iactu tormenti ab Ternate distantis) Lusitanorum Præfecto aperuit, quamuis & ipse vt Mahometanus, ita Christianis minime amicus, verum Aërio inimicissimus, prudenterque attendens, rebus suis omnino conducere vt Molucensis ambitio Lusitanorum armis frænaretur, ne iis absolutus, se quoque regno extruderet. Præerat Ternate Lusitanorum præsidio cum potestate Odoardus Sa, homo vt scribitur parum prudens, & suis quoque inuisus Lusitanis, qui male prouidam, & inconsultam defendendi periculi secutus viam, ruinam, in se quam scripturi sumus, atque in Mauri, Ternatis, & Amboini Christianos traxit.

10.

Antonius Vazius propter sceleratū ambitū, eiecitur à Societate.

Pendebat in res nouas Molucum, anni 1557. Octobri mense, cum adfunt Goa sex, de Societate, Franciscus Viera Rector, Baltazar Arausius,

sius, & Simon Vera sacerdotes, cum tribus aliis opportunissimo ad penuriam operarum suppleendam auxilio, componendasque Societatis res vanitate Antonij Vazij turbatas. Vazium scribit Antonius Quadrius, nostrorum prouinciam inter Indos gerens, neophytis natum parentibus & virtute præditum, sed molli & fluxis affectibus delicata, nec sui fiduciam sat tutam præhente; prudentia vero mediocri; teneritate miserationū in concionibus potentē; in vulgari consuetudine, affabilem, & pium ceterum superficialia ferē pietate cum suauitate quadam ingenij, & morum qua fiebat vulgo amabilis, sed magis Præfecto Odoardo, qui familiarissimè illum adhibebat. Hac porro se apud Præfectum insigni gratia, & singulari apud populum viri magni opinione circumspicientem subibat quidam pudor obnoxie Alphonso Castrio Obedientiæ, ferebatque durius quod iugo alterius subesset, Scalpsit hanc eius pruriginem, missionis longinquæ vrgens occasio qua Rector Castrius ad infideles iuuandos vocabatur; nam Ternate soluens, suas regendi vices Vazio commisit; iniecto Vazius in gradum hunc pede, per se commentus est quā in superiorem euaderet. Mirum plane auditu & miserabile, in regionibus orbe integro semotis & barbaris, apostolatus muneribus insudantem, sic desipuisse existimationis leuissimæ ambitu à paucis Lusitanis de Rectoris titulo mendicandæ, vt confingeret literas à Provinciali, quibus Rector nostrorum qui tantum sex erant dicebatur, reversum Rectorem Castrium excluderet; cedentem cunctantius per deceptum à se Præfectum, & eius asseclas vexaret, compellens Ternate discedere; hæc omnia prodigialiter attentauit ambitiosi homuli vanitas quanquam flagitium nullum est quod prodigiosum & insolens in eo videri debeat quem semel ambitio sibi vindicavit. Castrio vt erat vir sanctus, intercedebat in his maior cum religioso suimet contemptu, quam cum Vazij fastu contentio; optasset enim vehementer, munus excutere quod oneri magis quam honori ducebat; sed vetabat officij ratio, cogebaturque publico Societatis bono tam demens arrogantæ portentum in subiecto sibi reo emendate: tentauit itaque sed frustra hominem Obedientiæ, & modestiæ reddere, nam falso nixus diplomate, & patrociniis amicorum, obtemperandi partes, quæ omni iure ab se poscebatur, contra ius omne à Castrio exegit; qui eius denique correctione desperata, denuntiavit illum palam Societate excidisse, & nostros vetuit pro fratre & socio habere, pœna quidem culpæ admodum congrua, vt quem puerat aliis non præesse, puderet tunc indignum haberi qui vel iis subesset. In quo instauratum illud Gomezij, de quo narrauimus, ob idem facimus auctoritatis eiusdem usurpatæ in India, è Societate ab Xauiero eiectionis, quantumuis eadem gubernatoris potestate impudentius commodata se munisset: documento iis utrobique timendo, quos in muneribus sibi concreditus, transuersos agunt ab Dei obsequio, priuata studia commodi vel honoris & præsentibus excæcati, pœnam aut statim, aut postea sequacem non attendunt, quæ illis perperam, & pra-

uis artibus quæsitæ non modo eripit, sed iure quoque, at indigne possessa. Expulso Vazio creuit Castrij iniqua vexatio: appetebatur passim conuictis, magna demissionis, & patientiæ suæ laude, concionantem audiebat nemo, libros quin etiam ab eo auferri Præfectus mandauit; quare videns Ternati cassam suam & inutilem operam in Maurum transit: campi dominus insanire perrexit Vazius, nostrorū etiam tum Rectorem se gerens, nisi quod vicario mortuo id etiam adiunxit factis vt illam ambiret dignitatem, aded̄ nolebat homo vanus sine imperio viuere; hæc Beira, & Nunnius in Indiam reduces cum ad Prouincialem detulissent, non segni remedio ab eo curata sunt; Franciscus Viera quem cum aliis quinque, Rectorem, diximus paulo ante, in Molucas missum, Prouincialis literas exhibuit Lusitanis, quæ vsurpatorum pronuntiabant Vazium dignitatis quam à nemine accepisset; falsum esse diploma, quo illam sibi afferebat; expulsionem Castrij periniquam; nimis credulum præfecti iudicium, & interpositum supra quàm deceret rebus à foro suo alienis, denique Bonum factum, expulsionem Vazij è Societate. Sed Deus ob illam fortassis quam in conuersione Regis Baciani, nauarat operam, dignatus est miserum propitio aspectu, lectoque afflicto ægritudine lethali, ad animæ suæ postremas aduertit rationes, ambitus sui crimen publice falsus est, Castrium verò innocentem. Sanatus & Goam reportatus, ann. 1559. ea dedit penitentia suæ & demissioni animi argumenta, vt ex eo qui tum Prouinciam regebat Societatem denuo impetrarit, misericordia haud scio satis laudabili, certe à Patribus qui Goæ tunc erant minime laudata, remissus est ad tyrocinium repetendum tiro, & probationes integrandas Exercitiorum & humilitatis, quam nondum per tantum temporis fuerat assecutus. Est enim hic idem Vazius, Leiriæ in Estremadura ortus, cuius fit in actis S. Xauerij mentio, & hic à nobis obiter libro quarto, qui Societate annum agens vigesimum tertium, inita; violenta postmodum impulsione demonis sollicitabatur ad eam deserendam, & Xauerio, se sistens facultatem ad hoc ab eo petiturus, vno in se illius oculorum coniectu, paucisque his vocibus; & vis fili mi à nobis discedere, sic immutatus est, vt nunquam in posterum de desertione in mentem venerit. At enim infelix tacente dæmone, sibi dæmon effectus, commertus est vt expelleretur, in ea tamen spiritum denique efflauit anno 1589. religiose vitæ annis, quam gestis præclaris auctior.

II.
Carcer Regis Molucæ
Ærij & P.
Alfonso Castrij.

Cautum erat turbis, & iam confederant, cum Viera ex Mauro Castrium, Ternatem acciuit, eodemque post mutuum à tot annis tam procul reuifensium consolationem cum paucis remisit, quò maior vigeret necessitas ab eo destinandis; sed in Bacianum reuerti iussit, ad Ioannem Regem, totamque Insulam in religionis sanctæ firmandos propositis, vt qui linguam illorum in promptu haberet. Venturi interea velut obsidem F. Antonium Oforium ad regem expediuit, nam aliud Castrio in cælo parabatur, vocabaturque à Deo ad martyris lauream, dum

dum à Viera Bacianum ad conciones mitteretur. Paucis ergo quàm Maurum repereret diebus, arcis Præfectus Odoardus, velut ex re communi auctor Regem Ærium, & Cizilgazatem eius fratrem administrum regni primum, facemque prodicionis de qua narratum est in arcem euocauit, ingressosque mox in arctam custodiam tradidit, falsoratus hac via tumultus comprimi, & rebellionis primos ignes extinguï antequam in flammam assurgerent. Verum eminuero planè in oppositum res cessit. Egit amor populi erga Regem die vno, quod annis compluribus, Regis odium erga Lusitanos non egerat. Ad arma concurrunt à Ternatensibus, Timorensibus Marcianis, & præter hos insularios Moluccenses, à conterminis etiam insulis, quascumque incolerent Saraceni: hi omnes ad Babum captiuum Regis filium confluunt; grandi ex iis instructo exercitu cingit premitque oppidum & arcem, conclamant omnes aut Regis libertatem, aut Lusitanorum necem qui fidem prodicione fefelissent. Inter hós motus Regi venit in mentem de nauigiolo quod commodauerat transmissuro in Maurum Castrio, indeque post mensem redituro Ternatem; apud se vero recogitans si Castrium iuberet per suos intercipi, futurum vt posset permutacione illius liberari: filium, qua via ignoratur, iussit nauiculas in excubiis habere, quæ reuertentem Castrium caperent, & tuto asseruarent. Sed cassum exhibit hoc Regis commentum, si processisset Vieræ quod sapienter susceperat; clam ad eum, & cautè celocem miserat, monens Ternate in defeccionem omnia ruere, stratum mare hostium nauibus; vniuersum populum in armis; proin ibidem subsisteret, donec nouis ab se literis vocaretur. Ita quidem Viera, sed Deo visum vt eius nunciij tempore non adessent, & sua illum diligentia frustrata est. Confectis Castrius quorum causa ierat, dierum ferme spatio quindecim Ternatem remeabat; incurrit positas, arrectasque in reditum suum insidias, ab hoste capitur, & vincitur. Iam beati huius Christi Iesu athletæ cruciatibus, & morti, ne quid extra verum aut addam aut detraham reddo hic autographas literas quas ipse tunc Viera Romam misit, eorum testes quæ partim ex ijs qui interfuerant, partim ipso ab Rege soluto iam ac libero didicerat, tacet Ires exigua insula tribus vix milliaribus à Ternate, ad Septentrionem; nauitarum patria, qui Castrium in Maurum vexerant, reuebantque in Molucum. Hos Principis celoces cum interceptissent, docuissentque de Regis cuius erant clientes carcere, & capiendi Castrij mandato, subiit animus in eundem hinc ab Rege gratiæ, Castrium sibi asseruandum tenent. Ires in oppidum deportatum omnibus spoliant, libris, supellectili ad rem sacram, crucifixi effigie, olim Xauerio gestata, & aliis quæ Bacianum portanda parauerat in usum recentis illius Ecclesiæ, cuius excolendæ sortitus erat prouinciam. Adolescentes Christianos tres, eius comites in mancipia diuendunt, vestibus, ipsoque indusio intimo illum nudant, roganti plurimum, fragmentum lacerum vix indulgent, quo ad pudorem cingeretur: post hæc manus in tergum retortas, pedemque

alterum fune adstringunt crassiori; dies quinque, semper arctissime vinc-
tum cum detinuisent Ternatē deferunt, sed in decussata duo nauis
ligna distentum, vt solet Apostolus Andreas depingi: Solutum exin si-
stunt Principi Babo arcem obsidenti & Princeps iuuenis, viri tanti pri-
dem sibi noti, ligati, ac nudi præsentis spectaculo motus, imperare sibi
non potuit, quin eius miseratione, & verecundia detractis cum ipsa
subucula vestibus illum operiret (quod ipso sibi deinde ab Rege coram
filio principe narratum Viera refert) Detentus in arce Rex captum Ca-
strium audiens, misit à quibus suo nomine officiose viferetur & refer-
tum ex eo à præsidiariis in arce, venisse Castrium in manus principis,
abesseque illinc maioris catapultæ tertio fere iactu.

Quod idem confirmavit nuncius, fecialis more, cum vexillo candi-
do illinc adueniens, nescio quid ab Lusitanis petiturus, quod vincito pa-
tri necessarium aiebat. Ac fuisset quidem admodum procliuē, vinculis
cum eximere, multique ad hoc Lusitani suas vltro manus, & arma Præ-
fecto deferebant, cum de carcere illius, & cruciatibus audissent, nihil
addubitantes quin illum sibi affererent; at is in Vazium iratus, nullis
eorum insecti precibus se fuit. Nisus quoque est Princeps Babus, Ca-
strium suorum custodiæ tradere, sed obstitere Ireenfes, & caufati nul-
quam gentium melius quam apud se tenendum, Iren illum reducunt,
nudant vestibus quas Princeps donauerat, semicinctu vili ægre illi reli-
cto; reuinciunt denuo ab humeris manus; fisco arboris graui trunco in
modum numellæ, collum eius medium inducunt, iamque de fuga nihil
soliciti abiectum humi, dies totos triginta ad solem, & nocturnam au-
ram relinquunt. Sæuo planè hominis cruciata qui valetudine longis in-
commodis euerfa, algere solebat perpetuo, vt nec vel iudusium mutare
nisi medio ardentique in sole posset, ad eò auræ frigidiusculæ offende-
tur tactu eriam perleui. Nihil per eos dies ad illum cibi allatum est
præter gariophilos recentes (quo fructu abundat insula) & sunt ex in-
colis qui dicant iis abstinuisse, mirenturque vitam absque alimento tam-
diu illi protractam, accedebat ad tantam barbariem insultus frequens,
promissis, minisque vrgentium ad euitandam Christi fidem, & profes-
sionem Mahometis, quod ille facinus cum execraretur, cædebat ab
iis atrociter. Referebat quidam ex Cascigibus Turcarum post pacem
initam, se Ireen profectum vitisse Castrium in iis suppliciis, labiorum
motu perpetuo precanti similem, & toto quod cum illo egit Octiduo
ieiunum venerat is à Babo principe vt ritus Mauricos Patri suaderet,
quem sibi talia obtrudentem ne verbo quidem dignatus vir sanctus solo
renutu capitis repellebat. Visit illum etiam adolescens ex tribus quos
secum duxerat, exorata multis precibus ab hero cui venditus fuerat
venia adeundi: verum in conspectum vt venit tam crudelem in modum
habiti, ac tantum non mortui, dies enim viginti illa durabat in carni-
ficina, vice mutæ consolationis, præter acerbas & vberes lacrimas
dare nihil potuit. Potro illos tres ipsius comites (ne indictos omittam)

male scripsit non nemo à Mauris inter fectos tametsi nihil proprius fuerit, heris ferro sapius intentato ad negandum Christum iuuenes violenter cogentibus, sed constans semper illorum fuit responsio Christianam legem nullis vnquam sibi machinis extorquendam. Duos quidem Rex custodia iam liber, in libertatem asseruit; tertius negatam ab hero Cascege libertatem fuga vindicauit, vni Castro datum est pro Christo mortem oppetere, reiecta fortiter toties illi proposita si Mahometi ad hæsisset viuendi copia.

Hunc ergo barbari ad extrema tot cruciatibus deductum, statuunt ferro absoluere, huic forte diuinitus reseruatum, vt ferro, quàm fame, & ærumnis gloriosius moreretur. Mauris duobus tradunt carnificibus robustis; ab iis lignea numella eximitur, religatis ad tergum manibus, inferoque in funem quem pone tenebant collo, victimæ in mortem, præ se agunt ad designatum martyrio locum in littore, id cum esset abruptis saxorum, & vallium inæquale multum viæ obiri oportuit, priusquam in planum veniretur, attonitis carnificibus hominem agrè pedibus insistentem, & semimortuum per aspera rupium, & acuos silices sursum deorsum celerius, & vegetius currere, quàm possent ipsimet, valentes, & integri, qui piscabantur ad eos scopulos Patrem à Mauris duobus victum agi dum vident profiliunt è suis lintribus, mortis eius futuri spectatores. Ex iis postea rogatis, ipsoque ex Rege Ternatensi rei distinctè comperta est series; vt eam carnificum relatu audierat. Castrum scilicet, iis locis substituisse vbi planius littus occurrerat, respectisque tortoribus quæsisse, ecquid placet hic locus, inflexaque in tetram ceruice, caput ictui parasse, verum iis locum placere negantibus, eadem qua prius alacritate progressum vterius: vt in plagam ventum est in quam arborem truncam mare proiecerat, ab eodem tertium rogati an locum probarent; iis annuentibus constitit, petiitque cernendi acinacis sibi copiam fieri, nec sine difficultate obtinuit: districti coram acie inspecta, hebes est, ait, meliori cote illam subigite; tùm rogauit manus vinculis exui, quod ij principio cum negarent facturos, vetuit ab se de fuga quicquam metuere, ad hoc se tantum id poscere vt religiosius tantisper Deum precaretur, quod subridens, & tranquilli oris ea specie dixit, vt multum inuicem mirati, manus illi concesserint liberas, iis vero tunc in altum sublatis, prostratus in genua preces ad Deum fudit, surgensque paulo post, arboris trunco pronus iucubuit commodiorem ictum licitoribus præbiturus, ad quos, per me ait, quod vultis nunc agite; hic eorum alter impacto dorsi spinæ in longum acinace, diuisurus plane medium erat, nisi magna vi ambabus manibus ictum vibrans caput sibi præstrictum læsisset, nam sunt alioqui tam exquisitæ temperationis & ponderis j gladij, vt vno ictu medium hominem recta scindant. Alter igitur viuum adhuc suo acinace absoluit; ex iis demum qui laniæ huic intererant tertius, inflicto in collum mortui & genas acinace, caput summum à maxillis diuulsit: corpus truncum in mare deuoluunt

12.
P. Alfonsi
Castrij mar-
tyrium.

barbari; caput ludo crudeli inter se iactatum, alè tandem acuto scopulo defigunt.

13.
Mira quædã
martyrium
Castrij secu-
ta.

Cæterum vulgata mortis huius non tam immanitas quam occisi robur, & iniucta post diros diuturni carceris cruciatus, morientis virtus Mahometanis quoque illius admirationem, ac reuerentiam impressit, etsi alias maximè infestis: Miles Geiloli aliquamdiu præfidiarius P. Viera narrabat S. Martyrem Alfonso Castrium etiam apud Mauros plus habere venerationis, quàm apud Christianos; audisse se ab Rege Geiloli de illo mira, de illa potissimum adeundæ mortis, excipiendæque generositate: illud vero eiusdem curiosi & solliciti roboris de inspiciendo carnificum, & acuendo acinace, huius epiphonematis in suos sarcasino clausisse, hoc nostri videlicet Casciges factari essent pro Maurorum lege; hisque illorum ignaniam sugillasse, gradu autem honoris apud Deum quam excelso splenderet vir sanctus, significationibus publicis miris Deus ipse monstravit. Erat imprimis quæ proiectum est corpus rapidissimo fluente torrens mare, illudque diei vnus spatio ultra centum milliaria abrepturum, elapso tamen iam triduo tantum abest vt loco mouerit, vt aliquanto etiam superius repertum sit, quàm quò fuerat abiectum, vulneribus vero adeo viuidis, vt tunc inflictæ viderentur; ea denique perfusum luce, vt gammitas recens pictorum referret tabulas, (sic illam scriptores exprimunt) quam lucem diu retinuit: ad ima scopuli iacebat velut sedens qui ex maris accessu aqua cingebatur, nec enim vt quidam perperam intellexit, flexu arcuato aqua super intactum scopulum pendebat. Ossa qui legeret Viera mense post circiter octauo misit, obsidione scilicet Ternatensi eatenus officio illo prohibitus. Suis adhuc hærebant apta commissuris, situ quasi hominis sedentis costis aliquot cæsa, mari & sole dealbata & leuia. Inueniri calua, inter eas rupes nulla diligentia potuit. Iam quoad martyris homicidas, non ij solum à quibus viuens & mortuus ferro violatus est; sed quicumque vel morti vel carceri manus, ipsis præbuisent, ipsorumque adeo agnati; pessimo exitu breui tempore periere, alius ferro, igne alius; morbo plurimi, nunquam antea viso, quo abscedente in vesicas ignita sanie per vniuersum corpus nudatis carnibus vndequaue defluebat cutis, vtebat viscera dirus calor; & magnis clamoribus Alfonso continuo repetentes peribant. Regi Aërio factus est senex Irensis, filios suos vendito calice qui Patri abiatu fuerat, nouo mali genere intumuisse enormiter, breuique confectos, elatis in cælum brachiis, ad vsque vltimam halitum vociferantes Lusitanica lingua ô Deus! ô Domine Deus! quod Viera memorans idem Rex, addebat si tunc habuisent à quo aqua baptismi laurentur, morituros fuisse Christianos; subdit autem Viera perfidiosum Regem, vt cumque verosimilia diceret, haudquam ex animo, sed captandæ gratiæ dixisse. Miseri certè tanti boni expertes obiire.

14.
Virtus & vi-
ta Castrij.

Hoc tam glorioso, & beato sine Alfonso Castrius vitam clausit, de qua

qua si nihil suppeteret aliud nisi quod vnice ab Xauerio amabatur, monumentum foret illius virtutis, alio quouis illustrius. De illa tamen nonnulla prodidit idem Viera, ex quo mortem illius accepimus, vt quem habuit in Lusitania octennio integro animi sui Patrem, in India vero comitem expeditionis Molucensis. Vlyssipone honestis parentibus, & locupletibus in lucem venerat; recti per aetatem & Dei iam compos, erga eius cultum affici coeperat; & caduca fastidiose despiceret; adultus ab Xauerio, & Roderico ex Italia in Lusitaniam appulsus, inter alia pia didicerat confessionis, & Eucharistiæ diuina mysteria quot hebdomadis adire, rara iis temporibus pietate; his maiorum præludiis concepto cœlitus animo Societatis ineundæ, iter Indicum suscepit vt ab Xauerio infimis precibus illam exoraret; huius illi propositi socium se dedit iuuenis, paribus studiis instinctus. Sed futurum aduertens Castrius, vt sui nihil omitterent ad profectiōem disturbandam, clam egit cum nauis Præfecto vela primo vento daturæ, illaque insalutatis parentibus censensa, in imo se cum socio abdidit, ne posset ab suis, deprehensa fuga deprehendi. Nec suus illum fefellit timor; aduolat frater iuris doctor, & multi ex agnatis; repositum iuuenem à Præfecto, in apertum protrahitur, suadetque id iter omitttere. Verum iuuenis animosus petitiones illorum confidenter & facile discussit; nec se illum fratrem, nec propinquos agnosceret reliquos, dum se facto profitebantur pariter inimici, & in Dei obsequium properanti, moras figere nitebantur: stetitque hoc suo in gradu firmus, & eorum preces, argumenta & lacrimas in constantiæ suæ admirationem vertit cum autem nihil secum viatici intulisset, volens illic egeni, & religiosæ paupertatis, & sanctæ fiduciæ tirocinium ponere, Vieriæ tamen suadenti morem gerens, sibi quidem prospexit comiteum; sed eum classe in altum prouecta, statim nauis egentioribus distribuit, corrogaturus ipse à vectorebus in diem quantum panis, & aquæ ad vitam sustinendam sat esset. Nullum ipsi cubiculum & lectus præter situm, & muscida saburræ, donec eius misertus tormentorum librator capsam illi concessit, vbi cum socio dies noctesque sedens transigebat, in assidua piorum librorum lectitatione, & meditatione diuinorum. Guineæ iam tenentes latera, cum morbi cœpissent consueti vexare, agrorum se ministerio dicauit Castrius, nullo cuiusquam laboris discrimine qui posset vel iis solatio, vel sibi merito vertere, quæ sui tam prodiga caritas & patens omnibus quotidianæ virtutis præstantia, breui cunctis, vt erat reuerendum fecere; quamquam vt promiscuo in vulgo nunquam desunt qui alienam virtutem, ne humano quidem iudicio, & ratione merentur, irridebatur nonnullis, fiebatque illis inde ludibrio, vnde summam promerebatur laudem. At eos in se vel dicta dicerent, vel sannis luderent, sentire dedignatus, in obsequiis vilibus ad curationem iacentium durabat immobilis abunde voti compos si Deo placuissent. Horum vnus in cimbam descensurus assidentis dorso pedem imposuit, cum prius socios ad

suum illud, præclarum scilicet, imprudentiæ facinus aduertisset, & tergo iuuenis optimi pro scabello vsus procacitatis plausum ab sui similibus tulit; iuuenis contumelia nihil motus, eodem vt erat, situ, vultu sereno mutus sterit. Lecto prosperis auris Mozambico, inde tandem sublatis anchoris Goam in portum subiere, quod itineris reliquum leucarum ad quingentas, eo effusi animi gaudio ipse cum socio confecit, vt dulci mutuoque arrisu minime temperarent, ex Indiarum recordatione; & spei suæ meta quamprimum tangenda.

Goæ Xauerio se sistunt, probatque admodum serio domesticæ operæ famularibus officiis, admittuntur induunturque Societatis cultu, sed forte dispari. Nam Castrij socium, multa de se spondentem, primisque ardentem virtutis ignibus, cita mors abstulit, Castrium iam sacris operantem Xauerius in tamdiu optatas, toties vocatas Moluci insulas destinavit; soluensque in Iapomiam illum vsque Malacam sibi Comitem adiunxit eademque opera vidit sibi propemodum ereptum; iussus enim Cocini ad populum dicere, pietatis arte quam oratoriæ maiori sic placuit, vt post concionis duoru mensium, de illo retinendo ciues apud Xauerium omnia egerint, nihilque non mouerint quo illum sibi relinqueret Collegij quod Societati designabant primum Patrem, ac velut fundamentum. At seposuerat illum Deus ad fortius, & gloriosius inter barbaros certamen, Malacam appulerat postridie Calend. Maias anni 1549. relumpra inde nauigatione peruenit in Molucum, vbi præcipuus eius labor in excolendis neophytis Amboini cæteris ad Deum adducendis sudauit, linguasque sibi tum regioni cuique proprias tum vero Malajam comparauit, vtpote omnibus eius Oceani insulis communem: nostrorum regimini à Melchiore Nunnio præfectus Ternate confedit, suo tamen vt ante incumbens operi, donec Vazij ambitu in Maurum expulsus, non diu post Ternati est redditus, ac demum Irem profectus est condigno præstantibus meritis exitu coronandus. Quo die vel anno ambigitur, nisi quod alius non videtur posse illius martyrio signari præter 1558. idque Ianuario ineunte: nam Regem Ærium 1557. à Præfecto in arce detentum, profectio Castrij in Maurum paucis diebus præcesserat, duabus inde exactis hebdomadis rediens, captus à barbaris fuerat, à quibus post sæuum carcerem sesquimensis necatus est.

15. Progressus rei Christianæ in Baciano insula. Tam sancti, & strenui capitis iactura, Baciani Rex magno præsidio obatus est, recentis illic rei Christianæ, cuius prouehendæ, commendata illi Prouincia fuerat. Quanquam suos in terris conatus, morte interceptos, credibile est de cælo exeruisse potentius, & vero Rex iuuenis aduersus Reges Saracenos in religione quam erat amplexus, & magnis animis tuebatur ea sui edidit documenta, vt clarum esset, iniuncto apud Deum patrono niti: fonte vix lotus Christiano, ad abolendam mox impuni Mahometis memoriam omnem accingitur. Solenni aula ac populi comitatu progressus, securim manu tenens Mahometis Fannum

num aggreditur, factoque à foribus, evertendi fani principio, tam pronis studiis, exempli sequacem, & æmulam nobilitatem, & populum habuit, vt breuissimo tempore solo æquatum sit: parenti quin etiam iusta funebria negauit, quod in obstinata Mahometis defuncto superstitione, ritu deberet eodem parentari: quam ob rem Rex ipse Ternatensis sectæ suæ cauens dedecoris funeris curam coactus est gerere: summa de cætero Regis optimi voluptas hæc erat fratri nostro Ferdinando Olorio, mystagogo suo de Christo loquenti aures dare, in quo ad diem Epiphaniarum cum audisset de Magis Regibus ad quærendum, & adorandum Christum stellam ducem secutis, tanto ipse quoque desiderio incaluit agendi aliquid Iesv infanti gratum, vt incertus quid illi esset maxime placiturum, Ferdinandum rogarit, optaret ipse ac peteret quod futurum illi acceptissimum putabat, se vero id sine cunctatione præstiturum. Petiit Ferdinandus, fabricari tres cruces primam in subiecta palatio area conspicuam erigi, alteram, & tertiam in frequentissimis, summeque illustribus vrbis locis. Dicto citius, imperantur tres cruces, quartam elaborauit ipse Ferdinandus minorem, quam Regi obtulit, vt eam haberet in conclauis suo expositam, bis ad illam quotidie genua flecteret elatisque sursum brachiis (qui mos illic precandi) diceret: Domine Deus, Da sciam quod ex me Sanctissima tua voluntas exigit: da vires quibus id fortiter exequar. Oblatam crucem intimo affectu excepit rex optimus addens nocte proximè præcedenti visum à se in somnis formosissima specie pupulum, qui se aperto coram scrinio inuitaret ad legendam ex eo crucem, prædiceretque fore vt in magnum heroëm euaderet. Concinnatis vt iussu fuerat Crucibus, adfuit quotquot erant in Baciano Lusitani; suaque cum aula Rex, & sexus vtriusque ingens multitudo; digentis ordinibus ad defigendam priorem crucem proceditur; sub topiario ramali, eleganter vt potuit instructo (necdum enim templo consecratum fuerat Bacianum) aptè ad mouendam pietatis sensu concionem dixerat Ferdinandus, & præcentor ipse sacras inchoauerat litanias, cum Rex admodum reuetenter manum admonet cruci humo artollendæ sequuntur proceres, supplicabundi simul eo illam ferunt vbi erat locanda: circum gyro ingenti fulus populus genua flectit; Rex per se ipse effossa terra scrobem pandit, sublatamque cum aulicis crucem in eam demittit, ac statuit; dehinc pœna capitis edicit, eam quotidie ab singulis adiri, & prostrato corpore adorari; tingendorum quoque puerorum inita est ab eo peculiaris cura, Mauris forent vel ethnicis nati, mandatumque inuestigarentur, diligenter, & rogarentur patres ne abnuerent Christo illos donare: creuitque in pueris maiorem in modum discendi ardor quod eorum institutionem sua quoque rex præsentia dignaretur. Erudiebantur vero quotidie, nec fas interea cuiquam erat filium ad opus, aut aliud mittere, nisi bona cum venia Ferdinandi. Vrbes noctu turmatim perlustrabant Christianæ doctrinæ canentes carmina, tam iucundo vocum pioque concentu, vt aduocarentur subinde

inde in palatium à Regis sororibus, cantus eius discendi cupidis, eademque suis Calcigibus ignorantiam hebetem exprobrarent, quod barbati & fenés, ne partem quidem vicefimam precum nossent, quas condidicissent pueri breuissimo tempore: post hæc informatis iam ita cumulatè adultioribus, vt possent aliis in magistros proponi, ciuitas vniuersa, eiusque imitatione pagi omnes in varias distributi sunt regiones ductor singulis est præfectus, quo velut chorago præeunte, consuetas per urbem quot noctibus preces concinebant his in Baciano fauoniis Christianorum respublica nauigabat. In Ternate, & Mauro, prorsus contrariis.

16.
Successus
rei Christi
In Ternate,
& Mauro
infelices.

Præfectus Odoardus, pecuniâ quam bello attentior, Regem Ætium eiusque germanum Cizilgazatem arce clausos, vt dixi renebat, verum sibi multum consilio & prouidentia defuit ad occupandos & seruandos qui consecuti sunt ex eo carcere tumultus: instratum erat classe hostium mare, feruebat insula milite ad obsidionem vrbs, arcisque conflente: defensionis summa Lusitani dumtaxat quadraginta, ique à Præfecto vsque adeo auersi, vt omne imperium detrectarent: annonæ ita vel auarè, vel neglectim prouisu com meatus, vt non minus intestina fame, quam foris hoste premerentur. Vnus Rex Geiloli Lusitanæ fidus cliens suppetias militum, & com meatuum sæpius aduexit: tot malis morbus accessit pestifer, primum in teneram ætatem, deinde in alios sæuiens, & ad octo vnaquaque ex domo capita demetens inter has arctatus angustias Præfectus nocte intempesta Vieram adit consilij gratia; indicat sibi vnum restare de vrbe minirum direptioni hostium relinquenda, de secessu in arcem, deque arce ad extremum fortiter propugnanda. Patri Vieræ non licuit otiose Præfecto respondere, nec erat eius consilij ratio quæ expediri annuendo, vel abnuendo posset ad arma si quidem conclamatur, cogiturque Præfectus ad muros aduolare. Huic necessitatis articulo præsentissimum diuina bonitas auxilium tulit, stragem alioqui animorum, & corporum ingentem facturæ, si vrbs in Maurorum venisset tyrannidem. Adest postridie, classis potens, adolescentis Regis Baciani Ductor F. noster Ferdinandus; vexillum Crux summa in puppi, nauis primum agmen ducentis; ipse ad pedem crucis tametsi æger conspecta procul respirare à metu Christiani; Mauri metuere, conditionibus mutuis induciæ deerni: subsidio decerat, Lusitanorum quinquaginta, ex Mauro Ternatem deductio, sed Præfectum sui cum pessime odissent, peius imperia iubentis, vitam piratis, & hostibus pro suis nemo illorum inuentus est qui vellet obicere. Haud tamen propterea lentius ad hoc sua capita Geilolenses, & Bacianenses deuouerunt, modo secum haberent Patrum aliquem de Societate, quem vt impetrarunt, priusquam vela explicarent, viginti circiter lectissimorum militum Regis Baciani adhuc Mauri, Baptisimum vltro flagitarunt, vt Christo fideles mortem oppeterent, pro cuius legibus vita periculum libenter subibant, & erat periculum planè ingens, cum præter arma Babi principit

cipiis perfringenda, Rex quoque Tidoris, auens communibus augeti
 discordiis, numerofo exercitu Christianos vt Maurus, Ternatem vt Mo-
 luci hostis impugnaret; nec essent Lusitanis minori damno quam vsui,
 etiam ij qui hostes ipsorum laceffebant: classis itaque Baciana, & Geilo-
 lenfis ex Mauro rediens, euento vtrunque certamine intercepta est ab
 hostili classe. Sed prodeuntibus cum Christi pendentis effigie Patribus,
 & neophitis Bacianis incenditibus inuicem ad pugnam, non iam veteri
 illo suo Carraceo, sed meliori celsummate IESVS & S. Iacobus, ad pri-
 mos impetus fortiter duravit, obstinatoque in praelium robore, denique
 hostes fregit, factaque per medios via, Ternatem muniuit aduecto
 subsidio sed Maurum eadem opera euertit. Belli apprimè gnarus Rex
 Tidoris, & sagax, prospiciens insulas, Lusitanorum quinquaginta du-
 ctu, & consilio nudatas ad opem Ternatensibus inferendam, fore armis
 suis longissimè impares; Maurotiæ adstitit improuisus, Tolum inter-
 cepit, eamque militi non modo in prædam, sed crudelissimam in stra-
 gem dedit: necati à barbaris infantes; abacti in seruos adulti; compulsi
 ad desertionem fidei, Christiani, subiectæ sacris ædibus faces, & in iis
 puerorum imbellis & feminarum multitudo quæ illic asylum quæsierat
 cremata. Eademque manebat reliquos Christianorum pagos calamitas,
 nisi publico nuntio perlatum venisset de pace Ternatensi vel planè con-
 fecta, vel in mutuas conuentiones magnopere prouecta: nulla quidem
 erat tam dura & ardua in quam Aërius non iret pro recuperanda liber-
 tate, baptismi quidem suscipiendi conditio displicebat, homini frau-
 dulento; qui se nihilominus Patri Vieræ suspectum doli arbitratus, mi-
 ram commentus est fabulam, sanctè iurans sibi clara in Luce Deiparam
 Virginem adstitisse, culta regio, & sanctissimo inter brachia infante;
 monuisse vero, moras tandem auferret, & filij sui profiteretur sanctam
 legem. At ne his quidem miraculis fidem satis securam Lusitano fecit.
 Præfecto solidiora demùm proposuit, filium obtulit regni sui futurum
 hæredem Goam transmittendum, aut si mallet in Lusitaniam; illic
 baptismi aqua tincto vxorem darent Christianam; restitutumque pater-
 no regno, Lusitiæ clientem haberent perpetuum. At hæc etiam pacta
 Odoardus Præfectus respuit etsi percommoda, siue quod thesauros ex
 redemptione captiui regis sua illi cupiditas venturos fingeret, siue
 quod rebus in longum ducendis, hostem cogitaret diuturni belli tædio
 lassatum auertere. Maurus interea nouo semper milite augebatur, &
 mare in dies magis eruento certabatur; nec Baciani Rex iterato classis
 auxiliariæ præsidio valuit hostium numero par esse, vel quæ continuo
 inferebant damna prohibere. Rebus ergo in peius, pessima Præfecti
 gubernatione præcipitantibus; religionis primum studio exciti Lusita-
 ni, tum arcis decumano, & boni publici, suæque priuatim vitæ pe-
 riculo, consultum putarunt, extremam perniciem, extremo remedio
 occupare. Agebatur Thomæ Apostolo dies sacer, & Christianis illorum
 regnorum maxime solennis, qui se ex illo in Christo prægnatos iure
 gloriantur.

Q

gloriantur.

gloriantur. Descenderat ex arce Odoardus vt rei sacræ interesset, & concionem quæ subsecuta est audierat, cum à militibus, & armato circum populo cingitur. Præfati honorem, & reuerentiam quantam sinebat rei necessitas, Dei causam, & Regis Serenissimi rationes, ne quid exitiosius eueniret, reductum in arcem tuto claudunt; quatrduo. post Moluci Regem & Cizilguzatem carcere eximunt, anno 1559. ipso Christi natali die, cum illic annum diesque insuper egissent quinque, & viginti: atque hic bellum denique posuit; susceptum quidem inconsulte: sed inconsultius extractum Odoardi vnus Præfecti culpa, cui, si vera suspicio, reposuit Deus ab suo milite, quod sui Vazij gratia in seruum Dei Castrium indignè consciuerat. Dicenti ad populum Castrio, pudorem efferre classicorum cantu satingerat & concionem adstantem auditu prohibere; condignè pensata contumelia est, nullo tubarum, & tympani iussu, suos in prælium mouere valuit: vixque vltos inuenit adeo infesto in illum flagrabant odio qui demandata capesseret, ex quo illum tandem & summum dedecus & carcer excepit, manebantque haud paulo grauiora, nisi scandens in pulpitem Viera de parata illi doctus pernicie, id saltem impetrasset, vt si ratum haberent hominem carcere claudere, maiorem haberent dignitatis, & muneris quam personæ malè meritæ rationem. Sed Præfecti solius reum caput, secuta hinc strages vtinam periissent, nec inuoluissent Ternatis, & Mauri infontem Ecclesiam calamitatibus quibus tantum delera est. Experti saraceni se posse vincere, deinceps in pugnam profiliere audacius. Rex Moluci antiqua in Christum odia nouis incitata vindictæ stimulis, in Christianos sensim instaurauit. Furentis gladium primus Rex Tidoris scelerato cruore imbuit, ille, inquam euersor Mauricæ Christianitatis, & mortes commeritus sexcentas: sed meliori quam barbari manu infligendas. Hic bello inter Lusitanos, & captiuum Aërium ardente, arma in vtrosque ausus est tollere, victoriæ certa spe dissidentibus facilis, verum iisdem vtcumque reconciliatis, præsensit fore se ferendo debilem si alterius illorum vires in se vertisset. Sibi ergo prudenter cauturus, annuis centum cariophyllorum modis clientem se addixit Lusitanis, tormenta bellica olim iis ablata restituit, fidei obsides tradidit fratrem natu minorem, & filiulam. His procuratorum gestione conuentis, Lusitanorum promissa consilii tutela Ternatem venit, vt solenni ritu per se ipse in pacta mutua iuraret. Verum enimvero Aërius, comprehensum per suos, in arcis & Præfecti conspectu iussit capite truncari, dissimulante in gratiis Præfecto, seque horum inscium fingente, quam item ob causam sociatæ cum Lusitanis amicitæ, inuectique in urbem bellici, & escarij commeatus Rex Geiloli periit, ipso enim suo Ternate in regnum regressu, cercurorum oppressus numero quos Aërius instruxerat, sagittis confixus occubuit cum flore suorum qui se officij gratia comites dederant redeunti. Et hos quidem ambos, sectæ secum eiusdem sustulit tyrannus Saracenus; tertium in pago rei Christianæ curatorem

curatorem, & magistrū Ioannem Mamoiam Ternatē profectum negotij causa quod Christianorum intererat: hoc solum nomine per proditores interfecit, quod esset Christianus, & religioni conseruandæ pro suo munere, procurationem præcipuam nauaret. Nec erat penes Lusitanos, nisi vt hæc tam sæua nomina tyranni rationibus distinctè imputarent, eius (quod postea factum est) capite exigenda.

Incrudescebat in dies calamitas eius Ecclesiæ, & quæ tot operarum præstantium coaluerat sudore, & sanguine totos quatuor annos periclitata est. Auxit communes miseras multorum è nostris interitus, quos in ea sustinenda labor, & perpeffionum pondus multiplex oppressit. In iis P. Franciscus Viera de cuius virtute vnum hic pono minimè vulgare. Nauim mercimoniis opulentam ceperat Georgius Dezza, quod esse hostium putaretur: post autem comperta est ad Iantanensis Regis commercia spectare, Lusitanis maxime addicti: erratum in ea cum Dezzæ Viera certis inditiis probasset, facile virò integerrimo persuasit vt ea dominis restitueretur. Momordit acriter huius officij probitas iuuenem hybrida Lusitano, & Inda progenitum, qui partem prædæ iam oculis biberat, is ad Vieram accedens, ingentem ei collaphum impegit, & violento impulsu, in terram supinum afflixit, qua tam infami contumelia nihil motus vir sanctus, vt se humo erexit, rogauit hanc ipsi condonari designauitque sacerdotem à quo execrationis anathemate solueretur. Amboinum interea Molucus, & Maurus insulæ, iisque finitimæ quotquot vbiuis habebant Christianos tum nouos, tum antiquos dira Sarcenorum tyrannide lacerabant. Tendebant raiiseri in Indiam manus, & cultorum egeni penitus, destitutionis suæ repræsentata imagine, opem ab Indiis expectabant priusquam funditus delerentur, & adfuit denique, nec dum annus 1561. exiuerat, cum Henricus Sa, vir fortis & sapiens ob Regni negotia in Molucas armorum Præfectus nauigauit; & cum illo sex de Societate, ob longè grauiora, Dei nimirum negotia; Marcus Francidius illorum Rector; Franciscus Viera, Rodriguez deinceps appellatus, vt secerneretur à Viera mortuo; Ferdinandus Aluares; Petrus Mascaregnas, Iacobus Magallianes, & nondum sacerdos consecratus Ioannes Lopezius. Hos nauis, Amboini saluos in portu prosperè statuit anno proximo ineunte. Inde alias sparsi per insulas, Arausio, Osorio, Fernandio superstibus succidanea venere auxilia, post sociorum obitum semper vagis, vt pauci residui, multorum vicem & labores, multis locis explerent: vtque possent sex illi non pauci videri ad operarum penuriam quæ nostros premebat in Indiis, verum ad illatam iis insulis Christianæ rei vastitatem, quàm prope nulli essent, scripsit eorum Rector, idemque cladis inuectæ spectator ad Lainium Societatis Præpositum, aiens illos esse perinde vt medicos pestilentia grassante, singulos nempe innumeris datos, iisque in mortem præcipitantibus, nam de noua Christianitate, tanto illic nostrorum labore annis præcedentibus fundata, præter miserabiles ruinas nihil esse super; ductos vel reductos ad Mahometem

17.
Sex de Soc.
ex India in
Molucum.

metem integros populos, & vexationibus Maurorum ad desertionem legis Christianæ adactos: reflexas cruces, templa diruta, dissectas aras, ac licet plerique desertorum, fidem lingua negatam, mente tenuissent, vt non essent animo Saraceni, non esse profecto vita Christiani nos: hinc ardentioribus studiis, suam operarij recentes industriam sociis, & labores iunxere, ad reparanda fidei morumque detrimenta; & reddendum Christianæ rei pristinum suum decus, quod Deo illorum secundante conatus assecuti sunt tam liberaliter vt in Amboino præter apostatas sibi & Ecclesiæ restitutos, decem millia sacro Baptismo, adiuncta sint, anni ferme vnus seu paulo maiori spatio. Empta est tamen ab iis hæc messis dura laborum assiduitate; quibusdam vita ipsa; omnibus solenni tributo diurnæ ægrotationis, nulla curatione persanandæ præterquam inedia exquisitissima, plerumque magis necessitate, victusque penuria, quam arte & sponte suscepta.

Sed has afflicti corpusculi quantascumque molestias, mensura hand paulo cumulatori, vincebant animi consolationes, quibus fouebatur, & reualefcebat interior pietas: id eorum non nemo quod experiebatur ipsemet perscribens: omnium, inquit, animi & corporis ærumnarum sensum nobis, & memoriam abstergunt voces gentium barbararum profitentium populatim concordiam clamore veri Dei notitiam, & laudem, & expeditum promptumque ardorem fundendi potius sanguinis, & excidendi bonis, patria liberis, denique omnibus, quam data Christo Iesu fide, & hoc nihilo fractius, & minus animosè, quam sunt voce testati præstantium. Ac fuit hæc item in iis iuuandis Patrum mens, quibus ad hoc cum nihil suppeteret præter sudores, & sanguinem; spargebant illos perpetuo; hunc in manibus gestabant primis occasionibus donandum. Hic autem apud me ne tantum faxit pudor vt taceam, quod eorum vnus cum magnis ad Deum Societatis nomine gratiis memorat; in eius scilicet eximiam laudem, qui serui sui Ignatij spiritum ad orbis vtriusque complexum incendit. In illis nimirum Orientalium regnorum tractibus Indicis vbi summa omnis humani solatij egestas; summa quotidiani periculi, & perpeffionum, ac necessario ferenda, & exorbenda vis, operarium fuisse neminem præterquam de Societate, vt Ormuzij per tot annos, in Molucis, Amboino, Celebibus, & in Iaponia, in quibus tam sancti cum publico Euangelij præconio, priuata regulæ obseruationem nostri copularant, vt alterum alteri nihil detraheret. Molucensibus certè qui dabant operam, statis anni diebus, omnes Ternatem vndique coibant, vt Rectori suo animi sui rationes explicarent; confessione generali eundem perpurgarent; votorum instauratione, longis meditationibus præuiis confirmarent totum vero per annum horas semper aliquas ministerio animarum soliti suffurari, bis saltem quotidie ad meditandum concedebant; vbi vero vna omnes conuenissent, mutua reprehensione, pœnisque vltroneis, virtutem excoquebant, quas vt primum aspexit Antonius Fernandus, fructus novos vocauit, illo nempe

pe in solo nouos, boni omnis per tot ante sæcula sterili, & inanis.

Gesta nunc eorum à Mauro insula ordiamur; eò ubi perlatum de reditu Patrum, quadriennio post quàm inde abfuerant, tanto repente omnium adplausu vulgatum est vt pagi omnes littoralès in portum confluerint, sublatis in cælum manibus, fletu gaudio, cantibus & teneritate intimæ beneuolentiæ planè non barbara, gratulaturi sibi eorum aduentum, ex quo fiebat perspicuum, non fuisse in iis Christi fidem extinctam, quamuis illam ad tempus debilitatis suæ conscijs, mente tacita præscissent, ne conficerentur Maurorum gladiis, si apertè rebus illam essent professi: nunc Patrum erecti præsentia, & ope, citra quam vitæ adire iacturam metuerant, nihil se iam timere, seque illam audenter propalare. Et vero postridiè visiturmatim è montibus matres, patresque descendere cum liberis paruulis quos Christiano lauacro initiandos deferebant, præfati, quod darent Patribus se nihil habere præterea, sed probè animo retinere, horum salutem puerorum pro grandi thesauro iis esse, cuius desiderio illuc essent aduecti: illo itaque die Prancudius, Gomezius, & F. Ferdinandus, quinquaginta supra centum lustrarunt, maioris numeri faustum pignus; paucis enim deinceps diebus ad mille, nondum trimulos Christo aggregarunt: noctes sub dio integras ducebant parentes, dum optata sorte illorum infantes renascerentur Christo, quos dum Sacerdotum recipiebant è manibus, præter alia, effusi gaudij, argumenta, Saracenis qui magno numero ad celebritatem illam vndique adeant, ex probabant suorum Cascigum venalem, & mercenariam caritatem, vt qui nec linguam nec digitum ob salutem cuiusquam, nisi pretio mouerent, cum è contrario Societatis homines procul gentium aduolarent, suæ huius vitæ iactura facili, æternam omnibus allaturi vitam modo ne illam respuerent. Pueros adulti: ordine sequebantur, numerosus populus, partim Mauri, partim & ethnici, iucundo si vsquam spectaculo, cum nostro concionatore, annuntiante populis legem Christianam, eiusque tenacibus promittente beatam immortalitatem, totum subsultans auditorium in lætos clamores, & tripudia soluebatur, iurabantque omnes, se vita prius, quam de Christi lege, legisque officiis decessuros. Ab hoc illa etiam peruicta difficultas, quæ muro velut ahe-neo, intercludebat conuersionem barbarorum; nexus videlicet coniugiorum indissolubilis. Erat iis in more legitimo positum, vna tamdiu coniuges viuerent, quamdiu illis inter se optimè conueniret; vtrumuis alterius cœpisset fatieras, vel vreret odium, suas illum sibi res habere iuberet. Aliasque nuptias meditatus, priorum fructus, nimirum filios cum eo partiretur: nam perpetuandi ad vsque obitum matrimonij lex, visa illis hæcenus pondus intolerabile, consensione populi vniuersi, scita nihilominus, sancitaque demum est. Quod vero deinde infelici præteritorum annorum experientia pateret non duraturos constanter neophytos in suscepto Christi Dei cultu, nisi sequaces Mahometis inter quos agebant, inhiberet ab iniuriis vis maior, quibus dirè illos oppri-

18.
Instauratur
Christianitas
in Mauro
insula.

mebant, ab hoc Præfectus armorum Henricus Sa cum classe valida Molucum adiit sed commodum inermi, & placido, nedum incruento tractatu res omnis confecta est: legatos à Mauris illico accepit, quibus rogabatur ne ulterius tenderet, in Christianorum securitatem, & tutelam si venisset, Societatis Patribus curandam permetteret qui plus essent ad eam candore agendi, & amore, quam ipse armis effecturi; quod ita uti sponderant euenit, Galelea dumtaxat excepta, pago multis incolarum millibus frequenti, sed Mauris aliquanto pluribus quàm Christianis quos proinde illi tanta violentia diuexarant, ut ad Mahometem illos adigerent, nunc discessionis sacrilegæ pœnitentiæ ducti veniam poscebant, ad quam erant à Mauris necessario separandi ne iteratis illorum iniuriis reuoluerentur in apostasiam, arma ita que Henricus dum expedit, ut Christianos à Mauris expediat, diuino consilio euentum res nacta est omni opinione, ac voto meliorem. Obtinebat pagum Dynasta Maurus, Tioliza nomine, vir inter suos princeps, & seclusa sectæ superstitione satis probus: is petito Henrici affatu, interrogauit equonam aliò spectarent eius arma, quàm ut Christianis suis redonaret pristinam religionis libertatem? respondit Henricus, id vnum, se agere. Cui Maurus, spero te, ait, fore huius optati non modo competentem, sed alterius quoque optabilioris; iam enim Patrum alloquio diuinitus incitus, Christianismi desiderio tenebatur. Intra oppidum regressus concionem populi aduocat; & suos seorsim ex edito compellans Saracenos; Pridem sibi compertum asserit; certò nusquam alibi securitatem esse sempiternæ salutis, nisi vna in lege Christiana; sibi tunc, serius licet, fixum animo esse illam profiteri; qui secum sentirent, parique ad eam studio ferrentur, ad se accederent; seiunctim reliqui tantisper confisterent. Dixerat, statimque læta omnium & concors admurmuratio adplausit inuitanti, ac velut vnumquemque manu Deus ad illum traheret, omnis vltro ad illum populus concessit. Ad quem mox ita magnificè de religione Christiana dixit, ut esset perspicuum verba illi eodem à spiritu suggeri qui pectus illius diuino suo lumine implebat. Clausit vero sermonem, vetans sui gratia, vel metu, ad baptismum quemquam accedere; sed ob solam animæ salutem, sponte, ac libere; nam si quis deinde abiectam Maurorum sectam resumeret, omnino capite luiturum: atque hic faustis omnium vocibus, & consensu probata admissaq; lex Christiana, cum adiunctis deinceps aduersus desertores pœnis, ita ex diuiso in Mauros, & apostatas populo, vnus in Christum coaluit populus, nostri conciliandis his cum Ecclesia, aliis baptizandis extemplo manum admouerunt. Præire omnibus ad Sacrum fontem Tioliza voluit, secuta nobilitas, demumque ad vsque infimum populus, & proletarij; vniuersi autem exinde in posterum ut religionis eiusdem, sic patris concordie vinculo colligati.

19.
Fidei success.
in Ternate,
& Baciano.

Ternate similiter negotium fidei prospere gerebatur, haud quidem adeo eius urbis bono, quam adiacentium insularum: tyranni Aëij, perfidiosi & Mahometani ferus timor, Ternatenfes à fide auertebat, si quem

Patres

Patres Christo lucrarentur, hunc ut fidem baptismo propalasset, mox bonis, aut vita impius euertebat: sed enim videbatur Deus Reges procul magnos, virosque Principes Ternatem accersere ad diuinum fontem sub tyranni oculis subeundum, ut vel eorum auctoritate domaretur; vel pergens furere in legem Christianam, ad speculum Principum externorum, illam domi suæ ambientium, indignatione rumperetur. Horum fuit toparcha oppidorum quinque, Bunguæ Regis Tidorensis cognatus, & cliens, vir bello acer, & qui classem Tidorensis in Maurenles, & Molucenses Christianos, annis proximis duxerat. Bello captus, cernensque Ternate, diuersissimam à probris impurissimi Mahometis Christianorum vitam; & P. Mascareniam sapius audiens Christiana docentem mysteria, cum esset cordatus, & ingeniosus, persuasus est non ægere ut Christo nomen daret, & post idoneam catechesim, festo Apostoli Andreae (ex quo est deinceps nominatus) beato fonte ablatus est. Quanto tyranni Arij dolore, rabies prodidit qua solitis fraudibus contendit, suspectum Henrico facere, ut compedibus onustus Goam ne quid posset mouere portaretur: sed defendendæ ab eo calumniæ tam multa Patres ab Henrico rogati exposuere argumenta, ut Regis impij molitiones disiecerint: accedebatque his etiam ab Andreae moribus defensus melior, adeo erat ab eo qui fuerat diuersus, ut si foret in media nauis educatusque Christianitate: cuius fuit exempli tanta vis, ut ex proceribus regiæ Tidorensis, sex primarij venerint, eodem lauacri vitalis beneficio potituri: eam præclari facinoris nouitas Ternate, & Tidore fidei Christianæ consciuit æstimationem, & amorem, ut inclinaret in eam vtraque insula, nisi duorum optimatum intercessisset aduentus præceps: summæ rei curam hi gerebant pro Rege Tidoris, nondum publicis maturo, timebantque hostiles in regnum, saracenorum inimicitias, & incursum vndeque bella si à Mahomete ad Christum transisset. Quare id magnopere agebant ut sex illi nobilitatis primariæ, Christiani Baptismi vel propositum mutarent, vel sustinerent aliquandiu dum Rex adolescens in regno potentior, stabiliorque constitisset: causam arcis Præfectus quem super ea interpellauerant, prudenter ad Patres reiecit, penes quos esset sacrorum iudicium; quod ij optimum censuissent, sibi quoque id probatum iri. Egere illi cum Patribus, sed euentu planè ceptis contrario: nam paulatim edocti, ad immortalis animi salutem quantum referret: esse vel non esse Christianum; sic persuasi sunt viri sapientes, non modo ut vltro sex procerum gratularentur proposito, quod disturbaturi aduenerant; sed pollicerentur etiam se rebus in regno stabilitis, Regem & populum inducturos ad Sanctum & nobile Christi iugum, repudiato Mahomete. Festo itaque cultus omnis, cantusque apparatu celebratus est dies in Christo natalis, sex procerum, multo, & læto cum fragore cannarum naualium, quibus vnâ quatiēbatur Arij animus, præsertim aliquot post diebus, cum instaurata est eius pompæ magnificentia, duorum aduentu Regis Tidoris fratrum, qui Ternate

nate à Patribus fonte Sacro abluti spem magnam fecerant fore ut Rex frater idem breui prætarer, cum iam propensis in Christum studiis inclinaret. Sed vulpinabatur ad hæc scelestus Aërius, simulabatque se sibi plurimum horum Principum honore, & conuersione gratulari, gratulatusque hoc ipsum Patri Mascarenæ, simul petenti amplissimam tribuit promulgandi Evangelij copiam, addens se quoque cum filiis fore assiduam illius auditorem; cum interea perfidus, tum eius clam machinaretur, tum Christianorum perniciem, propagaretque armis Mahometem inter insulas Amboini. Ac ne quidem Ternate sic dissimulabat perfidiam ut verbis facta satis obtegeret. Ternatem miserat Rex Bengajj, seu proprium, ut quidam seu fratris filium ut alij scripsere, regni sui futurum hæredem, ut religione utraque Christianorum, & Maurorum diligentius inspecta & liquido agnita sibi deligeret, quam comperisset dilucidè alteri præferendam, dein vel Christianus ex baptismo, vel ex circumcissione Maurus, in regnum rediens, illud secum aut Christo integrè, aut Mahometi manciparet.

Hic legem utramque de vita primum & moribus æstimans; tum Calcigibus de Mahometana seorsum auditis, de Christiana seorsum Patribus, Christianæ se prudens iuuenis addixit penitus, tanto indignantis Aërij dolore ut se in omnia verterit quod ab mente iuuenem dimoueret, quæ ut sensit ab se in cassum fatagi, destinat ad Regem Bengajj legatos, qui Principi suo natorum maximo, filiam ipsius peteret uxorem, & quidem dote non alia quam regnum suum ex Mahometi placitis iuberet viuere: frigidò responso petitionem Rex elusit, acturum se de illis nuptiis, & illa dote cum Rege Baciani, quod is author fuisset præstiturum: Sed enim à Rege valde Christiano, expectari quid posset commodum execrabili sectæ Mahometis? eo potissimum tempore quo è nostris duo Aluares & Ozorius cognomento uterque Ferdinandus religiosæ virtutis norma spectabili, & concionibus immenso numero Christi gregem augebant. Cuius incrementi tam illustris impatientia, Regina Calciges (quæ Rege filio Christianum professo retinuerat Mahometem) insalutata illa in montes secesserint, ne probrosam illam sectæ suæ dissipationem, coram cernere cogerentur; interrogati enim à suis cur vagi, & ab aula procul: disertè falsi sunt Calciges vnus Christiani (erat is Aluares) ad sanctimoniam se erubescere; ad Conciones vero alterius tam multos ad Christum desuere, ut mallent profugi ab aula & oculis hominum degere quam legis suæ ruinam spectare præcipitem. Nec tantum valuit iteratis sæpe promissis & precibus Regina, ut de aula sponderent repetenda, nisi si forte, duo illi è nostris iuberentur è Baciano facessere: prorsus vero ut erant Mahometi suo obstinatissimè addicti, iure conspectum mortalium vitabant, ut quibus iam lex Mahometica tantæ esset execrationi; quanto Christiana lex pretio, & honori sanè illic quorundam è nostris aduentu ex India, cognito, & applicuisse illos ad fauces sinus ab vrbe primaria aliquantum remotas, confluit longis agminib' 99

agminibus secundum flumen cum ramis, & cantibus populus, more illorum appulsum celebrans; & tenaciores erroris veteris octingenti; breui quoque & ipsi, baptismo expiati, ad Ecclesiam accesserunt. Sed nihil æque Calciges fugauit vt factum Aluaris generosum, & forte; quo Regis sepulti effodi ossa iussit, quod Mahometis sectator obijisset, projicique in campum inhumata; sanum vero vbi iacuerant, in Christianorum sacram ædem conuerti, rege filio tam lubenter, & palam probante vt diceret, videri sibi, tunc demum cœpisse, liquido esse Christianum; adplaudente vero tantopere populo, vt festis diebus idem templum, concursu, virore arborum, & florum odoribus qua poterat elegancia frequentaret. Iam beneficia quibus supra morem, ac modum stabiliebat Deus neophytorum fidem erant assidua. Mauræ anus duæ ex morbo depositæ, mori optarunt Christianæ; quæ dum salutari tinguntur lauacro conualescunt, adolescentes duo ab ipsomet parente ad baptismum oblati, mox acutissima corripiuntur febre, dæmone in iis pœnitentiam baptismi, horrorem & metum in aliis mouente; At hi aquæ Australis sorbitiuncula à Patre Aluare porrecta persanantur.

Quamuis autem fundendæ latius in regna fidei quæ illam susceperant nostrorum magnopere obeffet paucitas, cogenturque ad illa peragrandam perpetuo in procinctu esse, pergebat tamen diuina largitas eò illis nouos aditus pandere, vbi nihil vnquam de Euangelio auditum, præter morum famam, vitæque innocentis quam neophyti viuerent. Vel de vna solum earum insularum quæ nostros flagitabant, vt per eos abluta adscriberentur Christianis, scribit ex Patribus qui tum illic agebant, centum & iis plures ex quibus constabat Conimbricense Collegium, si adessent, operosè in ea occupatum iri; eorum tamen partem vel mediam sat fore ad omnes insulas centenis inde abiunctas leucis breui Ecclesiæ finibus addendas quanquam essent prope innumerabiles. Porro inter illas quæ missis publice Ternatem legatis nostros accersiebant, à quibus admitterentur ad baptismum fuere illæ Xauerio tam desideratæ Celebis insulæ, quarum vna Macazar nomine, milliarium ambitu sexcentorum sub æquinoctij linea ad occasum Molucarum iacens, nec ab iis dierum duorum nauigatione longius distita. Huius piæ postulationi supremus armorum Præfectus Henricus, eò procliuius annuendum putauit, quod tum sua priuatim nonnihil interesset, tum rei Lusitanicæ communis oram illam scrutari. Duobus ergo nauigijs armato milite validè instructis aduersus Maurorum piraticam toto illo grassantem Oceano, Patrem Iacobum Magallianem imponit, sibi à Rectore designatum, & ex Amboino recens illuc reuectum. Quod vbi resciiuit Aërius, prope in rabiem dolore actus est. Classem enim illuc instruebat potentem præficiēbatque illi Babum natorum maximum, vt Celebis populos circumcissioni, & Alcoranno subijceret, videns igitur sibi præoccupata consilia familiaribus nisus est fraudibus aliquid turbare: sparsit in vulgus conspectum in mari validum Celtiberorum exercitum, insulas sigillatim velur otiose varias percurfare; ignorari

10.
Reges duos
in Celebis
baptizat Ma-
gallianes, &
multos po-
pulos.

autem

autem quò vagus ille discursus tenderet, quam tot numeri, temporis & locorum adiunctis, tam scitè fabulam ad verum concinnauit, vt suspicionem Henrico faceret non contemnendi periculi; quare celocem iubet expeditissimam præmissa duo nauigia consequi, eaque Ternatem reducere, perspecto deinde per exploratores mendacio, pergendum qua cæperant decernit; erat intra hyemem iam annus quæ illic à Maio incipit sinusque illos procellis grauissimè infestat. hinc triste aliquid ominati complures, iussis militem auertebant, immotus hæsit in suscepto Henricus, minatusque refractariis vincula ad pandenda vela compulsi resistentes. At cuius gloriæ traiectus huius lubricum seruiebat per casus grauissimos perduxit incolumes, & quarto ab discessu die anno 1563. Manadem applicuit, regni sedem, & insulæ caput. Magalliani processit obuiam ad littus populus, comitatusque est in urbem festa gratulatione. Illic operi manum confestim admouens, ne diem quidem vnum sumpsit à commisso sibi munere vacuum. Erat Manade tum cum Rege Insulæ Rex Siani tractu illo nominatissimus de quo multa suppetent scribenda, optauitque & ipse fieri Christianus. Magallianes itaque Reges duos, aulæ proceres, & de primariis populi magisque cordatis aliquos diuina mysteria docuit, cui ministerio dum instat dierum quindecim spatium, diruuntur aræ, idola disturbantur, memoria omnis auitæ superstitionis aboletur, Purgata in hunc modum vrbe, Reges duo, paratu magnifico sacris vndis tinguntur, Hieronymi nomen Rex Siani adlegit, secuti sunt reges ad Christi lauacrum quingenti supra mille, nec Magalliani visum, tunc quidem in plures prætiosi doni gratiam fundere, arbitrantur vt scribit tutius & præstabilius tingere pauciores, sed probè Christiana mysteria, & officia callentes, quam turbam inconditam, & rudem vt sequi docilem, sic retro labi, & deserere facilem. Nec ulterius licuit illos erudire, quòd Henrici mandato duo nauigia Totolen vgerentur ad requirenda instrumenti bellici tormenta duo illic olim relicta. Manade igitur profecti, lambendo littore Bolanum attingere, vbi Regis Manades filius, viginti dominus oppidorum omni, humanitatis genere profectus est hospites, patris quidem gratia iam Christiani; sed multo propensius, quod arderet, & ipse vehementer fieri Christianus, idque maiorem in modum flagitaret ducturam se spondens ad sacrum baptismum suorum quindecim millia, sed satisfieri voto eius tunc quidem non potuit, quòd esset è secta Mahometis, (quamuis ad illam à Cazilguzarate regis Moluci fratre vi adactus) & soliti sint ex Mauris Neophyti ad Apostasiam, quam qui ex ethnicis esse proniores. Inde Caurippen cum venissent, pagos ethnicorum sex intra mediam leucam obuios habuerunt ad tria millia in littus effusos, & baptismum poscentes, quibus ad eum comparandis, festinatio nauium, necessariam negavit moram, admissis tantum rectoribus populi, cæteros distulit, breuique postea voti compotes fecit. Nam diebus quinque remensius viam ex Totole, vbi machinas bellicas in cassum vestigarant, Caurippe octiduo

Octiduo bis mille indigenas Christiana exultos doctrina, baptismo lustravit, cruceque illis quam venerarentur ad mare posita, Manade reuertit. Ac numerum quidem tam paucis diebus conuerforum putanti, haud parui hæc breuis excursio momenti censetur; sed fuit quod per eam est gestum perleue, ad multa & maiora quæ si moras indulgisset annus in promptu se dabant peragenda. Et visa tunc solum est Christi fides iniecto pede, possessionem illarum gentium inire: causa discessus raptim maturandi fuere quas vocant Motiones hoc est maris ventorumque vices pro anni tempestate faustæ vel aduersæ, quarum ubi fauent nisi vtaris opportunitate, menses totos cogaris expectare, dum redeant, & mare peruium substernant. Quare nauigiis Ternatem ad præscriptum Henrici necessariò reddendis prohibitus est Magallianes ex Manade Gorentallum transire, quod regnum in ora situm est è regione Celebi aduersa, & regulo suberat à quo inuitabatur Pater ad Euangelij lucem illuc inferendam. Facta tamen ab eo sementis parca licet, & missa variis obiter per Celeben locis, in messem animarum aliquot post annos exiuit vberimam, ac ni defuissent, non dico qui eam verbi diuini prædicatione irrigarent, nam his opus admodum non erat; sed qui poscentes ritè abluerent, vltra & cis æquinoxium, Christi Ecclesia fines suos multis magnisque imperiis protulisset, sola neophytorum viuendi forma innumera-biles vitro ad Christum pertrahente, at qui tantæ; tanque dissipatæ multitudini, quam petebant manum porrigeret, præter Pettum Mascareniam non erat, quanquam ipse multorum impletet numerum, & vicem. De quo, & reliqua Celebensis expeditione absoluo vt cœpi, ne nimia annorum obseruatione trunca hic historia pendeat.

Renatus ergo ex aquis vitalibus Magallianis opera rex Siani, anno 1563. in regnum se recepit, insula comprehensum quæ Macazari obiacet, & communi Celebensium nomine continetur. Inerat principi summe prudens, & capax indoles, magnaque in iure populis dicundo integritas, etiam nondum Baptizato, sed post insignior cum ad naturæ eximia dictata, lex gratiæ meliora adiunxit. Huius imperium probis adstrictum legibus non ferens, subiectorum effrænâ licentia, & exstimulata Maurorum in illum odiis ob religionem Christianam quam prætulera Alcoranno, perduellione cum Mauris iurato, urbem regiam Passen aliasque minores aggreditur tumultuario milite, sex millium hominum; raptoque in rebellionem populo percurfat, nouum Regem eligit, & proclamât, Christianum eumque legitimùm ignominiosè regno pellit: incidit ea seditio in 1564. annum, mensèquæ decimum & octauum ab Octobri quo Christum induerat. Vnum illi oppidum constantissimè adhæsit, & in cuiusvis periculi aleam fidele, fugientem collegit cum parente sene, & fratribus, ægre manibus populi ereptis. Illic aliquandiu regem detinuit, recuperandæ spes dignitatis, & sceptri, quam demum inanem aduertens, nec de vita quidem sine metu securam, Ternaten solus nauigauit, imploraturus Lusitanorum auxilia, quæ singularibus ex-

21.
Rex Siani
Christianus,
regno pellitur,
eius pater
baptizatur.

ga illos beneficiis abundè promeritus fuerat. Sed conditione temporum illam quoque fallente expectationem, vna illi nostrorum caritas subsidio fuit. A nobis pro tenuitate domi exceptus est, magnoque affectu habitus quadriennium nobiscum egit, tam generosa exilij tolerantia, sensuque animi ad diuina arbitria humilis, vt tandem afflictum respexerit Deus, reducendoque tunc in paternum thronum dextram præbuerit, cum spes eius omnis profligatissima videretur. Anno itaque 1568. Goa in Molucas classem duxit Gonzalus Pereira Marramachus, supremus Suli seu meridionali Oceano Præfectus mille vexit cum imperio milites, in gaulos quatuor, septem nauigia, & cercurum tributos. In mandatis ferebat à Prorege de ministris quibusdam puniendis, quorum dissoluta improbitas, illas insulas subuertebat, infamabatque apud illas nomen Lusitanum; de arce præterea in Amboino statuenda; de frangendis rebellium viribus in Veranula insula; Ito, Temuti aliisque Maurorum fœderatis. Ad hæc properantem noua res contigit in qua exercitum occuparet. Celtiberi ad Zebum insulam (nunc inter Philippinas, leucis aliquot intra ostia Mindanai) naues subdlexerant, locum arce munierant, cum octingentorum præsidio militum. Odoardus Menesius Pereiræ vicarius, Ludouicus Caruallius, & solidiore iudicio alij iure factum censebant; Pereira iniustum contendebat; Zebum intra lineam esse, qua bello quærenda, olim pactis conuentis decretum fuerat cessura Lusitanis; è contrario arcem Gubernator leucis ab linea sexaginta intra regis sui limites sitam defendebat. Cumque in hoc tanto descriptorum graduum incerto, disputatione lis dirimi non posset, obstinavit Pereira illam armis dirimere, donec variis præliis semper minor, volens nolens denique loco cessit: sed dum explicaret ad inuestigandos hispanos vela Manade nuntij venerunt qui certo confirmarent, dempto pago regnum Siani vniuersum, rebellionem exosum suam, restituendum imperio pulsum regem, magnis studiis reposcere. Hic Patres Viera, & Mascarenias qui soli Ternate aderant apud Pereiram impense supplicare desolatam Principem miseratione aliqua dignaretur, in præsentem articulum necessitatis illi succurrerent: paruo id constiturum, & hoc solo, vt sub Lusitaniæ signis rectus in regnum Siani deferretur, cum aliquot militum numero, vt in omnes casus tum securitati eius consultum foret, tum regno illi post tantum temporis pacando, si quid in regis aduentu noui accideret. Sic impensa breui deuinciendum fortissimum Principem, rei Lusitanæ pernecessarium, & repensum iri egregia merita quæ in Lusitanis collocarat, dum fortuna gauderet meliori: rogantibus annuit Pereira, etsi bello proximo vrgeretur; nauim Laurentij Hurtadi armavit, eique regem imposuit cū Mascarenia ad conversionem eius subiectorum, pollicitus insuper si obfirmassent animum perduelles ad eum repellendum, confecta Zebu expeditione, ad futurum se illi toto exercitu ad eos domandos. Augusti 24. anni 1568. Ternate profecti, quinto die Manade in portum subeunt, audiuntque

diuntque regnum Siani vniuersum in partium studia fecerunt, & armatum, aliis repetentibus suum regem; obstinantibus aliis eum reicere. Quibus tamen Hurradus nihilo quàm spes integris minus audenter, & securè prouehit in Sianum, iacitque anchoras ad castrum munitissimi radices, illuc etsi ab rege non stabat populus, at nobilium magna pars eius reditu excita conuenit, manantibus vsque præ gaudio lacrimis pedum osculo de more illum salutauit: inde agi cœptum de deditioe pacto vtrique integrandi amoris fœdere & obliuione sempiterna offensionum mutuarum; sed verbis regem triduo morati barbari responderunt, suspectam sibi principis fidem esse, qui pacem armatus peteret, inter hæc trecenti ad regis signa euocati, cum militibus Hurradi, impressione facta castrum illud expugnant, obfessi fuga in montem euadunt nec ulterius Hurradus victoria vitur, ne mora longiori destitueretur ventis ad reddendum summo Præfecto nauigium & loco pellendos classe integra hispanos; dilato igitur in tempus commodius belli residuo, regem cum Mascarenia insulæ oram legens in castello reliquit octingentorum ferme incolarum. Illic regis parens annis, & integritate quoad fas ethnico venerandus priuatum agebat. Mascarenus operabatur sacris quotidie sub extensis indigenatum opera in arborum truncos ramalibus, & optimum senem fidei rudimentis ad baptismum formabat, quem illi quo potuit ornatum, post necessariam diuinorum intelligentiam contulit. Puto, (ait suis quibusdam literis idem pater) huc vsque à Deo in viuis seruatum, quod eum saluum veller, nihil ei iucundius quàm de fidei mysteriis audire. Probat singula & laudat, nec eorum quicquam cunctatur exequi quæ ad animi salutem conferre perspexerit, profitetur non esse alium à nostro Deum; nec verum aliud nisi apud Christianos.

Dum in Regnum Siani Euangelium Christi se sensim penetrabat diei vnus, nauigatione disiuncta Sanguinum insula Siano vastior totas illi vltro pandebat portas, & legatione perhonorifica Mascareniam Rex & populus inuitant ad impertiendas ibi vitæ aquas, fuitque prouidentia diuinæ, decretorum suorum æternæ constantiæ momenta temporum aprantis, vt is è Siano nondum esset Manadem profectus, quod si factum iam foret, iniunctum sibi Legati affirmarunt, omnes illas adirent insulas donec alicubi eum reperissent. Erant ij aliquo numero ex aula nobiles, tam deliberatæ ad Mascareniam abducendum, impetrandumque ab eo baptismum constantiæ vt cæsariem omnes totonderint (quo nullum iis affectus intimi & fidelitatis sanctius argumentum). sic patri quadriduum postularis illorum responsum differenti, ambigenti que de futura in suscepto Christo firmitate, promissam fidem fecere non dubiam. Quare iis denique vicissim iturum promisit, orante præsertim Siani Rege, ac spondente duo illa regna sibi ab æuo peramica, sibi quoque ad religionem conseruandam in præsidio inuicem adfutura. Promisso lati Sanguinum ad suos reuolant legati, impetratique nuntio sillos exhilarant, qui mox instructam remigio cercurum habi-

22.

Mascarenus
Regem Re-
ginam, au-
lamque om-
nè Sangui-
ni insulæ
baptizat.

lem ad Patrem advehendum mittunt, & iuvenes duos futuros itineris comites, alterum Regi ex fratre filium, alterum primi in regno nobilis; Rex vero Siani pro virili sua, cercuros decem adornauit, vt cum regni sui nobilitate primaria quæ illò confluerat Mascareniam deduceret, & in sacris baptismi solennibus amicum regem sua cohonestaret præsentia. Dies Octobris quartus illuxerat anni 1568. omnes è Siano alacres cum soluisent, sub occasum diei portum in Sanguinio legunt. En autem postridie mane Calanguâ regni metropoli portui vicina, Sanguini rex adest cum aulæ suæ splendore vniuerso gratulaturus hospitibus aduentû, inducturusque in urbem secum. Illuc per omnia festæ, gentis de more, lætitiæ argumenta vt ventum est, primus ab Rege vir Princeps, honori sibi duxit Mascarenia palatio cedere, cui per angustias temporis, qua optabant magnificentia non licuisset hospitium metari. Triduum aula, & populus in publicas effusi lætitiis inde mox confluunt ad Patrem audiendum. Lectus concionibus habendis ad mare collis, præcellis arboribus opacæ & amœnus. Illic modico ex tumulo Mascarenius diuina proponebat explanabatque mysteria; audiebant dicentem Reges duo, cum Regina, nobilitate omni, magno populi concursu, mirum silentium, attentio ingens, voluptas quoque & admiratio singularis, interpellantium subinde, & iunctis vocibus contestantium, mira esse quæ prædicabantur, seque illis fidem præbere certam & indubitam. Præcepta vero legesque vivendi, professioni sanctissimæ congruas, omni diligentia seruatuos. Post hæc rite, ac particularim tradita & percepta, initiantur magna pompa salutis Sacramento, primus Sanguini Rex cum Regina; dehinc aulæ omnis cum nobilitate, postremo digestus in familias, patres, matres, liberos populus. Sub hæc ritu legitimo matrimonia corriguntur, instaurantibus mutuos consensus ex Ecclesiæ præscripto coniugibus; quæ res item non paruum extitit hilaritatis publicæ incrementum, vrbe prope omni festas nuptias agitante. Neque vero hic fuit diei vnus & labor, & lætus apparatus. Tot enim hominibus baptismo lustrandis, tot integrandis coniugiis, par esse vnus tam breui non poterat, etsi à primo diluculo ad serum diei, hoc vnum ageret, dies quindecim in iis posuit, vt non modo Calanguæ, sed affluentium aliunde satisfaceret pietati. Sed enim pompæ huius, & religiosi animi luculentos sensus quibus tota illa excepto nemine Christianitas neophyta, Redemptoris sui venerata est sanctam crucem, non possum gratiùs quam Mascarenia ipsius verbis describere: quibus nostros in India per literas alloquens, in partem vocat sanctæ voluptatis, quam ex iis ipsemet spectator, & testis hauferat. [Gratiarum, inquit, apud Deum illustre profecto argumentum fuit, & lætitiæ incomparabilis, pietatis illius ardens alacritas, quam exerere Sanguinenses ad erigendam crucem: dies primum tres syluis oberrarunt vt arborem legerent proceritate, & pretio insignem; inuentam deinde qualem optauerant, attingi à nemine passi sunt, quin esset ortus nobili genere. Soli ex proceribus ab Rege secundis iuuenes cæ-

dendæ

dendæ arbori manus admouerunt, soli venustè dedolatam in crucem formarunt tam pulchri operis vt his oris elegantior non meminere vidisse. Perfectam iidem defixere, nec se quisquam primorum, honore affectum debito credidit, nisi manum operi commodasset. O Reges Celebis, spectassetis duos natuta barbaros, in sustinenda humeris Christi cruce, attollenda, pangenda sedulo occupatos! firmatæque mox, sua cum aula aduolutos de genibus, eamque summa veneratione adorantes, quam exuberanti gaudio subsiluisse vobis pectus? repetita potissimum dierum illorum memoria quibus paulo ante dæmonem iidem suprema coluerant adoratione, qui cruci tunc tantos exhibebant honores: quo etiam tempore reliqua ciuitas, crucis laudes sono, vobis, cantu gestiens celebrabat, nec finem publicæ sanctæque voluptati dies fecit, multas noctis in horas producta est, ciuibus vix sua gaudia sat capientibus, instantibusque gratulari sibi Christianismi bonum tanto annorum, & votorum ambitu denique possessum; & patriam suam statutæ crucis adoratione consecratam.] Hactenus Mascarenia epistola de cuius paulo post discessu rumor, plausus omnes & cantus in mœrorem luctumque conuertit.

Urgebatur anni tempestate ad visendos quamprimum Cauripes neophytos, nec licebat inspectionem hanc differre quòd inciperent reflantes venti, Celebi Cauripem intercludere maria: fateor, subdit ipse, nunquam matrem vidisse peregrinaturum procul in barbaros filio, corculo suo, verba vltima dicentem, vsque adeo affligi & dolere, vt illi ad primum discessus mei nuntium dolere, circumsterere me lamentis & precibus ne se desererem. Indignos esse cum quibus manerem, quod me tam ieiunè tenuiterque habuissent. Solum steriles culpam esse non animi, at si annuerem illic permanere ituros se ad confines insulas, & inuestigaturos aliquid alimenti quo commodius sustentarer. Erat hæc piorum neophytorum benigna vrbinitas, qui postquam nihil præterissent, nihil ab se satis præstitum ducebant: inculcauit iis Pater vna se causa adstringi ad discessum, necessitate diuini obsequij, & Ecclesiæ Cauripensis, quæ annum iam sextum Sacerdotecareret à quo infantes lustrarentur, & in religionis constantia adulti consolidarentur; spem fecit reditus quàm possit citissimè maturandi, aut mittendi aliquem de Societate qui eandem ipsis nauaret operam, quibus ipsi vtcumque sedati acquieuerunt profecturo, prius tamen quam illum à se amitterent, designari ab eo ædi sacræ locum, & spatia voluerunt, quam esset in reditu perfectam conspecturus. Iacebat locus ad mare peramænus, opportunusque propinquæ vrbi, & vectoribus illac transituris, sed præcelsis & densis arboribus confertus. Illic templo sedem metatus est pater, iterumque accensus est feruor nobilitatis illius Christianæ. Nam die postero, albescente cælo, nobiles omnes instructi securibus in nemus prodire, & proletariis exclusis ipsimet sylvam aperire, dejicere arbores, descriptæ areæ plateis templi, solum vacuum, & patens ante meridiem

23.
Sanguine
discedit,
Cauripem
inspekturus
ad neoph.
iuuandos.

diem exhibere : incendebat rex opus , honestabatque sua præsentia , nec valens præ senio , manum aliis iungere , labori præerat , suoque hortatu illum animabat. Ne mulieres quidem laudis huius parte sustinere defraudari : pacem Regina per nuncium rogauit , sibi & nobilibus feminis , nuptis æque vt & virginibus liceret , herbis saltem & fibris minorum stirpium locum liberare. Rebus his in Sanguino gestis Regem Mascarenius postremum salutauit , eoque cum aulicis omnibus deducente , post mutuas significationes intimi amoris cercurum conscendit vnaque Siani Rex , & Regis Sanguini ex fratre filius qui se illi honoris gratia dare comites voluerunt , & Celeben versus Maiorem nauigare , applicito primum ad Sianum ex itinere cercuro , Rex nauim sibi suam ornari , & minora nauigia mandauit , magnoque illis suorum nobilium imposito numero , quò instituerat , perrexit : colebatur dies Sanctis omnibus sacer anni 1568. maris biduum in Manade portu illos sistit , vbi dum instat neophytis illis inspiciendis , & erudiendis Mascarenius : Ecce tibi ad eum ex Baracinis legati , enixè vrgentes veniret festinato , vt eas insulas Christi baptismo expiaret : gens erat addicta simulachris ; centum millia capita facere dicebatur ; diuersis parebat regibus , Sianensi ferè propinquitate affinis , qui suas propterea legatorum precibus adiunxit , vt quod flagitabant à Mascarenio exoraret. Baracina potro Sinense vocabulum , Sinarum terram sonat , eoque nunc etiam integræ ad regnum Gholi notantur insulæ , regni que adeo illius pars iacens ad Septentrionem , quam quondam Sinenfis natio illius Oceani domina fertur , habitasse. Verum satisfacere illis Pater tunc quidem aliter non quiniit præterquam spebus , & promissis , adfuturi sibi ex India quos secum ad duceret Patrum nostrorum subsidij : se vero solum tot inter populos præstare aliud nihil posse , quam vt iis subito , & velut obiter baptizatis , mox absque magistro , & Sacerdote illos desereret incertus an esset , vel quando illos reuisurus , quod foret omnino pretiosam illic Euangelij sementem facere , vbi vix nata interiret , alimenti succo & incrementi pabulo destituta. Ac his quidem mæstos , ipse mæstior dimisit quod pia illorum differre vota cogeretur ; inde Rege Siani velut indiuiduo comite Gauripem nauigauit : illuc adueniens eam expertus est occurrentium benevolentiam , ea propensè animi documenta , quibus parentes in sperato peregre appullos filios , tenerioribus non potuissent accipere ; orta que est concertatio æmula , cuiam inter primores hospitij decus erga Patrem daretur ; inde turba ingens ethnicorum ad Christianum fontem parata se sistere , at is ob eandem quæ Baracinis legatis obstiterant causas , intuitum putauit eam tunc aliis gratiam conferre , præterquam paucis rectoribus , & velut capitibus populi in stabilios vero neophytos , promouendosque ad meliora incubuit : & lectos de multis aliquot scientiores doctrinæ Christi , & conspicuos morum probitate præfecit reliquis magistris , vt essent iis se absente , pro intelligendi regula , & viuendi.

Exibat

Exibat inter hæc Pereiræ tempus Zebuanæ decretum expeditioni, cuius paulo ante indicata est origo, confecta illa, exercitu eundem erat aduersus rebelles, iisque profligatis, Siani Rex restituendus in suam ditionem. Quare ex Cauripe remensi mare in Sianum, frustra diu classem cui arma coniungerent, dum operiuntur, tandem longo prospectu apparent naues duæ, creditæque mox ad primam Pereiræ aciem pertinere, expectando fessos mire exhilarant, sed missum ab Rege & Mascarenio obuiam inuitandis illis catospium hilaritatem præproperam relatione tristi subito deiecit: nauis erat, & lembus Mandornella præfecto cum militibus aliquot indigenis nec ultra viginti Lusitanis; Pereiræ classem, diu incassum errasse quærendis quos expugnaret Celtiberis; pertæsam inutilis operæ, Ternatem reuertisse, summum eius Præfectum Pereiram, pro imperio iussisse triremes omnes duci, ad domandos Siani perduelles, & subiiciendos Regi suo: sed enim in cursu ventis ad proram tam vehementibus reiectas, vt frustra vterius connisæ in portum denique Moluci subducerent sese. Cæterum addebat Mandornella, regis & Mascarenix vicem dolens, quos eo nuntio cernebat grauius affligi, paruo quod nauigiis duobus veherat auxilio, si quæ opitulati se posse crederent arma sua & vitam ex animo, in eorum potestate, & obsequio fore: quam opis ferendæ tametsi angustæ, generositate, & Lusitanorum comitum, minimè sperendam rex prudens statuit, bello semel aperto auctum iri suas copias nobilitatis præcipuæ non paruo concursu, & manipulis fortium militum ex iis oppidis quæ in eius fidem redierant: iunctis ergo in classem exiguam nauibus in portum contendunt, arci subiectum quam regis perduelles munitissimam obtinebant. Exscensione facta collectoque ex accolis milite irruptionem subitam moliantur. Imminebat arx Mari è montis edito ascensus tam ardui, & prærupti, vt nisi adreptando, & per anfractus rupium transuersarum non daretur ad eam aditus, & quidem inuadentibus periniquus, infestantibus desuper obsessis, fauens deuoluentibus in eos saxa ingentia, telaque in crucem, in Patrem, in Cascigem Christianum mutuo hortatu poscentibus: Mascareniam scilicet innuebant, qui prensandis adrepens cautibus, crucem præferbat, ostentabatque militibus, & identidem desigebat. Rex autem pro se, lingua, manuque rem strenue agere, muroque proximus, hos modo, nunc alios ex propugnatorum præcipuis, compellare; meminissent quis esset? puderet seruitutis quam iurassent vili & ignobili tyranno, maluissentque illi mancipia quam regi suo liberi viuere; redirent confidenter, & arma ponerent imprudenter mota, nec dubitarent eodem quo prius apud se honoris, ac pretij nomine futuros. Hæc dum beneuolè arguentem pudefacti mæstoque silentio audiunt, en magnus ab auerso clamor, fragorque vna bellici instrumenti; canteriatos catapultarios, partim Regios, partim Lusitanos sua cum bono genio solertia iuuerat, per cæca nemoris quo castrum à terra cingebatur, indeprehensi ad murum euaserant

S rant

24.
Rex Siani
regnum re-
cuperat &
ad Christum
adduxit.

rant; iamque ad portas pro ingressu certabant: quare hinc Regis placabilitate, & promissis pellecti rebelles; inde armis iraque territi, ad deditonem conclamare: magistratus extemplo per incisus viuo saxo scaldas descendere cum primoribus ciuium, proiectique ad Regis pedes Sacramento in eius verba fidemque dicere, pacto in præmium victoris militis, aliquo pecuniæ numero, paucisque mancipiis. Restabat arx Passen reliquarum princeps, ex qua regni pars cætera pendeat: sita erat etiam ad mare, sed in opposito insula latere, & rupis excelsæ vertice, murisque præterea egregiè munita: quod ergo aperta vi ægrè expugnabilis videretur, creditum cautius, arte clam & strepitu procul incautam occupare: ad hoc singulatim, & rari transuersam per insulam terra viam carpunt; sub noctem in syluam deueniunt ad montis radices cui Passen erat inædificata; subsistunt illic horas aliquot ad quietem; inde taciti & armati ante primam lucem abrupta & aspera, pedibus manibusque conuulsi scandere, nihilque non agere quo improvisi ad muros se sisterent. Verum luce produntur ignarij funis, vociferantur excubiæ ad arma, it in populum clamor, sed quod nondum luceret, lentus adhuc & anceps; nec tam cito ad pugnam expeditis, imo etiam dubiis quod esset succurrendum; Lusitanus interea regios milites secum trahens verticem superat, & post aliquid pugnae, in muram etiam euadens, ex rebellibus centum sternit, qui primi accurrerant ad defensionem. Cæteros viribus diffisos, metus, arce omissa, in fugam montesque compellit; illic necessariis ad vitam omnibus defecti, cum præterea audissent deliberari in arce de illorum exitio, regis misericordiæ vitam taxat incolumi se penitus dedunt: accepit Rex supplices, ea lege, ut quicquid auri apud se haberent, traderent Lusitanis, adderentque mancipia viginti, præmium operæ regi fortiter impensæ: his tuti conditionibus è monte prodeunt, omnes ferme aut nobiles, aut ex locupletioribus populi, aduolutique ad regis pedes, osculo illos tangunt. Hanc regis optimi virtuti egregiæ mercedem Deus reposuit, & Mascarenias, incredibile ipsius in amplificanda religione Christiana desiderium; æqualitatem animi patientis, ex Dei nutu constanter libratam, in regni iactura, & exilio probroso, ad hæc integritatem, & innocentiam, suis mirifice litteris prædicat, laudatque ut Principem sanctum, Cuius item virtutis recuperato regno tenax, regnum ipsum Deo eius recuperandi auctori gratus rependere ac subijcere institit: nec fuit illi magnopere laborandum ut Christi legibus illud manciparet, Mauris pudore impioconatus inanes dolentibus quibus odio Christiani cultus, populos ad defectionem in illum concitarant. Mascarenias Siani Insula bis, Regi scilicet, & Deo reddita in Molucum reuertit anni 1569. Februario, magno laboriosæ operæ ab Rege præmio ditatus qui natu maximum filiorum octennem, & regni hæredem illi credidit, à nobis inter nos educandum.

Gesta præstantissimi huius operatij cætera (quando eius in rebus versatur)

famur) ieiunè illinc narrarunt literæ, quippe ab iis quos agere potius iuvabat quam scribere. Scimus è Celebis in Molucum reuersum, in Amboinum denuo nauigasse, illic ei à Mauris non minorem tolerantia præbitam segetem, quam occupatissimæ operæ à Christianis, inde perpetuo discursu ad nauigasse iis insulis visendo, seorsum singulas, ethnicos ab idolis ad Christum traducendo, docendo neophytos & infidelium ab iis vexationes prohibendo. Legi sine lacrimis non potest eius quædam epistola in Lusitaniam, haud scio quam ex insulis Amboinensibus, qua illos quamplurimi possent ad opem hortatur celeriter ferendam, tot miseris sacrum flagrantibus baptisma, & ministrantium penuria, in cæca erroris sui tabescentibus nocte. Legationes censet multas ab simulachrorum adoratoribus, quibus accerlebatur in vastissimas regiones vt, animarum populos innumerabiles, non tam verbo diuino ad excipiendum Christum excoleret, quam diuturnis pridem ad hoc desiderii excultos, supplicantesque colligeret. Sibi vero ait rumpi solita dolore viscera, quod solus tot millibus sat esse sua vnus opera non valeret, audiretque illos interea suam sortem lamentis, & luctu non consolabili querentes. Tetendisse ad auxilium manus, insulas octo ad Amboini maximam attinentes; Burros duos maiorem & minorem; Zeiranum & non exiguo numero alias; ab se vero quid iis præstari tandem potuisse, cum in ea tantum ex qua hæc scribebat insula, non plus viginti leucarum ambitu pagos numeraret sexaginta, quorum maxime infrequentes, ducenta censerent capita reliqui fere ad quinque millia: cibo sibi & somno tempus defuisse, multo magis rebus perscribendis, quas in illa recenti & feruida Christianitate, diuini spiritus profusa gratia patrabat. Fluxo erat & debili corpore, morbisque obnoxio; sed eorum sensum obtundebant ægritudines alienæ, quibus quam suis grauius frangebatur. Adeste (inquit nostros per literas Conimbricenses collegas alloquens,) adeste dilectissimi, neque vos aut metus, aut dubitatio moretur, ne forte tot morbis, & ærumnis quibus hæc affatim abundant oræ, imbecilles sitis & impares: subinfluit enim debilitati corporis & virium, diuina virtus. Experti loquimur nam morbis sæpius redactos ad extrema, perpetuis vero circumfessos & pressos angustiis ea vi reficit diuina bonitas, non modo vt æquo animo quibus arctamur miserias toleremus, sed optemus etiam grauiores. Non vnæ porro ægrotationes, mortem viro Dei frequenter ob oculos præsentem intentarunt, sed ferrum & iacula Mauro-rum, qui assectabantur velut feram, vt neophytorum fides, subtracto sibi eo firmamento, per se corrueret. Semel certo cum scissent in monte illum esse, radices montis corona cingunt armatorum, qua sursum versus paulatim arctius scandendo collecta, cogunt illum in summum verticem, iamque illum stringebant fastigio vicini, nec erat quæ illos effugeret nisi fieret iis non aspectabilis, vel ipsi de repente cæci. Euasit tamen citra miraculum, vita enim Deo in vtrumque oblata, seu mallet seruata, seu perditam; longis sursum deorsum ambagibus qua magis

25.
Mascarenia
labores, &
mors venæ-
no illi à Maur-
is propina-
to.

inuia, & inaccessa præbebant latebras, tam occulte se in subiecta demisit, vt suos lateret venatores, ad hoc autem illi subministratum cœlitus plus vigoris, quàm quod haberet à natura, ex eo agnouit, quod post tam vaga & laboriosa effugia, miratus est, se tamen alacrem & robustum. Alias ad mortem quæsitus à barbaris, in syluam se abdidit, vbi octiduum errauit, arborum frondes & herbas pro cibo, humum habens pro lecto. Tam acrem vitare sagacitatem hostium non valens, deprehensus quidem interdum ab iis est, sed minimè agnitus, Deo vel os eius & speciem mutante, vel oculorum officio barbaros multante. Quare amissa prædæ inueniendæ spe, cum sylua exissent, ab Christianis requisitus est Mascarenias, & semianimis in eorum ædes delatus est, vbi curatione diligenti refocillatus intra paucos dies, ad solennem operam rediit. At enim quod Mauri violento sacrilegio non obtinuerant, hoc prodicione impia consecuti sunt tandem, & propinato latenter venæno, vitam Dei famulo abstulere, quam illi Deus haud paulo meliori & immortalis reposuit, pensauitque æternis præmiis labores quos in salutem animarum ingentes decurrerat, in falsæ primùm Goam prope, vbi adhuc literis incumbens, & nouus sacerdos tum nostris præerat, & ardentem æque fructuosamque curam infumebat vtilitatibus animorum anno 1560. Deinde in Molucensibus insulis quo post biennium appulit in Mauri, Celebis, Amboini, & confinibus: anno demum 1582. præclara vitæ Apostolicæ decora, condigno sine coronauit, tametsi non desit qui te npus aliud assignent; sed functorum è nostris in India tabulæ, eius obitum hoc anno tradunt. Cuius porro is esset; quo natus sanguine; quæ causa illum ex Europa in Indiam tulerit, nulla indicant monumenta: constat solum Goæ anno 1558. tyronem fuisse in Societate, ex annis quatuor & viginti; quibus superuixit; viginti totos, Molucensibus insulis dedisse apostolica opera colendis inter continua vbiq; discrimina, & perpeffiones ærumnosas; virum sanctitate quàm doctrina maiorem; nunquam non à Prouincialibus Indiæ laudatum; & in communi cum aliis vitutum commendatione; prærogatiui meriti titulo, semper singulariter nominatum. Barbaris æque & Lusitanis ita carum vt diligenter eum pro communi patre, venerarentur tanquam sanctum, audirentque dicentem ea opinione loquentis per eum diuini Spiritus, quæ conuersiones animorum ederet memorandas. Equidem Ternate dum conuionatur ad primitias factorum quas nouus Sacerdos Ferdinandus Aluares dedicabat, homo publicè sceleratus, penitundine tam seria & acriter confixus est, vt delapsi ex pulpito complexus genua, eius aurem supplex ad confessionem poposcerit, quam cum fletu peregit tam acerbo, & singultantis doloris tam alto gemitu, vt perciperetur ab omnibus, fieretque reis eorundem sibi criminum consciis ad respiscendum altera concio.

26.
Amboinensis
Ecclesiæ
ruina.

Postremum scribendi veniunt casus Amboinensis Ecclesiæ diuersi, & Patrum eam regentium: argumentum contrariis anceps affectibus

ctibus, hinc de Maurorum crudeli barbarie, ferro flammaque omnia deuastante, adigenteque nonnullos populos ad defectinam à Christo sacrilegam; illinc è magnanima, & forti neophytorum constantia, retinendo aduersum terribiles, & atroces pœnas Christi caractere: qui partes quoque suas in hac tragœdia, tenuit actoris, vnus è Patribus, idemque spectauit, scribit visam sibi renasci in Amboino Ecclesiam veterem, tum suppliciorum immanitate laniatam; tum Christianorum robore, de cruciatibus triumphantem. Lanienæ huius auspex, & artifex Ærius, ille Moluci Rex, qui lento mensium tredecim carcere collectam rabiem, solutus statim exeruit. Primus eius Furor in Amboinum incubuit, eo classem immisit Duce Leliate quem supremum habebat armorum Præfectum; sed eam dolose in paucarum, distincta inter se nauium agmina dissipatam. Huic Macianenses, Timorenses, Ternatenses insularios suos imposuit, ferè Mauros, vt vtraque ex Iaua conscriptos, vt illorum magis videretur bellum geri, quàm suum. Crudelitatis initia, Christianitas Burri misera excepit, additissima quidem sanctæ cruci, sed teneris adhuc radicibus, fidei solo hærens ex quo nimis facilè fuit male coalitam euellere, & in Alcoranno depangere, vt que iis ad Christum præcideretur in posterum regressus, præter deiectas Oræ illius cruces omnes, ignique traditas, nefaria quoque maligni hostis vafritie Mauris suggestum est, vt Christianorum coniugia soluerent: Christianas itaque Mauris nubere compulerunt; & earum maritos Mauras coniuges ducere; demumque in denu quasi colonias tributos, spargere in Saracenorum pagos vbi nihil vnquam præter Mahometem impurissimum sonaret. Manit tamen eorum animis infixæ veneratio Sanctæ Crucis, & in Christum affectus; crucem quacumque occurreret adorare; si quem Lusitanum, aut è Christianis alium bona fors illis obiceret, vbertim flere, & sublatis in cælum manibus, rogitare ecquando in Molucum appliciturus esset ex Lusitania Præfectus quem aliqua ipsorum tangeret commiseratio, & qui seruitute impia liberatos, restitueret Christo, & professioni Christianæ: ad hæc etiam luctus sui triste hoc argumentum threnorum carmine prosequi, patriâ linguâ composito, quo mœroris inter se mutui querelas, cantu alternabant, haud tam doloris leuandi gratia quàm vt hoc liberis monumentum relinquerent ereptæ fidei repetendæ, cuius sibi tunc violenter inhibebatur professio. Parta iam Mahometi Burro, in Amboinum mouit Leliates, imparatos aggressus, alios non ægre addixit Mahometi quibus vita præsens æterna carior; alios sustulit quos iuuat potius vita infelici quàm religione excidere. Sed inter apostatas, detestabilior eorum amentia, qui eius stipendiis auctoritati sauitiæ illius, & sacrilegio militarunt, quod in gente nuper neophyta; ortu & conditione agresti & barbara non tam mirum, quam de Europæis exitisse, qui spoliandis, necandis, perdendis Christianus apostatas vincerent. In iis sui (cuius honori parco) desertor Ordinis frater Antonius Hercules, cum germano fratre,

latrones vterque publici & ductores Mahometanorum, religionis fidem extorsit compluribus horum duorum immanis atrocitas. Nam quibus deesset quo se redimerent, eos manibus pedibusque truncatos, necabant longa & acerba morte: alios cateruatim ligatos Mauris Bandensibus in mancipia vendebant; demergebant nõ paucos mari, saxo brachii alligato alioque non dissimili crudelitatis ingenio in Christi fideles grassabantur. At enim scelestos sua tandem assecuta est pœna, Lusitanorum confossi catapultis simul omnia luerunt, fueruntque tam nigra, & horribili specie cadaverum ora, vt non obscure intelligeretur qua sorte tunc illorum animæ viuerent. Hæc Amboini non tam iusto bello, quàm excursionibus & latrocinis anno post quinquagesimum nono cepta vexatio, ad sexagesimum alterum pertigit; vnæ inter communes ruinas, Homæ, Chilani, & Atiuis arces in Christianismi steterunt constantia, situ quidem munitæ, at tuorum magis virtute præstanti quàm armis defensæ Præfertim Atiue, à Manuele fortissimo iuvene seruata, quem sua magnanima pietas, indictum omitti non patitur. Hic olim Xauerium diuini verbi præconio Amboini terras peragrantem comitabatur puer, ferebatque ipsius lineam castulam, & Sacerdotalem stolam: cumque audiret ex eo toties diuina mysteria, illorumque explanationem, ita illi animo penitus hæserant, vt fieret aliis non contemnendum eorum doctor, non modo tradendorum, sed faciendorum proprio Sanguine assertor non timidus: erant hæc illi quotidiana in ore verba; vilis sum fateor Amboinensis, & rudis literarum, nec satis capio quid velit esse Christianum, multoque obscurius quid sit Deus. Hoc vnum calleo, quod me docuit sanctus Pater meus Magister Franciscus, pro Christo vitam, & fide Sanctissima ponere, id vero bonum & optandum esse, mortemque pro illa si res feret libentissime optatam: reipsa quidem non raro periclitatus est, à Mauris & desertoribus ad necem sæpius indagatus, quod sublato illo, religionis columen illic euersum putaretur; intentata illi ab Antonio quodam illius sobrino in os catapultæ, & ab Lusitanis militibus duobus, crucem cui tunc forte adstabat complexus, tranquille admodum necate sultis, si sic lubet: nam à P. Francisco didici, arctè cruci affixus mortem minimè formidare: qua securitate animi, & dictorum pudefactos homicidas à perficiendo facinore absterruit. Hoc porro virtutis, & Christianismi robore masculino, non suam modo Atiuen patriam sustentabat cui diuinorum monitor præerat, verum alia quoque vicina oppida, in quibus spontanea exilia & mortes subire multi eius exemplo, & hortatu maluerunt, quam Christo nuncium pro Mahomete remittere: quin & Cilanenses Saracenorum inciti suasu ad reuellendas cruces, & Christum Mahomete mutandum, quod vniuerso iam Amboino id esset ab Christianis factum, nec residui vllæ essent à quibus squerentur Lusitani; vnum in Atiue Manuelem; responderunt esse residuum; sibi omnium instar illum esse; se nunquam dum viueret, & spiraret à Christo dimouendos. Hæc dum Amboinum discerperet Maurorum laniena, Henricus Sa, vt dictum

dum antea, cum classe ex Indiis, Molucum petens, illic obiter portum legit. Inde superstitibus adhuc Christianis inexplicabile gaudium præ cæteris vero Manuelli qui Deo agendis gratiis non satiabatur, humique prostratus, Patrum osculabatur vestigia, quos secum sex numero aduexerat Henricus; incendebatque illorum studium ad reparandas eius Ecclesiæ ruinas. Eas vero Henrico narrabat eius miseras, & clades, ut ad leuandas adiecerit animum; ac licet Ternatem plurimum festinaret; nec possent tam breui, quod res Molucenses, & annus præbebat spatio; exterminari profus inde Saraceni; tamen Insulæ caput Rocaniuem decreuit impetere. Exercebat in ea tyrannidem Ratiputus Maurus, homo ferus; ambitu, & auaritia æstuans, qui se pridem Amboini regem nominarat; & immanitate tributorum, regiones ad famem redigens extorquebat à iis imperata; tyranni crudelitas, eos qui iussu detrectarent ferro; igni domos illorum perdebat, auro tamen quam ferro confidentius nitebatur, iactabatque se duabus ex vrnis ducere quo manus lineret Præfectis duobus Europæis, eneruaretque ad arma contra se mouenda; & Christi vnâ, regisque sui faceret proditores. Sed hanc eius probrosam de se spem, facinoroso irritam Henricus effecit. Rocaniue primo impetu expugnata, Ratiputum captum vinculis oneratum: adsunt mox vndique missi à variis populis tyrannidem publicè accusantes, qua illos oppresserat; dicta causa, damnatur capitis ab Henrico, eius ex Latrocinii thesauri sarcinendis vniuersitatum damnis, quas depopulatus fuerat diuiduntur, ipse Ratiputus, seu vitæ aliqua si baptizaretur, fiducia; seu mouente ad vltimum sceleratissimum hominem bono Deo, fieri perit Christianus; & Antonius Abreus in nominalibus appellatur, quo dux Lusitanus, Lustricus eius pater nomine vocabatur: quæ si ex animo, nec simulatè peregit Ratiputus, vno vtramque prudenti consilio vitam, animi corporisque seruauit. Vitam illi Henricus, sed hac lege donauit ut vincetus deportaretur Goam, & cum illo Manuelis cognatus, aliusque Baura nescio quis, religionis iam tertium desertor, ex flagitiis omnibus concretus. Rocaniuem receptam, quos secum Henricus aduexerat Patres, confestim Euangelio prædicando, & reconciliandis Ecclesiæ lapsis manum admovent, diligentem; duplici ante, & post diem Paschæ octiduo, præter desertorum restitutionem, baptismum solennem celebrant capitum mille quingentorum; sana Mahometis gemina subruunt, & Pagodem ethnicorum amplissimum Loco vtroque vrbis maxime frequenti crucem constituunt, lætis circum choræis populus, acclamationibus iunctis crebro ingeminat, prius mori quam fidem abnegare.

His Rocaniue auctus primitiis Henricus, in Molucum, quod instituerat contendit; Rodriquez & Magallianes Atiuem traiecere, cuius ut in nouarent pietatem & constantiam fidei, sacro honorario decorarent; templum ei exædificarunt, elegans oppido, ut reliqua omnia pro inopia regionis, sed pietate magis quam artificio. In eo primùm Sacerdos

tunc.

tunc nouus Magallianes diuina celebravit : Christianos ducentos religiosum in illud studium è vicinia pellexit vt relicta cum parentibus patria, Atiue habitarent. Inde Rocaniuem Magallianes recurrere , vbi post Henrici ex ea discessum resumpra cum armis audacia, proximis è castellis Mauri, bellum neophytis minabantur. Ergo & ducis partes Magallianes assumere, docere illos & fossas , & aggeres (patebat enim vrbs vndique nullo cinctu munita) nocturnas item excubiarum stationes , & sua cuiusque ad signa concursus alacres quoties ad arma classico cierentur : ac ne qua perduellionis , aut prodicionis intestina labe , noua pernitias ab Saracenis oriretur , edictum publicè à ductoribus populi , alio migrarent , urbemque purgarent , quibus non liberet esse Christianis, in quo pauci fuerunt , quin felici delectu, baptismum exilio præferrent: postremo erat consocianda pax Rocaniuem inter & Atiuem inueteratis odiis inimicas, ob direptiones , cædesque mutuò acceptas priusquam ad Christum accederent. Ad hoc conuenit inter duos Patres de ingenioso , lepidoque commento : nundinas primum toto Atiues tractu pagis omnibus indicunt ad mare habendas ; illuc vndeque ingens aduolat multitudo. Anteuertent Rodriguez myoparonem conscendere , in quo sub vexillo , puerorum ducebat manipulum , ex nobilioribus selectum Communis Atiuensis, probeque de iis quæ essent agenda præmonitum. Ex alia parte , alios totidem , secum Magallianes inuehebat , ex flore vniuersæ Rocaniuens : feruebat littus, ingenti frequentia , & commerciiis nundinæ , cum ecce tibi reducto ex scopulo improuisi procul Myoparones duo , ab dextra vnus , alius à læua , æquali remigio ferri , paribusque spatiis metiri mare, in vnum simul ad terram, & nundinas appulsum, trepidare hic aspectu populus , & suspicari piratas Saracenos, qui mercatus opportunitate ad prædam, conuolassent , nam præter Manuelem , nemo erat fabulæ conscius , simulataque ignoratione , augebat metum. Vt eo iucundior vectorum agnitio eueniret , quo ab omni expectatione longius abfisset. E regione nundinarum nauigia duo constiterant , & prorsim paribus littori vicina ; cum vt erant edocti , ramos virentes , & floreatos pueri manu prætere, pacis vexillum attollere, vnusque illorum, summa in puppi Crucem defigere ; tum cantus doctrinæ Christianæ patriis organis iungere ; mixtoque certatim catapultarum strepitu alternis lacessere , dum interea lente ad terram applicant , vbi à patribus matribusque suos inopinato cernentibus liberos , dici non potest quantis lætitiis sint excepti : animis tamen etiamtum pendebat populus quò pompa spectaret. Appulso militia Atiuensis , alijs duabus à Manuele explicata, excensionis prohibendæ ludum ciens , stropis crebro laxatis salutauit ; acclamatione militari , puerorum vocibus responsante. In littus descenderant , & bini , Atiuensis Rocaniuensi iunctus , aram versus procedunt in proximo erectam , vbi crucem deponunt , cuius postquam essent perfuncti adoratione, pueri, milites, populus, omnes in genua prostrati ; litanias cantare incipiunt femina, puero præcinebre

præcinente ex alumnis nuper seminarij Goani, quo pietatis expleto officio, vtrunque vna dissidentium Rectores oppidorum seu gubernatores conueniunt; sancitur ab iis inter mutuos amplexus, & pacifica officula communis pax, stabiliturque, data fide conseruandæ in perpetuum gemini populi tanquam vnus concordia; iureiurando præterea nobili Christianæ legis, æternum retinendæ, asserendæ æque armis communibus aduersus Mauros quamdiu aliquid suppeteret halitus & cruoris. Post quæ nihilo tunc fidelius pacta, quam deinde præstanda (vt ex consequentibus patebit) suam se quisque lætus in patriam retulit. Creuere autem Publici vtriusque effusa gaudia, faustissimo in Dei gloriam nuncio. Lusitani duo ab Homa castello prope Atiuem sito ad Patres legati, superueniunt rebus proxime confectis; mandatum sibi ab eius populi vniuersitate significant, aliquem petere, à quo numerus ingens ethnicorum beato fonte tingeretur; adsunt item postridie alij, suisque idem longius semotis publice flagitant; subodoratos hanc eorum mentem Saracenos arma expedire quibus Mahometo illos cogerent iurare, sed abhorrere ab eo grauius ac ipsa morte. Magallianes legatos secutus bimestri solum abluit octingentos, rite prius sacra edoctos mysteria. Inde Atiuem redux, vbi extabat ædes sacra, cum Patre Rodrigues, & primæuo illo neophytorum flore Christi natalem celebrauit.

Post hæc anno sesqui millesimo sexagesimo tertio ineunte labores vterque pariter integravit, excursionibus in adiacentes insulas strenuis; emendandis quæ dilabi norassent; confirmandis quorum teneritas robore indigeret; quæ pessum ierant erigendis, inter oppida Christo & Ecclesiæ quæsitæ, vnum fuit à duce quondam Lusitano, baptismi aquis expiatum, primis autem Maurorum incurfibus fide sancta euersum factumque Christo perduelle. Tunc vero demum æmulatione Rocaniuis, desertionis pœnitentia vehementer commoritur: nuncios itaque ad Manuelem incolæ destinant rogantque per eum exorari Patres ad afferendam sibi sceleris veniam, & tingendos infantes octoginta, post defectionem suam in lucem editos. At hos Manuel pro suo in rem Christianam ardenti studio, acri perstrinxit obiurgatione, quod vitæ huius breuis, & miseræ, amantiore quàm æternæ, fidem Deo fregissent. Cæterum autem nisi pignori darent quicquid in bonis possidebant, nunquam se de illis rescribendis in album fidelium, deprecatores apud Patres accessurum; quid enim? Mauris cum essent confines, vbi modo nudatum conspicati forent ab iis acinacem; non ferro ceruicem, sed fuga iterum, & apostasia Christo terga daturos, iterato religionis Sacrosanctæ probro, & offensione publica piorum, quam conditionem seu tulit Manuel vt periclitaretur eorum constantiam, siue quod necessariam crederet; nihilo cunctantius admittunt quàm esset ab eo posita: quare hunc illorum solummodo, ad conditionis tam arduæ legem, paratum animum Rodrigues habuit pro magno fidelitatis promissæ pignore, statimque profectus, reconciliauit eos Ecclesiæ illorumque in-

27.
Conuerfio-
nes ad Chri-
stum in Am-
boino.

T infantes,

fantes, sacro baptisate in eam induxit: mirum de se, clarumque specimen conscientiæ, crimen tuum non fictè dolentis, præbuerunt; crucem defoderant inter Sylvæ inuia vepræta cum adigerentur à mauris ad defectionem, ut saltem ab iis illam tutarentur, ne qua violaretur iniuriâ; tunc ad eam suis restituendam honoribus processere in locum populus vniuersus vbi sepulta latuerat; resollam ingenti veneratione reportant, & denuo statuunt: inde quod diebus post solis occubitum, eam accensis circum luminibus, concursu, adoratione, cantu precum piarum prosequuntur. Ad hæc suorum legatorum publicè promissis, fortiter, eximieque responderunt, Maurorum minis generosè calcatis, quibus vrgebantur ad defectionem recidiuam; quin & manu armata cum illos instare accepissent, refixa cruce, & honorificè in humeros sublata, sedes illi, sibi que alias, sprete patria quæsierunt, mendici esto, & egeni, at salute contenti, quam temporaria, bonorum tenuium iactura, æternam coëmabant. Hac Patrum ærumnas consolatione diuina bonitas condiebat, ne abiectiores animis & opera fierent, ob defectiones inopinas neophytorum populorum, Maurorum violentia, metuque conscitas, quibus in eos frustra teri perdique labor videbatur; nam ad se denique, miseri & ad Christum redibant & quasi maiores è lapsu spiritus roburque ducerent, inde firmiter in gradu stabant: quibus autem viis ad hos modo, nunc illos diuersis in locis Christo adiungendos, Dei Sapia Patres immitteret, præter omnem cogitationem, arcanum erat prouidentia diuina, ex incomptis rationibus æstimandum, cum admiratione æterni consilij suos ad destinatam salutem dirigentis. Piratarum Maurorum nauigia duo prædæ aliquid per eas insulas venabantur; veriti Patres, ne quod occuparent Christianorum oppidum improuisi, eosque vel necarent, vel abigerent in seruos, armato confestim cercuro, insulas percursare, denuntiare periculum; Christianis animos subdere ad vitam armis; fidem si res posceret, vita propugnandam, præteruehentibus de repente atrox ingruit procella, & quamuis terram propemodum raderent, nec se vsquam in portum, aut littus eiicere valuerunt, nec saltem prehensis hæere Scopulis, quod rupem circuirent vndique præruptam, ad quam etiam fluctu vehementius æstuante, tantum maris accepit cercurus ut prorsus quidem impleteretur haud tamen funditus mergeretur, cercuri figura illum summis in aquis sustinente; enatandi peritia fulti, nauæ cum paucis Lusitanis in mare desiliunt; patres cercuro affixi temerè prout agebatur, extabant alternis & obruebantur; mitius tamen sociis habiti, quos crebro vndarum ad saxa collisu, pessimè attritos, ægrè tandem correpta seruarunt vno amisso quem aqua sorbuit: cercurum quoque fors eadem subinde scopulis impingebat, iamque ictibus, & fluctui impar soluebatur, cum inde præsens auxilium adfuit vnde auctum iri discrimen putabatur, Patribus alioqui natandi expertibus in certum exitium ituris: Imminebat mari, summa illa ex rupe Maurorum pagus; qui conspicati ex alto naufragos,

dum

dum ad prædam, vt solent conuolant; duobus occurrunt Lusitanis, nudis, incermibus, laceris, adreptantibus per cautes ad ascensionem, stricteoque acinace mortem iis intentant. Hic vociferari ad illos è cercuro Patres, & maris fremitu vocem eorum dissipante, signis vt poterant, & manuum eleuatione, illos à facinore inhibere, quo pietatis officio, mortem ab iis, & ab se pariter auerterunt. Iis enim agnitis, mente subito mutata Mauri, atollunt & ipsi brachia, clamore pacifico salutant commissis in modum nauigij tumultuariò trabibus, opem ferunt, & cercuro eductos in sicco statuunt. Tam alienæ ab omni expectatione caritatis, & lætitiæ causam ijs Deus indidit, subiti cogitati extemporaneum radium, ex quo sic apud se philosophati sunt (singulari omnino in Mauris miraculo, quorum fere ad Christum difficillimæ sunt conuersiones) argumentati sunt igitur diuino factum proposito vt ij Patres, ad pagi radices alliderent naufragi, quod ipsos eorum opera vellet fieri Christianos. Patres in proximum mapale curandos deferunt, reficiuntque omni officio, quod iis mercede longe ditiori rependerunt Patres, nonaginta illorum, sacro fonte ablatis.

Nec profus earum insularum ad Amboini ditionem spectantium, vel minimū angulum retinissent simulachra, cultusque Mahometis; exemplo conuersorum vicinos populos, horumque deinceps alios mira vi secum, rapiente nisi dæmones obstitissent, & Regis Aërij furor nuidiæ dæmonum adminiculantis: proferentem se in dies latius Christi cultum, sua interpretatus damna, nouum terra marique conscribere exercitum atrox vbique Christianis bellum inuecturus. Rex Iauæ Maioris, & ipse assecla Mahometis, & si quis alius, tractu illo vasti oceani armis potens, classem tunc ornabat nauium tredecim, quas Iuncos vocitant, ituras in Molucum ad Cariophyllum aduehendum, & aromaticam nucem, eiusque interiores culleolos; eadem vero expeditione Christianos quibuscumque possent clādibus vexaturas. Cum hoc Aërius, fecedere armisque iungitur, ad profligandos penitus Lusitanos; Babum Principem filium, cum exercitus robore, in oppida destinat sibi fida, sed Amboino contermina, vt sociatis copiis, Christianos vno furore opprimerent, & vero, portum primo statim incurfu; mox primarium oppidum; Itum denique integram occupant, inter Amboini insulas proximam, fabricatis illic per orium nauibus, coactaque in illas ex indigenis militia: quater mille aduersus Rocaniem bellatores obuertunt sed fossis, & aggere, præter quam sibi hostes sinxerant securam, arretamque ad defensionem; non sunt ausi tentare: dumtaxat fecialem misere clarigatum, pacem iis deferri, & societatem belli, modo ritum Maurorum admitterent; sin eam respuerent, toto laiorum iam iam adfuturo, suoque exercitu, ferrum, flammam, extrema omnia iis illaturos. At hic iam alij ab ijs qui fuerant, Christiani, generosè ac fortiter renunciat hosti iubent se iurata Deo & Patribus fidei constanter memores promissa, & minas perinde habere; flocci sibi & damna & patriam, & vitam, præ Christiana lege in perpetuum fore. Paucis inde diebus, ap-

parent tredecim Iauæ nauigia, vertuntque in portum Rocaniuensem proras, quem si occupassent conclamata res erat miseræ illius Christianitatis, quamobrem omnes pueri, feminae, populus ad crucem supplices fugere, opemque ploratu, gemitu precibus flagitare, quam illis Deus subitam, & potentem tulit. Resistente de repente vento, subortaque mox fœda tempestate, dissipatur hostilis exercitus, disijciuntur naues, calamitatis exitum, si qua fors daret arrepturæ, Amboini tres in portum succedunt, Deo harum salutem indulgente Christianorum consolationi & liberationi Rocaniuis à Mauris obsessæ. Cum enim per eas constitisset, Lusitanicas tres Rocaniue propediem adfore, armis & milite instructas, obsidione omissa Mauri, ex templo Itum rediere. Triremes porro has ductabat Antonius Paez, præstans quidem ipse magnitudine animi, sed contra tot hostium millia, malè prorsus à militibus paratus, cum solos triginta secum haberet Lusitanos: die tamen octauo postquam de illius nunciatum fuerat aduentu conspiciuntur in alto eius naues, & vento præter anni cursum, mirabiliter adspirante portum alacres capeffunt, ea populi gratulatione, vt si salutem periclitantibus, de cœlo ferrent; & fuit lætitiæ cumulus prodeuntium è navi Patrum optatissimus aspectus Antonij Fernandij, & Antonij Gonzalez subsidio sociis ab India missorum, sed P. Ferdinandi Alvarez & P. Manuelis Goetz paucis inde diebus inopinè ex Moluco appulsus inexplicabili gaudio affectit Christianos. Paez cum suis triremibus Mauros, vicina per maria venari aggressus, magnam edidit eorum stragem; qua simul accedente fama Regis Baciani numerosa classe Amboinensibus in auxilium properantis, cum esset ipsemet Christianus, scenam mutare Maurorum res, & nostræ; spiritus & arma tollere Christiani; suosque aggressores obsidere, & premere. Mauri partim se condere cauernis montium; partim sylvarum penetralibus, reliqui pacem quacumque daretur conditione impetrare.

28.
Labores PP.
& varia in
Atiue, &
Rocaniue.

Suum ergo Amboinensi Ecclesiæ serenum clementissimus Deus reduxerat, moxque Patres ad opus rediere, oppida inter se maxime frequentia partiri. Franciscus Rodriguez qui cæteris præerat Atiuensem sibi tractum omnem assumpsit, vbi tribus in pagis nongentos sacra vnda lustravit, præter hunc reliquas sociorum adibat stationes, ignem quacumque transisset sanctum spargens beneficæ aduersus animas caritatis. Inflammandæ autem Atiuensium pietati magnopere profuit Christi resurgentis solennis dies splendido Ecclesiæ ritu celebratus, novum barbaris illis admirandumque spectaculum. Templi parietes, bombyce vestiti damascena catapultarum fragor, musicorum symphonia, odorati suffitus, & quicquid demum excogitari pro loco & tempore valuit, magnificentia quo apud rudem, & egeam insularium illorum gentem, Christianarum rerum commendaretur dignitas & maiestas. Promulgata quoque illic est Iubilei indulgentia quam Patres Indiæ Orientalibus illis Ecclesiis impetrarant, auditaque tunc primum ab orbe condito,

condito, & excepta tam denso populi ad sacra peenitentiae concursu, ut esset ad eam frequentiam multitudini templum angustius, & Rodriguez prope viribus linqueretur, diu noctuque confitentibus aures praebens, ne vnus quidem ad cibum & somnum horae sibi indulto spatio. Quamvis autem attrito laboribus corporis habitu, aegram semper valetudinem traheret, verum suis idcirco obduruerat incommodis, quod animatum periculis, & salute acriter pungere, quotidianum illi erat, pueris & adultis, Dei mysteria explanatius tradere; similitates & rixas placare, inter barbaros illos fere perpetuas, & alioqui consuetas ab iis facto ferroque dirimi. Ad haec dare operam aegrotis, moribundis, etiam fato functis, quos more Christiano, elatos sepulchro humabat, dumque his Atiue instaret, Rocaniue socius haudquaquam mollius Dei negotium gerebat; quam autem strenue, fidem facit & certam & liquidam Manuelis Gomez ad nostros in Lusitaniam scripta de illo epistola [Dico, ait, fratres carissimi! ad procurandam in his mundi plagis salutem mortaliu, seu plebeiorum siue locupletum, neminem posse Patre Ferdinando feliciores conatus intendere. Ab eiurato Mahomete vix isti biennium in Christo egerant, murus iis obstiterat aeneus ad capeffendam sanctimoniam legis Christianae & constanter tenendam, cum vna vxore conjugij vinculum. Sectae Mauricae libido, duas, tres & quam vellent, & possent multas coemere iis indulerat. Et erat in mores inductum Rocaniue, ut patres maritis suas filias venderent, aestimato de forma, natalibus, aliisque dotibus pretio; nisi enim pretio, & nundinato minime nubebant. Hinc vero diuites tollendis liberis augeti; inopes vxore, liberis & familia carere; ad hanc pestem inueteratam medullitus reuelendam, vnus sat esse potuit P. Ferdinandus; efficacia intimi ardoris, & auctoritate qua pollebat, patres ab auara filiarum nundinatione penitus auerit; ad vnam vxorem matrimonia redegit; vtrumque vero, tam consentienti, etiam diuitum quorum praecipue intererat, approbatione ut vel propter hoc ipsum depradicarent legem Christianam, eiusque sanctitatem, & consonam probae mentis ingenio, & iuri aequitatem mirifice laudarent. De caetero illos legum diuinarum obseruationi affuefecit ita feliciter, & fidei arcana iis adeo effecit perspicua, ut qui alias istos ignoraret, hinc certe coniceret nunquam plane sectatos Mahometem, sed semper fuisse Christianos. Omnes illum pro sancto colunt; apud illos quicquid innuerit, ratum sit, essentque plura praestituri, si plura ab iis expeteret. Nocturnis puerorum & mulierum cantibus, doctrina Christiana perinde Rocaniue, ut Goae resonat. Nemo est tam hebes & memoriae expers; quin saltem capiat, de augustissima Trinitate & Christo redemptore, quod tradi fidelibus oportet: tam breui autem, morum & doctrinae mutationem tantam confici potuisse, non possunt satis laudare Lusitani] sic ille de P. Ferdinando, pergitque narrare mira quaedam & singularia, illic diuinitus edita. In iis de sene crucis cultui maxime addicto, quae publicae venerationi eo in oppido prostabat. Solebat vir pius.

(quod sibi eius honorandæ pretiosior deesset copia) sub noctem quotidie paucillum olei ad crucis pedem alucolo indere; ad alendum coram ea lumen. Orta est autem aliquando, ventorum & imbrium ea vis ad quam nulla quantumvis ingens, nedum lucernulæ vnius, flamma lumen accensum tenuisset, at is nihilo cunctantius religioso suo mori obsecutus, lucernam aptare, accendere, ponere, confusus fore ut Deus non sineret ullis aut flatibus, aut aquis extinguere, cum crucis honori, & cultui arderet: nec frustratus est suus ingenuam confidentiam euentus; duravit Flamma lucernulæ contra pertinacem, & copiosum imbrem, stupentibus, qui tunc oculis cernebant, & simplicitatem hominis paulo ante, nimium credulam riserant, militibus aliquot Lusitanis; cumque ipsi per sese rei nouitatem exploratum curiosius excurrissent, quanquam ex propinquo, & probe aduersus pluuiam muniti, tamen egregie madidi, & aqua liberaliter infusi rediere, lucerna interim ardente, pluuiaque ab eius tenui flammula reuerentius assistente: addit etiam de valle dæmonibus infesta, quos illic Soangos nominant, eam cruce depacta in colliculi edito, & tota vndique valle conspicuo ab infestantibus purgatam; verum in cruce statuenda peruincendum fuit molestiæ plurimum & terroris ab dæmone conflati concutiente collem tam immani pulsu, vix ut possent in pedes consistere qui cruci succollabant: sed asperso, Pater Iustrali aqua solo, terricula omnia difflauit. Refert item de quodam Christiano, qui Iesv nomine vocato, cannam humo sublatam erexit, quam Mauri ad specimen suæ potestatis, incantamento sic humi affixerant, ut eam sex homines non mouerent.

Postremo de morbis grauibus, Iustralis aquæ forbitiuncula sanatis, & lue extincta quæ statis temporibus lethali contagio regionem depopulabatur: iam de Sociis Ferdinandi quid quisque peregerit, longum sit scribere. Antonius quidem Fernandus, tribus tantum in pagis vnius insulæ, mille quingentos baptismo donauit, ex primoribus vniuersos, hi enim præmitti cæteris optarunt. Antonius Gonzalez insulas duas Maurorum finibus obiectas ad Christum traduxit, Liliboën scilicet, & Vlaten: quare iis in Maurum pugnandum erat assidue, & bis terue in die integrandum certamen: vitis ad arma prosilientibus; pueri, etiam infantes, omnes ut poterant & norant ad crucem conuolabant in campi medio sublimem, coramque de genibus apud Deum instabant, ut sibi ab hoste parentes seruariet incolumes: fœminæ auulsa inaurium, braechialium & reliqua mundi muliebris ornamenta, in crucem conferbant, appendebantque illi pro anathemate, ad victoriam, & vitam matris exorandam: manus vero cum hoste conferentes, si armis, & viribus destituerentur, in fundendis ad Deum precibus asylum querebant; contigitque ex iis trecentos, cum multitudine imminentium Maurorum se iam cernerent obruendos, posito humi acinace, & arcu, genua flectere elatisque ut solent precando in cælum brachiis, representare Deo se illius esse, illius auspiciis pugnare, illius fidei defensionem, ar-

ma vitamque auctorasse; suos victoria dignaretur, ne rebus hostium secundis armarentur linguæ atheorū, & obrectarent Christianis, fortunari cumulatius impios Saracenos, quam pios Christianos. Hæc ita comprecatis extemplo cœlitus auxilium adfuit. Sereno tunc cœlo nubes illico stipari, aquarum vis tanta, tam densa, tam continua ruere, ut passum ad obsidionem promouere non potuerint Saraceni: occasione igitur; & opinione sua cassi, vnum ex ea expeditione dedecus retulere.

Lætos quoque F. Manuel de semente ab se Homæ iacta collegit manipulos (qui pagus itens est in confinio Maurorum, Atuæ adiacens ipsorum armamentario) viris Homa vix centum quinquaginta sese tuebatur, Atua bis mille, digladiabantur quotidianis prope congressibus, sed incendebat Christianos religionis cui militabant amor indefessus, mori deliberatior quàm illi deesse, conferebantque manus cum hostibus adeo generosè, ut duplo etiam pluribus fierent inexpugnabiles: inuentum ad hæc Manuelis catum, & sapiens, vix credibile est eorum animos ad pugnandum, edendumque sui nobile specimen quantopere auxerit, die quodam publicè solenni, virtute præstantibus solitisque fidem acrius propugnare cruces distribuit ad pectus gestandas, velut Christi torquatis equitibus, eiusque honori vel ipsa morte asserendo iuratis; quod prærogatiui decoris insigne, idcirco maximi æstimarunt, non tam quod cæteris eminenter testimonio illo roboris Christiani, quàm quod professione fidelitatis Christo IESV ad postremum halitum seruandæ signarentur: iam cum inter illos nulli æquè sermones crebro iactarentur, ut de mortis pro Christo oppetendæ eximia gloria, paratisque in cœlo fidei præmiis proprio sanguine possidendis; hinc etiam pueri spiritus duxere nihil de annorum, & corporis teneritate sapientes. Quod Atuæ domino, & horum fautori præliorum Munauari ostento sui egregio probantur, Munatus iis fuerat, nisi muros, & propugnacula quibus se tuebantur deiicerent; iturum cum suis, & daturum in cineres ædem sacram quam illis Manuel in exiguo colle construxerat. Nihil mouit fortissimos homines denuntiatio, conueinunt in consilium irati, & in defensionem ædis sacræ, nobili fœdere coniurant, certi ab ea iniuriam prohibere vel pagi totius, si belli fors falleret, incendio, & familiarum, sui que adèd extremo interitu. Id à parentibus ea religione constitutū audierant liberi, cum & ipsi pueri, & puellæ, nullius monitu, suapte sponte, suum quoque Senatū cogunt, defernuntque se pro defensione templi pugnatos, vitamque in illa posituros: arma itaque alia cum decissent, iisque tractandis vsus & brachia; vsu sibi familiaria parare, comportare circa templum saxa, suum inde pueri aceruum, hinc suum puellæ congerere, ac dum impressiones hostium; parentes pro muris frangerent, ad defensionem ædis sacræ liberi prosilire, in vtrumque prompti & alacres, necem excipere, & inferre: quamobrem barbarus Munauar, Christianos aduertens, minis audentiores factos, altius animos tollere, nedum ut ipse somniarat, metu deprimere, nunquā illos deinceps aggredi ausus est.

Hoc

29.
Destructio
altera Chri-
stian. Am-
boinensium
per Regem
Moluci.

Hoc rerum statu Amboini Christiana res alibi numero ; virtute ac robore alibi crescebat , prout belli , & pacis ad vtrumque occasiones conferebant. Sed quibus initiis summa portendi credebantur religionis ortæ incrementa, eadem supremum casuræ halitum & conatum præire visa sunt. Cuius lamentabilis ; & cruentæ cladis origo , & series , quò fiat legenti magis perspicua , retro mihi nonnulla petenda sunt. Appulsu Antonij Paez maiorem in modum conturbatus Rex Moluci , Christianorum hostis , & carnifex , questus est grauius apud Henricum Sa, armorum Præfectum illam quam interpretari fingebat iniuriam ; at ubi didicit per exploratores , Lusitanorum classem triginta solum milites habere , tunc vero confirmata ex metu audacia , futurum putauit , quod multos iam annos mente versauerat , vt legem Christianam exterminaret ex iis insulis , & cum ea omnes Lusitanos ; debilitatem illorum non male (vt postea euentus docuit) ex eo numero coniectans , quem vnum ad manum habuissent bello ingenti opponendum : stimulabat hominem ad maturandam rem , toto sparsus Amboino rumor , cuncta illius oppida & pagos , corpus vnum reipublicæ moliri ; Ducem sibi poscere Lusitanum ; eius auspiciis communi fœdere vnum in exercitum coire , pro se vbiq̃ , & quosuis in hostes pugnaturum , nullis enim parebant Regibus insulæ Amboini ; suas singulæ vrbes , & pagi singuli , seorsum sibi res habebant , agebanturque ab iis quos sibi Rectores præficeret vnaquæque illorum communitas. Ex quo fiebat vt seiuictim per sese nihil possent ; communi armorum , animorumque nexu Societatis instruati essent mare , classe nauium centum , euasurique hostibus formidandi. Prius igitur quam Societatem inter se inirent , anteuertit quàm multos potuit Duces & milites Ternatem euocare ; grandem ad hæc nauium coëgit numerum quibus in Amboinum transmitterent ; terrebatque hac belli specie Lusitanos , nisi opportunè ex India Georgius Moura cum gaudio aduenisset , omni genere commectus abundè instructo , quo Ternatensis arx in quam primus belli destinabatur furor , ex metu conualuit , & exterritus est vice versa Aërius. Verum quod Ternate prohibebatur aperta vi ; hoc in Amboino fraudulenter , familiaritatis vaframento molitus est. Rebellionem Ducum suorum simulat , & eorum complures ab se deficere , re autem ipsa in Amboinum illos mittit , deprædaturos illas insulas , & Christianismo vltinam illaturos eladem ; fortiebaturque fraus barbari crudele votum ; sed Rex Baciani fidelitatis Sacramento obligaturus Seiranenses , commodum transiens , defensionem Amboinensium cum Paez arma iunxit. Inter hæc Henricus periculo præcauens ; naues , & militem in procinctu habere , minarique palam Aërio , suos nisi quam primum ex Amboino reuocaret , accituros se ex Indiis classem regiam , eius iniuriæ vlticem. At is pro solito ludificandi more , innocentiam suam excusauit ; causatus non suos sed sibi rebelles eos esse ; dolere illorum hostilibus ; cæterum apud ipsos nihil posse , nisi rogando , vel ad summum minando : moxque illuc fisci de-

stinat

stinat Cognitorem, primæ apud se notæ virum, qui vt Regis mentem intime nouerat, quibus palam nullo loco cederent intentabat minas, eos ad bellum clam acriter incendebat. Paem interea Præfectum circumducens officiorum simulatione dolosisque urbanitatibus, & spebus, vt quandoque ad illum etiam apophoretum beneuolentiæ mitteret arborum fructus lectissimos; quos sine innoxios, seu veneno infectos vt primum degustauit Paez, morbo statim correptus, paucis diebus interiit, magno intularum illarum mœrore. Orbata igitur Præfecto suo classe, eiusque triginta Lusitanis, parum inter se consentientibus, Baciani rex abscessit, nec subesse iis volens, nec præesse, duosque de nostris secum Patres deduxit, qui messem animarum copiosam aliunde legerunt. Collapsa pariter ibidem expectatio illa omnis quam mouerant onerariæ tres Rocanitem appulsæ, quæ gatiophyllum uehebant in Indias, & statione quadrimestri adspirantes Malacam ventos præstolaturæ sperabantur; rogatæ si quidem in conspectum hostium se darent, ac saltem fingerent se ad pugnam venisse, negarunt facturas, quod Henricus Sa, Ternate classem acceleraret instruere quæ esset propediem ad futura. Quare hostium quoque ad direptiones effrænis licentia festinauit, non eorum modo qui se ex Moluco illuc effuderant, sed etiam qui ex Iaua Mauri: quibus præterea confidentia infedit Lusitanicæ nauis expugnandæ, quam ex Banda nucem aromaticam ferre per exploratores didicerant: ad hoc vt essent expeditores, iuncos suos seponunt, eorum loco nauiculas octo, longas & habiles seligunt; earum in puppibus erigunt castella, & pegmata, vt inde ex æquo cum nauis dimicarent; quadringentos florem totius exercitus armis & animis optimos, suis nauiculis imponunt; & hac nihilominus comparatione diurna luce vitata, & aperto Marte, noctem & nauim in insidiis expectant, quam vt sensere iam abesse propius tacito remigio ad illam tendunt; adoriuntur improuiso, ac pane prius expugnant & capiunt, quam se vectores satis aduerterent impugnari, & erant ij Lusitani centum, quæ mercatores quæ milites: tam auspiciis principis insolentes Mauri, eo confidentiæ venerunt, vt nihil sibi deinceps obstiturum putarint. Excurrere itaque in agum, rapere, popularique omnia, palmeta cædere: quod illic perinde est vt coram patribus filios necare.

Oppida quæ raro habitatore tenebantur incendere; alia circum latè ad muros omni vastitate premere, amputatis etiam quicumque occurrerent indigenarum capitibus: qua calamitate ne inuoluerentur Lusitani, præfecto suo Paez superstites, Atiuem confugere, seque aggeribus & vallo in hostem sed frustra propemodum, muniere. Iis enim Mauri nihil quicquam absterriti quominus in illos impressiones varias tentarent; atque illam præsertim qua ignem ædi sacre intra pomeria positæ, iniecturi ruebant, ea multitudinis mole vt obsessi, ne opprimerentur, de fuga cogitarent. Verum ad eos in publicum prodiens anus Christiãna, magni pectoris, & fidei femina, metum illis vociferando exi-

mere; hortari ne cederent; Deiparam virginem cum iis ad defensionem accinctam excubare; prohibeturam à domo sibi consecrata manus sacrilegas, pugnaturam cum ipsis aduersus Mahometanum hostem; ipsosque cum illa gloriose victuros. Siue autem eadem Dei matre monstrante didicerit, seu aliunde rescuerit, partem indicauit qua essent Mauri oppidum aggressuri, eius inditiis, nec falso, creditum; illic iubentur egregij catapultarij in excubiis stare, qui hostem illac impetum facientem, ad eò dapidè nihil tale veritum salutarunt, vt retro gradum pudefactus, & vacuus tulerit, sed magno profus Bague infortunio (qui vicinior est Atriui pagus) etsi enim Mauros habebat incolas, sed quod sociati fœdere Christianis coniuncti, arma illis, commeatusque suggererent, captus est, & magna cum strage solo æquatus. (Nobis vero inquit vnus, ex nostris qui tunc in Amboino morabantur) cum nihil vndique præter arma, & prælia, præter incendia, & cædes occurreret & quicquid poterat Christianas vires & populos ad vsque interneccionem abolere; solæ ad leuamen tot calamitatum suppetebant ad Deum preces & lacrymæ; ad populum vero apposita temporis hortamenta sanctæ generositatis, inter exilia, seruitutem, & mortes: toti ergo erant in percurfandis oppidis super abrupta montium, vt plurimum sitis, & obiicienda calamitosi hominibus Christi patientis acerba imagine, & immensitate præmiorum, quibus forent in cælo coronanda patientiæ ipsorum certamina, & huiusmodi verborum consolatione, quibus mitissime reficiebantur. Quare accerfebamur assidue in diuersa loca, eaque potissimum, quæ ex confinio Maurorum grauius periclitabantur. Obseruabamus pro ipsis nocturnas excubias, & hac post diurna animarum ministeria, caritatis quiete reficiebamur, sed increbili nostro cū dolore, spectabamus coram miseris Christianos, vel captos bello, vel ruri deprehensos, in seruos abigi; mane cælorum iacere cadauera quæ humo condebamus; interdum flammam oppidorum, quæ Maurorum procul incendio conflabant. Profus dilectissimi fratres, tam diris Amboinenses Christiani dilacerantur modis, nec aliam ob causam nisi quod Christum profitentur, vt sæpe mihi in his neophytis primigeniæ labores Ecclesiæ videre videar: sunt enim ad eò in fide stabiles, & firmi, vt nullis ab ea machinis moueantur; sed durent in mediis cladibus alacres, vt si nec de vita nec de fortunis ageretur. Deo laus tantæ constantiæ auctori.] hæcenus literæ ex Amboino datæ, illic tamen in præceptis dum pergunt omnia nulloque obstante bacchatur impune crudelitas, en visa oriri noua lux, omnemque Amboinum inopinata fiducia recreare sed ea tam breui, vt eò solum indulta videretur quo fieret dolor acerbior cum inde coram inferri perniciem cernerent, vnde salus & incolumitas sperabatur: adest ex Moluco Lusitana classis præter omnem cuiusquam expectationem; hanc supremus arcis, & armorum Præfectus miserat ad calamitatem ab Amboino depellendam; triduum in portu hæserat parandis armis, & milite: quæ illic substiterant onerariæ tres: submi

subministrarant illi præfectos, optiones, tormenta bellica. Hoc tam valido apparatu, nauis cataphracta, cum triremi, & sedecim aliis minoris modi nauigijs aduersus Mauros soluit, Lusitanos ferens classarios centum quadraginta & indigenarum ingentem numerum. Visus initio Præfectus nihil velle prius attentari quam nauis è Banda probrose amissa dedecus expiasset; hoc consilio in Iauam ducit, vbi nauis illa stabat in anchoris, iamque illam clare oculis signabant, ardebantque omnes in eam inuehi, cum Præfectus incertum an metu, an rationibus priuatis, aut quo alio turbine, a cœpto resiliens, in contraria omnia momento auertitur; cani iubet receptui, priusquam ad arma; causatur vidisse Moluci Regis insignia è nauis extantia; non esse barbarum temere proritandum, ne in Lusitanos qui Ternate agebant; arcemque ipsam vindictam exereret, proras denique ad reditum vertit, quasi ad hoc vnum, tanto strepitu Iauam versus mouisset vt Christianorum ignauiam Mauris splendidius ostentaret. Hic ergo milites animo cadere; hic Amboinenses miseri omnia desperare; Mauri contra effrænes resumptis armis, instaurataque audacia omnia sternere; Itum, Iauam Amboinum vastare, nullius oppidi obiectu, & defensione inhiberi. Rocaniue, spectante exercitu quem portu suo exceperat incendio periit; Atiue occupata, & euersa. Vlate prodita deditiois fide solo æquata est Pactis item conditionibus aliud oppidum cum se Mauris dedisset, sexcentos vltra annum quintum & decimum adultos trucidarunt, quod aperuissent portas cunctantius dum reflexam crucem inuolucro funebri atram, mœsti & lugentes spelunca recondiderunt, ne pateret victorum profanationi. Quam innocentium incolarum candidam raramque pietatem impij vti sunt tam longis dirisque mortibus, nihil vt esset in iis mitius quam mori, membratim miseros distrahebant, ludebant in eorum pœnis, cremabant lento igni, cogebantque diu mori. Verum enimvero nec Vlate, nec alibi vsquam, vbi carnificina barbarorum in Christianos grassata est, tantum supplitiis in eorum corpora valuit, vt in eorum pertingeret animos, & tormentorum impatientia in Mahometem à Christo deflecteret: ac venere in Maurorum manus, Christianorum omnia oppida præter pauca inædificata præcellis montibus, quorum se ruinis tuebantur, fueruntque viuaces sub cineribus scintilla, ex quibus sacrilegio hostium extincta religio, nouis post annos aliquot per omnes insulas ignibus flammisque accensa est, sed de illis quæ stragem passa sunt, nullum scimus, quod professione Mahometis, calamitatem redimeret, quoscumque non seruauit fuga, pro Christo mors, aut seruitus abstulit. In his æternam promeretur famam quidam Vlatensis populi ductor, siue vt vocant Rector, cui cum merces, fidei eiurandæ sæpius obiiceretur vita incolumis; fides aiebat, vita quauis absque vlla comparatione mihi carior est. Christianus sum, viamque Christianus, si me viuum voletis, sin occideritis, moriar Christianus: nec ab eo vnquam aliud exprimi valuit; iterauitque illud non modo quoties vitæ seruandæ

dæ lenocinio sollicitaretur ad apostasiam: sed in medio quoque cruciatuum æstu quibus exquisitissimis torquebatur, dum abscinderentur tibiæ suræ, inde muscoli brachiorum, reliquo deinceps corpore rescarentur frustra carniæ, assarenturque coram, & à barbaris vorarentur, quin & infererentur illius ori, & dentibus, quod solent in illos in quos immani odio efferantur. Vlatenses quidem, ipsique aded Foreforæ insularij eorum hostes, prænuntiatum ab eo confitentur, fore vt Deus vlcisceretur illam mortem, & vaticinium argumento confirmasse quo iubens de suis carniæ asseruari, edixit eas posttidie repertum iri eliquatas, & in oleum verfas: quod curiosa barbarorum experientia & probauit reipsa, & prædictionis euentum postea spectauit.

Nam capta postmodum vastataque ab Lusitanis Forefora, duorum illorum qui atrocius Martyrem præ cæteris excruciauerant, alter viui-comburio crudelitatem suam luit; alter ori machinæ bellicæ alligatus, eius explosione in partes dissiliit. Quos autem fuga Maurorum ferro, & lanienis eripuit hac saltem laude Christiani roboris prosequamur, quam iis tribuit P. Organtinus, & ex multis breuius exscripsit quas à P. Francisco Rodriguez, spectatore illarum & teste Malacæ audierat, cum ex Molucis rediisset in Indiam. [Rediens, inquit, nauim ad scopulos fregit, sed littori proximos; in quod propterea cum eo vectores de facili euaserunt, subducto etiam comneatu cibario & instrumento bellico tormentorum. Sed cum esset locus ad quem alliserant Maurorum oppido vicinus, in quos bellum gerebant Lusitani; ad prædam, & cædem Mauri continuo aduolant fiebantque prorsus voti compotes scelerati, nisi defensionis opportunitatem nostris præbuisset munitus ab natura locus & crebris tormenti bellici iactibus inuadentem hostem dissipassent; sub hæc præteruehens è Moluco nauis, excepit naufragos tulitque Malacam incolumes. Mira narrat P. Franciscus de stragibus Christianorum Amboinensium quas Mauri edidere, de numero illorum quos religionis Christianæ odio peremerunt, ac de magnifica illorum generositate; errasse cum liberis per sylvarum inuia feminas, desertis domibus & bonis, ne Christi fidem desererent paulo ante susceptam; alias cum paruis filiis necatas; pueros natatu, maris sinus ingentes traiecisse, ne ad eandem adigerentur perfidiam: cum rupta nauis staret in littore decennes pueros natatu per noctem appulisse, magnis vocibus dum accederent propius orantes, ne exploderemus in ipsos machinas bellicas, se enim esse Christianos; creptos autem & à vectoribus in eandem fortunam adiunctos cum multis partim præ gaudio lacrimis ex admiratione constantiæ in tam tenera ætate, partim præ acerbissimo dolore, quod mederi malis tam crudelibus non possent.] Ita Organtinus, & hos in Amboino duos, & laboriosos exitus Christianitas nacta est anno 1565. annis ab Apostoli sui Xauerij obitu nouemdecim, quibus in ea excolenda alij semper de Societate illi successerant; pertingebatque tunc ad septuaginta millia capitum, multitudinis eius partem

culam, & velut specimen quæ absque numero de tot illis Oceani insulis, cupiebat aquis vitalibus ablui, si earum doctores, & ministros ad manum habuisset.

Verum tristem hanc ruinam, non primus statim præcipitavit hostium impetus; lentos, & tenues progressus multo suo sanguine emerunt, sparso per triennium solidum in diversa bello, cum se Christiani locis defenderent suo apte ingenio & incolarum industria inaccessis, quæ dum impugnantur, consulebat Prorex cum status publici Senatu de arce Amboino imponenda. Enimvero Mauros eò elatos potentia ut insolescerent, & Lusitanorum arma longinqua spernerent; propiora vero ex Ternatensi præsidio, ut aliquid possent, sed tanti non esse ut eos cohiberent. Non posse quavis anni tempestate præsentis statim exercitu novis periculis succurri, ob stare Etesios, & stas habere periodos flatuum aduersorum, quibus Lusitanos intercluderent Amboino; Borneo autem, & Iauæ utriusque, ac Burris duobus, Mahometi addictis insulis & cum Rege Moluci fœderatis, illuc facilem patere transitum; hinc longos sudores operantium multis annis in profeminando Euangelio sudatos, & parta pertinacibus ærumnis animarum lucra, semper in lubrico pendere. Fisco regio nouam arcem cum præsidio militum, nouis esto sumptibus futuram, sed grandi fœnore pensandis. Nam si Lusitani caryophillum ex Mulcis; aromaticam nucem ex Banda peterent, interiacere utrisque insulis Amboinum; si oneraria Malaca ad commercia irent, aut redirent, oportere illas in Amboino plus toto trimestri operiri mare opportunum in anchoris; ac si nullo arcis tegantur præsidio, vel classe admodum sumptuosa nauigationem illam inire, vel ambigua pugna sæpius decertare; iam si quando arx Ternatensis inuasionem præcipiti, aut fame, in Saracenorum eaderet potestatem, quid tum fieret Lusitanis? huic vero gemina si construeretur in Amboino, alteram alteri mutuo opitulaturam, vnâque, ut pessimè amissa, aliam fore superstitem. Hæc à P. Ludouico Goz Indiarum Proregi exposita, pondus suum tulere, Goz Malacæ Antonium Quadrium Prouincialem nactus, in proinctu ad Molucum, Iaponiam & Sinas, persuasit retro Cocinum regredi, quo ubi attigit sub initium sesquimillesimi sexagesimi sexti, mox archiepiscopum, & Proregem, certiores fecit cladum Amboinensium; Dein Goam delatus, egit cum utroque ut de arce illic statuenda Senatus vocaretur, fuitque omnium vna vox esse statuendam; credita ergo mox rei conficiendæ Prouincia, & potestas Gonzalo Pereira de quo nos antea. Hunc ut sibi instare viderunt barbari, consternati sunt vehementer, sed longe grauius cum eius experti potentiam ac robur: Veranula, & populo frequens, & longè lateque porrecta insula ab eo subacta, Temure incolis exhausta; aliarum complures ferro, & incendio deletæ. Iaij perduellium columen partim debellati, adacti partim ad rogandas conditiones pacis. Restabat expugnanda Itus Ambomi præcipua insula: imperitabat illic magno fastu Gimillius fidelis eate-

30.
Amboinenses infideles debellati, arx ijs imposta.

nus, multumque addictus Lusitanis, sed accepto à quodam publice colapho, quem nisi ex improbitate non nominant tabulæ, tunc quidem illum interfici vetuit, suoque in illum ferro inuadentes inhibuit, negans mortem se velle sed vindictam, neque illum vnium, sed gentem illius vniuersam excindere, cui sane haud leuius quam deliberasset furori suo incubuit; accitis in belli Societatem Iaijs ad delendos funditus Lusitanos: præmisit tamen ad illum Pereira summus classis Præfectus Lopen Noroniam Gauli vnus Ducem, qui promissi barbarum admoneret quo placere sibi edixerat, in portus faucibus arceam constituit. At is admonenti, haud aliter quam oris truculentia, & contactu acinacis respondit, nec paruo legatus lucro duxit, quod ab eo vitam vel fuga retulisset. Indicto ergo bello, passim per insulam ad arma canitur; confidentiam Itensibus augebat classis ex Iuncis duobus aliisque nauigijs valida, quam ex alto sperabant quamprimum portui subituram, & lubibat planè sed grandi suo malo, cataphracti Dux Gauli Mardonella, obuiam primo impetu profligauit, cælisque magno numero barbaris, palantes alios varia disiecit in littora: Iuncos & naues reliquas incendit. His afflicti tam duris aduersisque primordiis, ingruenteque insuper capitibus suis cum exercitus robore, supremo Præfecto, fracti animo ad quadringentos conueniunt, & conualatis quæcumque haberent maxime pretiosa, commeatuque tum escario tum bellico, in rupem confugiunt vnus ipsis accessu peruiam, assuetis per abruptas cautes, in edita montium agilitate mira adrepere. Verum ne illinc repentinis decursionibus illos occuparent qui arceam construebant, decreuit Pereira vel eorum cæde vel deditioe, ab eo se metu absoluere. Sed frustra erat iis inuestigandis; vt enim maximè transuersas collibus aliquot fossas & aggeres cæsis custodibus irrumperet; Lusitanis deinde per saxorum ruinas fiebat ascensus insuperabilis, sic vt triduum semper in altum conati ægre ad summa euaderent. De excelssitate illarum rupium, mira quidem narrabant milites Lusitani, auem illic nullam, seu quod aura ferendo volatui crassior, seu esca pabulo deesset, ac visum sibi in orbem alium transire ab hoc nostro, immensis spatiis subuectum. Certum tamen intolebili frigore, fame, siti, collapsu virium compulsos regredi crescente præsertim hostium numero quos procul notabant aceruis lapidum obvallatos qui pro telis essent ad pugnandum; pro munimento ad defensionem. In plana reduces, plærosque morbus corripuit in quo PP. Præncudium, Mascarenium, & F. Vincentium Diazium habuerunt valetudinis curatores, ea demum recepta, repetitis pariter & armis & animis, meliusque ab necessarijs parati omnes denuo in montem alacres contendunt, & ijs quidem Pereira truentum conflictum timuerat, sed peculiari Dei auxilio sustentata Lusitanorum militum fortitudo (cuius sanè dedere nobile argumentum) incruenta sibi potiti victoria nullius suorum iactura, trecentos hostium cæciderunt; alios in fugam per depressa vallium, & præcipitia egerunt; qui misso de pace postmodum legato,

to, Præfæcti se penitus misericordiæ arbitrioque permiserunt; petieruntque vnâ sacro baptifmate Christianis adiungi, quorum potentiorum suo Deum nimium probaffent. Post hæc Pereira in pagum vertit, totius Iti munitiffimum. Primum agmen ducebat Odoardus Menefius, tegentē latus P. Vincentio Diazio, crucemque præferente; vltimam aciem tenebat cum Præfæcto Pereira, Mafcarenius. Prodit his obuiam in apertum hostis; fed numero, vel animo debilis, intra muros suos primo congressu retruditur; quoad demum cernens vicina pago palmeta succidi, deuoto in mortem aut vitam capite (vt folent in pugnam exituri) in campum redeunt furiofi; pharetrisque iam vacuis, ferro cominus rem agunt. Diazius lancea brachium perfollus, eratque omnino pectore transfigendus nisi cum lorica miles obarmasset, stetit ab Lusitanis victoria, paucorum è suis sanguine barbaros fuderunt, primarius Cascigum peremptus: disrupto ventre Dux, pendula referens intestina, incertum vbi animam egerit: captum præfidium, dirutumque in eo fanum magnifici operis; & his insulæ vniuersæ tum abunde consultum quieti, tum securitati arcis, strenuitate tam celeri, vt Maio inchoata, Iulio proximo, munitionibus & machinis bellicis propugnari posset, nempe omnes vndique Christo, imo & infidelium complures suas ad hanc certatim operas contulere, velut ad publicum tranquillitatis optatæ negotium: tunc vero denique religione sacrosancta aduersus Maurorum tyrannidem sub arcis præsidio tuta; vndequaue frequentes accurrunt legati, qui suis populis aliquos ex Patribus poscerent ad initiandos illos sacro baptifmate; sed cum præter quinque illic non essent, satisfieri piis votis, nisi paucorum non potuit.

Habemus præ manibus excursionum sacrarum euentus cognitu pericundos, ab vno illo seu fuerit Goetz, seu potius Mafcarenius perscriptos. Profectus est inquit, vnus ex Patribus vt insulæ cuiusdam incolas, quod enixe rogarant diuino fonte ablueret, comitati sunt euntem contra vim piratarum aliquot Lusitani: post insularios Christiana imbutos disciplina & rite lustratos, cum statuenda crux celeberrimo oppidi loco esset, prærogatiuus hic honor solis primoribus est delatus, vt suis humeris illuc eam portarent, reliquis supplici ordine religiose sequentibus. Solo depactam altèque conspicuam venerabantur omnes de genibus, Lusitani qui primas tenebant in illo officio pietatis, Eucharisticum sacrum, Benedictus Deus, Symphonia musica cecinerunt, vocibus antea seuinctis sanctorum litanias. Hoc spectaculo aurium attoniti barbari, qui vocum diuersarum concentus aptos nunquam audierant, beatorum choris putabant interesse. Magistratus epulum vniuerso populo dedit, quod nisi solennibus hilaritatis insolitæ apud eos non solet. Noctu demum ad Crucem tot flammis Lucernarum, & fascium discussæ sunt tenebræ, nemo vt fuerit tam egens quin suam de suo lucere voluerit. Iam rudes licet & simplices, quærebant tamen de modo quo Deus cælum & prima corpora condidisset, de futuro post mundum iudicio, de statu

animorum

31.
Fides restit.
in Amboino,
& varij in eo
euentus.

animorum extra corpus, aliisque vitæ alterius futuris; responsiones vero ad quæ sita percipiebant ad eod commode, vt non possent sibi satis irasci, quod nocte tam crassa ignorantia inuoluti, & amorem vehementer exciuit casus insolitus, illorum bono prouidentia diuinæ munere destinatus. Visitabatur haud procul ab erecta cruce, sepulchrum Cascigis famosi, ab iis olim pro sancto habiti. Ad subruendum infame monumentum, ne vltra hominum fœdaret oculos, concurrunt pueri turmatim; in iis filius Rectoris oppidani, parentum coreulum, sed nondum sacris lotus, vt pro sua parte diruendo sepulchro admouit manum, dolore faucium illico stringitur; domum refertur; desperatur; quod inflato deformiter gutture non posset vel aquæ stillam transglutire. Monitus Pater ex templo adest; domum cernit luctu & lacrimis afflictam, intellectaque de facili mali causa, Christi fonte puerum expiat. Recitato exinde super eum Euangelio Sancti Marci, repente diffatur omnis tumor, dolor euanescit, sanus puer, & valens exilit.

Diffusa per oppidum prodigij fama, nondum baptizatos ita exterruit vt auderet nemo præter Christianos, Mahometani, vel ethnici euerendum sepulchrum attingere: itaque ab catecumenis accersiebantur pueri Christiani vt comburenda, & comminuenda Pagodum simulachra, suis ab ædibus ipsimet exturbarent, ne idem in se demoni liceret, quod in puerum illum licuerat, ausum ante baptismum Cascigis sepulchrum inuadere, Perfunctus officio Pater lustrandi baptismum illius populi, Foresorâ legatos accepit à quibus illuc inuitabatur publicis precibus: salutatis ergo neophytis optimis, cum nec amicis eorum querelis, nec lachrimis posset ad diuturniorem inflecti moram; saltem monitum voluerunt, inuigilaret sibi diligenter, nec cibum caperet, nisi nota & fida porrectum manu, esse illic Mauros miscendi venani magistros insignes, præsertim Casciges, & veneficio, quibus essent infensi de medio tollere: accitis inde coram Magistrata Foresorâ legatis, eorum fidei aiunt se Patrem committere, contestati ni restituerent qualem acciebant viuum & valentem, vlturos se crimen nihilo leuius quam si suos cuiusque parentes peremissent. Nauim subibat; abiturus cum alij, pagi nomine quem regebant, baptismi & Euangelij ministrum efflagitant, excusauit Pater necessitatem eundi cum prioribus, quibus iam se obstrictum cernebant; & festinationem quam iidem vrgebant; ex alia parte asperitatem itineris ad illos per montosa, & longinquitatem, quæ tantum poscebant temporis, vt differri tandiu promissam prioribus non deberent: cæterum se illos quanto cyus cum primum redisset aditurum, quæ repulsa vtcumque condita pagi Rectorem tam acerbè afflixit, vt in vberem fletum solueretur, & more omni, gestu, & habitu supplicis oraret Lusitanos quod lingua orare non poterat iis ignota, vt suffragarentur sibi apud Patrem; & eum ad aliquam suorum miserationem inflecterent, euicit denique, Patremque impetrauit, sublatu

blatus est comitum brachiis pro gestatorio, tum honoris causa, tum via per montium abrupta, & milliaria duodecim commodius exigenda: præibat choros ducens & carmen lingua patria iterans cuius hæc erat significatio. Deus dominus noster in cælo est. Pater in terra eius minister est, vni seruiemus, alteri morem geremus, Deum vero quoties nominarent, aperto capite suspiciebant cælum: aduentanti occursum effuso processit obuiam populus, quem Christianis excultum documentis lustratione Sacri Fontis Ecclesiæ adiunxit, cruceque vt alibi erecta Foreforam vt instituerat contendit: seiderant inter se has duas insulas religionis mutua odia, vt ante scripsimus; Christiani erant Vlatenses; Foreforenses Mauri; euerfi vtrique, Vlatenses à Mauris Foreforensibus; hi ab Lusitanis Christianæ Vlati vltoribus, vtrique postmodum restituti. Nunc multo suo cum dolore expostulabant apud Patrem quam perfide à Foreforæ incolis proditi, quam dirè & crudèlitér habiti, quam atrocibus excarnificati quantisque suorum cædibus, demum quam misera in egestate iergerent qui manus illorum euasissent: volebant igitur baptismo præire satisfactionem, cogique à Patre ad faciendam quæ intulerant damna, prædasque reddendas. Accitus ad dicendam causam cum suo Rectore Foreforensis magistratus, demissè obiecta passus est, nihil excusauit nisi suos tunc fuisse Mauros, & crucis insectationem necemque illorum, & pœnas qui eam adorarent, summæ sibi gloriæ tribuisse, nunc tandem cum resipuissent, optare fraterno cum Vlatensibus amore Sociari, hostilitatis præteritæ obliterata omni memoria, si propterea egere, ac propriis etiam bonis exui oporteret, nedum restituere alienum, id vero libenter facturos, malleque se Christianos esse quàm diuites: nec fuit hæc inanis vrbalitas, dictis egregiè factum ipsum respondit, confestim ex publico, & priuatis contribuitur summa quæ exigebatur, sed cum nisi lentè confici non posset Vlaten Pater se transtulit, cuius septuaginta incolæ præ cæteris nobiles ad deducendum illum aduenerant, & lætitiæ gestientis editione perpetua toto itinere recrearunt: suas illi clades stragemque præteritam festo cantu alacres recolebant, quibus olim à Mauris Christi causa deleti fuerant; sed reuifente se demum Patre alteram sibi donari vitam & pristinam felicitatem reddi: confecta iam parte itineris media, inter musicorum & saltantium choros, in nemus lubeunt, quo se omnes Vlati femine ex composito abdiderant, tunc Patri propius accedenti occurrunt improuisa choreis, & instrumentorum, vocumque concentibus, simplicitate vernacula eius sibi aduentum gratulantur, sed materiam cantibus præbebant Dei laudes, fuitque omnino subsistendum, ne sperni eorum beneuolentia videretur; duntaxat vetuit secum ad oppidum vt constituerant cum choris & musicis pergere, faustaque impertitas adprecaione, & laude pietatis, inde ab se dimisit. Intelligendum porro eiusmodi obsequiosa officia de more gentis exhibita, argumenta fuisse singularis affectus in

Religionem Christianam, quo venerabantur illius magistrum: quare inter matronas eæ choros ducebant, quæ peculiari fidei merito obseruantiam communem sibi pepererant, atque in his vlatensium choreis primas tenuit anus sancta popularis Ducoris vidua, quem recensuimus à Mauris erudeli & lento martyrio necatum. Ingressus in oppidum Pater nihil antiquius habuit, quam vt dissipatam à saracenis Crucem, suo loco, ac situ reponeret, Lusitanis interea sacras litanias iucunda symphonia circumcanentibus: subsecutæ sunt mulieres omnes, & pia crucem chorea cinxere, statis passuum mensuris, omnes simul in cælum oculos, & brachia tollentes; inde corporis proclinatione illam adorantes. Post quæ ducentos Pater Christi abluit fonte: ferme adhuc pueros; adultos audiuit confitentes; matrimoniis iungendis interfuit, ac se demum pago alteri commodauit, cuius fere ducentis ab incolis dies iam decem fuerat expectatus: constabat pagus ex multitudine numerosa tum Mahometana, tum ethnica, & mense integro opus fuit vt de necessariis ad baptismum, & Christiana munera docerentur. Cogebat illos in campum quotidie, & ex tumulto modicè extante erudiebat in diuinis: dum ergo aliquando iis explicat Deum non esse alium præter vnum quem Christiani supremis honoribus colerent, procurrere illico ethnici ad comminuenda Pagodum suorum simulacra: Mauri ad succendenda Mahomentis sui duo fana; soli ægrius manus dabant Alcoranni doctores Casciges donec post aliquot cum Patre concertationes, negarunt se posse tam illustri officere veritati, vsque aded certi eius publice asserendæ, vt palam in oculis populi suilla vescerentur quod testatum omnibus facerent se Mahometum eiurare, qui vsu vetito illarum carniarum assimilasset Iudæis Saracenos: Patrem vero summis in cælum tollebant encomiis, quod rerum tantarum doctrina planè gratuita, pauperes adæque vti & diuites, dignaretur, quarum ipsi si partem vel centesimam noscent dum erant Publici præceptores, regionis totius locupletissimum quemque superaturi erant congestis opibus, communicanda videlicet ingentibus pretiis tot mirabilium certa notitia, augendoque pro excellentia diuini doctrinæ pretio. Ornauere item hilaritatem festæ pietatis, ignes nocturni symphoniæ musicæ, & saltationum chori, quibus cathecumenus adolescens; dum incumbit totus, præceps ruit è montis crepidine in subiecta saxa, eoque collisu, sensu omni motuque defectus, conclamatus est pro mortuo: accurrit ad clamores Pater, iacentem vitali aqua rite spargit, simul ita sensibus, & sibi restituit vt sanus & valens consurgeret, quod diurni prodigij ostentum magnum apud barbaros illos baptismo & fidei concilianit gloriæ splendorem & auctoritatem. Lucra pagorum huiusmodi breuissimo tempore Christi rationibus adiecta, Mascardijs ad tredecim numerat pari alacritate barbarorum & facilitate parta, excipiendis nostris inter symphonicos, & saltantium choros; crucibus publicè cum pompa erigendis, conterendis idolis, disturbandis Cascigum sepulcris, & fanis Mahomeri subiecto igni

igni absumendis, operæ pretia à Mascarenio, eiusque Sociis strenuè collocatæ: adutorum ad octo millia natali meliore baptismi edita; puero-
rum vero multo plures; pergitque scribere idem Pater, se tot insula-
rum, & oppidorum legationibus inuitatos ad Sacrum baptismi iis con-
ferendum, vt iis idonea Catechesi parandis nullum essent vacuum diem
reperiri, si vel pueris solis Christianè lauandis percurrere insulas vo-
luissent, & hoc absynthio vehementer obtusas quibus fruebantur pias
animorum dulcedines, quod adesse vbique omnibus non possent, infan-
tes interea, baptismi expertes; adulti cum solo baptismi desiderio inte-
rissent. Enimvero iniquum videbatur neophytos suæ in diuinis igno-
rationi permittere, vna baptismi gratia contentos, quamobrem iis per
oriorum Christi doctrina informandis moras trahere oportebat, & cor-
roborendis aduersus futuras infidelium insectationes, à quibus alioqui
nimium debiles & primis nixi radicibus pronum erat facile deiici, suc-
cessu tam fausto adhibebatur iis hæc institutio, vt Sanctissimæ fidei
studio penitus arderent; sub noctem quotidie vbique domorum, fami-
lia omnis in vnum coheretur, Christiana mysteria & leges cantu repe-
terent, & interposita contestatione profiterentur Deo in procinctu se-
stare ad sanguinem pro ipsius fide ac legibus fundendum. Pueri, auitæ
superstitionis, ne quod vestigium restaret, caternatim per montes, &
sylvas, impij cultus ædificas indagabant, & nidos idolorum, quorum
ingens illic vbique copia, diruebantque omnia funditus: in quo factum
vt semel vi occulta repellerentur à dæmone, nec possent propius idolo
eiusque delubro manus admoliri; at ij ferali nouitate nihil quicquam
exterriti, genua flectunt; precationem dominicam recitant; I E S V no-
men sanctissimum in auxilium vocant, inde in idolum audenter inua-
dunt, & comminutum, delubri sui ruinis sepeliunt: sic in Amboino
Christiana lex reuixit, pristinumque in florem rediit, Lusitanorum re-
centi arce, Maurorum violentiam à Christianis prohibente.

Verum hic ager dum læta segete pinguescit, diripitur alius & in so-
litudinem cruentam vertitur. Reparati faustitas Amboino, secundam
Mauro calamitatē infert Rex Moluci Aërius: Christianorum vires con-
spicatus coaluisse in vnum exercitum, occuparique in arce fabricanda,
occasione vsus & tempore militem conquiri, quam multos potest Bo-
canori, Subugæ & Doi conscribit, eosque triginta bellicis impositos
nauib; in Maurum immittit. Erant illic de Societate tres, & rebus
placidis benignam legebant Ecclesiæ ac cælo messem animorum, ac vt
alia non fuisset præterquam infantium, qui beato vix lauacro tincti casta
innocentiæ in stola sistebant se Deo, transibantque ex terra crudeli &
barbara in beatas sedes, cum breui numerum constarent, vt vel iis tan-
tùm nostrorum plus satis rependi sudores censerentur. Quanquam haud
fuit hæc summa operæ in illos populos collatæ, eò gens agrestis & bar-
bara teneritatis & sancti timoris ab iis erat perducta, vt multo cum fletu
confessionibus sacris animum purgarent; & fauebat Deus seruorum suo-

22.
Mauri Chri-
stianitas à
Rege Aërio
euerfa.

rum conatibus crebro miraculorum suffragio; alios enim mox ut à peccatis absoluerant etiam corporis subita donabat sanitate; quosdam propinatio quod illic vsu scelerato inualuit, veneno morituros, aquæ lustralis forbitiuncula præstabat incolumes, multorum agros, cæli diu collecti eius bonitatem votis liberali pluuia infundebat; post quam vnâ collecti eius bonitatem votis communibus implorassent, quibus & his similibus beneficentiæ suæ prodigiis stabiliebat firmiter neophytorum fidem, & magno affluxu barbaros ad sacrum baptisma prolecebat. Sed illa omnis ora maritima tam laborioso, & diuturno nostrorum studio, tam læta & ferax paucis diebus vastitas facta est; Regis Moluci classis, pagos fere omnes & oppida subuertit. Primos eius impetus sensit Pune, in qua trecenti demptis aliquibus in mancipia subactis, interfecti sunt Christiani. Horum è numero, vir sanctimonia & sanguine nobilis, securitati periculum prætulit, quod fuga vitare poterat, ut suos malorum socius efficacius confirmaret. Tanti viri exemplo fortiores effecti, generosa morte pro Christo, motus omnes, omnemque Mahometis rabiem calcarunt. Crucem brachiis stringens more illic à Xauerio accepto, in ipso complexu constantis fidei condecoratus est præmio, frustatim à barbaris concisus: fatetur ex Patribus qui tunc in Mauro versabantur, Nicolaus Nugez annorum spatio trium & viginti quibus illas excoluerat insulas, & sanguinolenta spectarat bella, nihil se tam immane ac ferinum vidisse, ut esset cum ea comparandum strage quam tunc illa Christianitas passa est, vsque eò ut hostes grauidarum matrum exsectis ventribus fœtus euellerent immaturos, & in morientium oculis iugularent, vna illa gauisi, crudelis spectaculi voluptate. Qui manus illorum declinassent potissimum feminae passo lugentes capillitio cum paruis inter brachia liberis, ad eum fuga se recipiebant; narrabant sæuas maritorum mortes, & fratrum iacturas, patriæque suprema funera etsi aliud ex eo nihil sperare solarij poterant præter lacrimas miserentis & pia monita ad patientiam in priuatis, & publicis cladibus, æterni fiducia præmij sustentandam. Quinque ad summum pagi Maurorum se obsequio dedere, refixis prius, & absconditis crucibus, & sacris imaginibus ne qua ab impiis profanarentur iniuria; quicumque in fide perstitere ferro flammisque deleri sunt. Triumphabat inter hæc in sinu Rex Moluci, sed familiari sibi fraudulencia, coram Lusitanis, vultus ad mœrorem, & verba fingebat: iurabat se horum omnium insontem; duces hostilis exercitus propinquos equidem sibi esse, sed regni sui perduelles, & felicitati suæ inuidere, mouisseque arma eo consilio ut suspectum se facerent Lusitanis eosque ab se auerterent. Quæ ille mendacia prætexens probabiliori mendacio, expediebat ijs exterminandis armata nauigia, sed contrariis clam instructa mandatis, aut classi hostium vltro accedebant aut reducta in portum negabant se hostem reperisse, fuga lapsum ignotas latebras tenere. Quæ Lusitanus sua quoque pro parte simulabat se vera credere, ne cogereetur scelestum hominem aperto bello cohercere, cuius.

cuius tunc gerendi facultas viresque deerant. Vbi autem falso suorum relatu (per quos ipse res Lusitanas in Amboino explorabat) accepit Gonzalum Pereiram , post Itum insulam a ce valida firmatam classis sibi creditæ munere perfunctum , cum illa in Indiam regredi , tunc vero detracta tot annorum larua , edixit propalam Lusitanis se Maurum esse obseruatorem Mahometi , proin crucis hostem capitalissimum ; ab se nisi hostile nihil in posterum expectarent. Quare aut abirent placide in rem bonam , aut arma expedirent ; vtrisque de cætero se quisque vt posset tueretur. Sic hostem professus sicarios misit qui eorum nonnullos per insulam palantes necarent , quodque annonâ ex Mauro inuchenda Ternatense præsidium contra illum duraret , ipse maris dominium obtinens , interceptis inoffensa captura nauigiis omnia prædabatur.

Arcis igitur Præfectus inter arma , & famem deprehensus , postremis malis , postrema molitur remedia : suis in consilium vocatis deliberandum ponit de interficiendo Moluci Rege : iam eo in præceps collabi omnia , vt sisti ruina subsidio alio non posset. Refricata memoria præteritorum , & præsentium scelerum , mille mortibus reum esse. Solicitatos ab eo Iauæ Manros ; captam eorum armis Bandæ nauem ; necatos Tidoris & Geiloli Reges hoc solum nomine quod essent Lusitanis fœdere coniuncti , semel in Amboino ; bis in Mauro euerfam Christianitatē ; denuntiatas palam Lusitanis inimicitias capitales , interceptos arcis direprosq̄ue comneatus , trucidatos etiam aliquot Lusitanos , & hæc ab Rege regni Lusitanici cliente , & ab Lusitanis in regnum prouecto. Per hæc tamen tam licet immania tyranni barbari crimina , in diuersa iuere sententiæ ; multis in futurum prospicientibus , Consultum videbatur ab Regis capite manus abstinere , quantumlibet reo , & quasuis pœnas commerito. Successuram perempto filium eius Babum , nihilo forsitan meliorem , sed certè ad vindictam potentem : si tantos insularum motus aduersum Lusitanos eius nuper exciuerat carcer , vt necessario anteponendum fuerit vtile decoro , & damno pudor ; quid tunc eius morte expectandum maneret ? Reuocaretur potius Pereira , acerferentur ab Indiis nouæ vires ; suspenderetur interim aliqua induciarum mora bellum ; fortiter arx retineretur. Sic isti , nec in oppositum vicit illorum sententia qui Præfecti mentem secuti fuerant. At hic etsi maxime arcanus de re maximè lubrica Senatus (quo prodente ignotum) non satis latuit , imo ipsum ad regem perlatus , custodem sui effecit acriorem , suasitque ab arce quam posset longissime degere , ac ne his quidem sat vitæ securum , in conditiones pacis descendere , quas illi gaule vectario reuersurus in Indiam Præfectus Simon Mendoza sub discessum tulit ; in has forma iuravit tam solenni ; vt non dubitaret se persuasisse verè ab se , & ex animi sententia iuratum , hac confidentia in arcem postridie (qui fuit Februarij vigesimus octauus anni 1570.) audenter ingreditur , regente latus Gorango genero , viro forti , bellisque nominato , sed in casum præsentem debili ; exibat arce Rex Moluci , cum Præfecti Sobrinus Mar-

33.
Rex Moluci
Aërius occi-
ditur à Lu-
sitano , à Re-
gis filio arx
Lusit. capi-
tur.

rinus Alfonso, militari manu hominem circumdat iteratimque pugionibus conficit. Hinc tota momento in armis insula, acclamatur Babus Moluci Rex parentis loco, caduntur quotquot apparent Lusitani, eorumque mancipia; praesidium infelix iamque famelicum obsidione arctissima stringitur. Summum interea Praefectum Gonsalum Pereiram, Amboinense bellum detinebat quo tametsi rebelles condignis, multaret stragibus, sed victoria minimè incruenta, nec sine aliqua subinde suorum iactura: & huic ad infortunij cumulum accessit, quod classis Aërij quæ mare illud occupabat, incursione inopina Lusitanorum triremes vniuersas clade irreparabili incendit. Cauens ergo Pereira suorum in Moluco sat pridem infirmis & accisis rebus, lapsumque minantibus in arce Itenfi centum praesidiarios reliquit, octoginta residuos in varij generis diuisos nauigia Ternatem secum duxit, classe illa exigua obsessis opitulaturus, leuca vix altera distabat à portu Insulae, cum in naues hostium incidit septem & triginta delectorum militum instructissimas robore; praelium tamen haudquaquam detrectauit, sed grandi animo & pertinacissimo conflictu ab hora diei vndecima ad noctem produxit, multo quidem vtrinque sanguine, sed ea denique barbarorum strage, vt fusi fugatique maris dominio Pereira cederent, qui sub ortum diei sequentis necessarios commeatus in arcem intulit. Inde ne illos frustra illic reses cum suis absumeret, ad Maurum, & finitimas peruasit insulas, eatenus etiam ignotas, vbi varios casus successu vario exiuit, lectu opinor non ingrato, sed extra meam rem. Pergebat interim barbarus arcem raptis vndique copiis obstinatiùs arctare, donec extrema annonae penuria iterato in famem, in morbos, in militum funera recidit, fame quidem potius, & ærumnis, quam ægritudine alia P. Rodriguez interiit; P. Hieronymus Dolmedius paulo post sagittis confossus ethnicorum, etsi de loco, & modo non liqueat. Cassa item fuit prouidentia Pereira ad subsidium obsessorum, qui suo quidem graui periculo, aliquid induxit commeatus, sed nimium impar necessitati vrgentis inopiae. Quare in Bacianum flectens, tantum quoque abfuit, vt Ternatensibus (quod sperabat) aliquid inueniret, vt etiam suos fame coram spectaret tabescere non plures, iam septuaginta, infelix residuum florentis exercitus quem ex India vexerat. Rerum itaque tum Molucensium, tum suarum funesto spectaculo prostratus, & afflictus, ex alto mœrore in mentis aberrationes, & deliria lapsus est, & febris ardentissima æstuans, triduo quàm in Amboinum reuectus fuerat viuere desit, Martio ineunte anno 1571. mendicato cadaver sepultum linteis, in templo Societatis Iesu est conditum, & huc tantum virum locorum illorum infelicitas redegit. Nec ei vita functo si fas loqui, fortunatius fuit quam viuenti. Arce siquidem Itenfi diruta vt sede opportuniore locaretur, dum transferuntur bellici commeatus & machinae, Francisci gaulus cui erant impositae ad Rocaniues acumen depressus secum omnia sepeliuit, ipsaque aded Pereira ossa quem idem gaulus ex India vexerat

vexerat. Longum sit momenta decurrere quibus ab obitu Perciræ præsidium Ternatense sperans desperans iactatum est, provt mitti subsidia audiebat etiam Malaca, sed differri lento negotio cernebat, & vbi parè in arcem subiissent breuissimo tempore absumi, donec nouus Præfectus videns famem & mortem nisi deditioe redimi non posse, rem ad consilium retulit, cuius assensu, Babo Regi Moluci arx deditur, vita dumtaxat obsessorum incolumi, & tuta; quod anno post sesqui millesimum septuagesimo tertio accidisse ex iis intelligo quæ inde scribere homines indubitatae fidei, & diligentia: cito alij, falsò in annum primum & septuagesimum referant, in alios alij quorum non vacat lites componere. Equidem insimulatus est P. Marcus Prancudius apud Indiae Proregem, deditiois huius non modo approbator, sed suator quoque vehemens, & prolixus. Nempe arce amissa pauci quidam Goam ex Moluco reuersi probare se infantes fategerant; etsi eos facti pars nulla constituebat reos, ac dum verentur culpam in Proregem & consilium publicum vertere quos Ternate omnis grauiter querebatur, vel denuntiatio obsidionis extremo periculo fidem pertinacius abrogasse, vel auara, & tarda in id misisse subsidia, inuidiam omnem in Prancudium detorserunt; at præsto fuere testes idonei à quibus illud de suatoria adhortatione mendacium splendidum non solum depulsum est, imò è contrario confirmatum iniectas à Patribus deditioi moras, alioqui multo pridem futura, nisi meliorum prætolatione obsessos erexissent: interdum enim Sacerdotum defuncti muneribus, in curatione animorum; ministrantium vero curandis ægrorum corporibus, noctu militum obibant vices; ipsumque adeo Præfectum, & quoscumque poterant alios, submissa sibi clam à P. Quadrio annonam à fame defendebant. Nostris attamen moderatoribus displicuit quod Prancudius quantumuis rogatus, non declinasset confessui adesse, imò illic etiam fortassis dixisset sententiam, quod sint negotia eiusmodi à nobis penitus aliena, nec à Publici ministris adhibeantur fere religiosi homines ad suggerendum in iis consilium, nisi vt aduersorum successuum culpam omnem & odium in eos conferant; sibi velut auctoribus atque auspiciis quicquid feliciter cesserit eximie arrogant. Quare Prancudium, obiecta purgaturum Prouincialis reuocarat, nisi mandato mors anteuertisset: sed hic abunde sit ad integrandam famam viri ceteroqui virtutis emerita, testimonium illius quem habuit laborum socium, ac testem. Deo, inquit [visum P. Marcum Prancudium euocare, nostrorum in his insulis Rectorem; profluvio sanguinis quadrimestri exhaustus interiit, ex ærumnosis itineribus contracto: excurrerat erebro tres ab Amboino & quatuor leucas ad tingendos infantes oppidorum trium quæ in præcipiti celsorum montium, hostium metus statuerat; viri morbus & exitus virtutum exemplis egregie respondit quæ de se dum viueret, nunquam non præclara dederat: annos egerat in Societate septem & viginti; sedecim in Mauro Moluco, & Amboino.

boino Christi Crucem constanter portauerat.] hæc disertè illius socius.

34.
Neophyt. in
persec. con-
stantia.


Potitus arce Babus, Christianos Insulæ totius seruitute damnauit, sed ij fuga vitæ periculum subire, quam seruitute Mahumetanorum, fidei maluere: igitur nocte intempesta in mare sese immittere; nauibus adnatare, Lusitanos & Patres in Amboinum peruecturis, iuuenes, pueri, senes decrepiti, matres ipsæ suspensis de collo infantibus, ab eorum parentum, fratrum maritorum consuetudine libenter exulare, quin vltro etiam mancipare se in seruos Lusitanis, vna professionis Christianæ contenti libertate ac securitate. Adolescens regij sanguinis multorum in Mauro pagorum Dominus, bello captus ab Rege Ternates, viam & ipse ad fugam nactus inops planè nudusque ab omni re ad Patres se recepit: sed inuictæ constantiæ admiratione par nobile coniugum præbuit singularæm. Erant Rodericus, & Cæcilia, Regi Tidoris consobrini, pietate confisi agnati sanguinis, tenui lembo per noctem ad eum transfugerant, aspernatus est illos Saracenus quod essent Christiani, plusque religionis odio tribuit quàm propinquitati: ad Mahometem si redirent, habiturum se illos fratrum loco, & suis ditionibus redditurum, sin autem, sibi res suas haberent: at ij nec spebus nec promissis permoti, steterunt fortiter in Christi obsequio, & necessariis ad vitam, vtcumque fouendam, defecti penitus, cœpere hortulum propriis manibus colere, cuius fructu in diem ægre & misere victitabant sed hoc vno læti quod iis liceret viuere Christianè. Non diu post quam non euicerat ab Rege barbaro fidei sanctitas ignorata, debitam cognatis pietatem, euicit necessitas; tandem enim prospectans longius Ternatensem & Lusitanorum solutum frano, & potentiorem, arma in se versurum, & fore se regno contra illum tuendo imparem, classe properata & valida periit Amboinum, vbi apud Præfectum Regi Lusitanæ iurauit clientelam, rogauitque arcem in sua Tidore ab eo construi.

35.
Tidore arx
ædific. Chri-
stus annun-
tiat, Rex
Bacian. occi-
ditur.

Tempus ferme sub idem adfuit Baciani Rex Ioannes, summa in Lusitanos fide, rebusque illorum non minus quàm suis sollicitus; ab his tribus aduersus Saracenos initur armorum bellicque societas; sapienter omnino, nisi Tidorensis regnum militibus quos secum duxerat nudatum obiecisset in prædam Babo Molucensi, qui accepto ab suis exploratoribus triumuirum fœdere celeritate summa, tercentum nauigia expedit, quorum partem iubet opportuno loco Regem Tidoris operiri ex Amboino rediturum, & in eum æriter inuehi; partem in regnum Tidoris secum ducit, euersurus illud funditus nisi qui Regem secuti non fuerant agro, & domibus hosti derelictis, montium inaccessa propugnandæ saluti quæsiuissent. Horum inscius Tidorensis ex Amboino recesserat & tempestate disiectis nauibus, septem omni ex classe minora nauigia retinebat; cum iis in classẽ incidens Molucensem, numero ac viribus longè inferior, cedere cogitur, captusque Ternatẽm abducitur, sed ignaua custodum oscitatione, & fida suorum industria cautè vsus, aliquan-

aliquanto post in suam Tidorem euasit. Illic autem sui iam sobriini memor Roderici (quem pro Christo egentem dicebamus serendo hortulo quotidianum sibi parasse victum) cataleopium legat ad Amboini Præfectum Lusitanum, suas explicaturum regniue angustias, opemque in hostes petiturum, quàm & accepit celerrimam, gaulum nempe Regium cataphractum, triremem nauisque alias præliares, numerofo armatas militè, centum præsertim Lusitanis, quorum quisque ordines duxerat; soluère cum iis tres de Societate sacerdotes quibus magno Christianorum qui eò confugerant susceptis gaudio, Rex ipse statim ædificari iussit ædem sacram vbi diuina celebrarent, sed fuit Roderici ex eorum aduentu lætitia inexplicabilis, & restitutus ab Rege in fortunam merito suo digniorem, non commisit templum alibi construì præterquam in campo quem voto dudum ad hoc dicauerat siquando in regno Tidoris Lusitani & Christiana lex liberè habitassent. Illic Patres absque vlla mora pulpitem scandere ad enuntiandam Christi legem, confluere ad audiendum primores cum populo; Rex quanquam Maurus, eò suos Calciges ducere, palamque iis exprobrare, quod se tanti momenti doctrinam semper celatum voluissent, quæ poenas reorum in inferis æternas assereret: quos suam quoque ignorationem excusantes percellerat idem cum Rege horror, Patre supplitia illa pro concione describente. Hinc magna conuersionum seges, sed adhuc ambigua, nec sunt ausi Patres Christiana sacra multitudini tantæ prius committere quàm aduersus Mauros Ternatenses præsidium haberet insula, quod tunc fremente furentemque Molucensi fundatum est, cumque ab se incassum armis terribari Tidoris Regem animaduerneret; frustra pellici in fœdus contra Lusitanos; frustra generum optari, regni sui parte dimidia in dotem oblata; tacitam rabiem scelestus, perfidia paternæ suppari clam in optimum Regem Baciani effudit, eumque venæno per suos de medio sustulit: occupato deinde regno quoscumque norat de stirpe regia claudendos carcere Ternatem abduxit, ne quis populo vel in regem vel in Ducem legendus superesset cuius auspiciis libertatem ablatam, regemque peremptum vindicarent, sic illa tam florens, & ferax Baciani Regni Ecclesia, P. Ferdinandi potissimum ingens, & latus labor, Mauro-rum tyrannidi tandem succubuit. Et hunc in Molucis exitum nactæ sunt Euangelici præconij alternæ vices, & religionis Christianæ illic Patrum nostrorum opera propagatæ ab anno proximi seculi quinquagesimo altero ad nonum & septuagesimum qui Regnum Tidoris Ecclesiæ adiecit, Bacianum ademit.




ASIATICÆ
HISTORIÆ
SOCIETATIS IESV.
LIBER SEPTIMVS.

36.
Soc. labor in
conuers. bar-
barorum
laudatur à
Pontif. &c.

RRAT Patrum labor in conuersione gentium barbararum mirè ferax, & virtutis excoctæ fragrantia, quoquò versum Ecclesia tenditur Christianos populos Moluci aromatis gratius vaporabat: huius Deo agebant gratias summi Pontifices, & Apostolicis literis, & viuæ vocis oraculo, & hinc præterea fructuosæ laudis merces non minima redibat in Societatem cuius alumnos fraterna exempla stimulis acerbis perurgebant partim ad fundendum inter infideles pro Christo sanguinem; partim ad durandum constanter in ærumnosa procuratione salutis alienæ. Quamobrem Lainius Societati post S. Ignatium Præpositus quorundam vota sapienter omnino improbauit ab Indiarum Prouinciali sibi exposita. Erant hæc vnus aut alterius illorum qui excoluerant Molucas, & peræsi laboris, quem multorum annorum sudore & sanguine feliciter prouectum Maurorum tyrannis momento deiecerat, aliò studia vertebant, vbi soli cultura facilior, & melis securior.

37.
Conuersio-
nes licet dif-
fic. & pauca
initio, non
tamen dese-
tendæ, &c.

De quo Lainius [Ad Patres quod attinet, quibus agri fruges videntur, colonis maligne respondere, vnde abiectiores animo effecti; desideria sua in alias mittunt prouincias; certò illos putamus, contraria omnia sensuros, si norint Societati vniuersæ quantum æmulatione sui profunt quantisque nos animis, virtute quanta corroboret, illa ipsorum constans in laboriosa, & difficultatibus ac periculis horrenti animarum procuratione tolerantia. Sanè *in lacrimis* quod nunc est *seminet*; sed inaniter nequaquam; erit sua operæ fida merces, eaque eiusmodi, vt non illam modo, sed vitam pariter agnoscant, immenso compendio in iuuandis proximis collocatam. Poscit hoc à nobis caritas, hoc debiti ratio erga illum qui vitæ suæ redemptos pretio, vicem hanc ab iis sibi iubet

iubet rependi, vt ne istuc parcè, ac timidè pro animarum salute vitam ponant: nec putent initia nascentis Ecclesiæ in traducendis ad Christum ethnicis, vel caruisse difficultatibus, vel naufragi sterilitatis ingrata specie; sed vtrumque patientia superasse. Profecto hic nobis si foret integrum laxare nostrorum desiderijs habenas, quos istuc ardor vehemens incitat, ad vitam cum iis in Dei obsequio, illorum imitatione exigendam penuria operariorum haudquaquam R. V. laboraret.] Ita quidem in Indias Lainius ex Europa. At quanto maiores exemplis talibus tollebat spiritus nostrorum virtus in India, quos hoc libro in lucem profero: qui Bazaini, qui Cocini, in Trauancoride, in orâ Piscaria, vbicumque Collègia & domus Societatis essent, certabant omnes æmula caritate, & patientia ne vincerentur ab sociis quorum in Molucis strenuam operam, & perpeffiones generosas inuicta perseuerantia commendabat.

Ante vero quam annos digeram, & inuisam cuncta per Indian loca fecundis illorum nobilitata sudoribus, anteuertam hic breui iusta funebria scribere quibus Goæ nostra Societas illisque tractibus Orientis, Patriarchæ suo Ignatio parentauit, cum anno 1557. appulsu nauis ex Europa primos de illius ad Deum transitu nuncios accepit; quem hic prochronismum eò mihi assumo, vt quæ iam deinceps ad Dei obsequium & Ecclesiæ propagationem gesta narraturus, argumenta sint illius meritorum, & continuata gloriæ series, vt quæ illi tanquam origini accepto ferenda sint. Nam si corporis membra, semota vt proxima cor æquè vegetat, iisque vim ac spiritum suggerit ad proprias cuiusque actiones certè de suo in alios qui agendi præsidia transfundit quibus si caruissent nihil agerent, censetur iure per eos agere omnia quæ instinctu illius ipsi gerunt. At certo certius ille ardor Apostolico geminus, quo Xauerij primum flagrauit pectus, tum eorum qui Xauerium secuti, de Ignatij pectore igneque accensus est, eaque edidit conuersionum miracula quibus memoriæ prodendis stylum nimis imparem commodamus Goæ igitur Patres in Asia cognito Patriarchæ sui sanctissimi ad superos transitu mirum dictu, perinde sunt animo affecti, vt eorum Socij in Europa, nec dissimilem ob causam, dolore scilicet vehementi cum incredibili iuncto lætitia, ex quadam magnis, si alias vsquam suffulta spebus desperatione, fore vt de cælo Societatem & ipse regeret, & Deus illam in eius gratiam tueri pergeret etiam carius, quam cum adhuc in viuis ageret, cumque in præsentis recubisset sapientia & virtute, eiusque precibus tempestates fregisset decumanas quibus in exitium raptabatur, ne tunc quidem vlla paterni eius auxiliij parte carituram.

Magno illi paratu iusta parentalia instruuntur; templum artis circum vndique vestitur, funalibus & faculis cingitur, pyæ ingentis magnifica species medio in templo erigitur (aulicorum opus artificum) cui ampla imminebat umbella, promisso ad latera cortinarum syrmate redimita, Primo exequiarum diè sub vesperum cantus officij funebris à PP.

S. Dominici & S. Francisci celebrantur quib. aderant nostri & Pontificio cultu Nunnus Patriarcha; idemque postridiè sacrum pro defunctis solenni ritu fecit coram prorege Francisco Barreto eiusque aula, senatu, ordinum omnium omnisque generis populo: sub sacrum symphonia lugubri decantatum, Gonzalus Silueria, tunc Prouincialis, postmodum Christi martyr, concione horarum ultra duas, Sancti virtutes commendauit, & præcipua vbique gentium merita, quibus fusa per Orientem Societas, sudores & sanguinem dedicabat: iidem honores pro conditione locorum & hominum vbicumque per Indiam habitarent Patres, funeri eius habiti sunt, & hoc famulo Deus, suam vnus gloriam ambientem, gloria honorarium repondit, vt ab obitu statim illustre fieret eius nomen extra vltimos tum eum quoque orbis nostri fines, vbi etiam ac viueret, celebrabatur pro Patre Magistro excellarum virtutum, cuius schola Xauerios, Criminales, Berzeos, Lancilotos formasset, magnoque numero ceteros, quorum egregia decora, præcedentibus libris vel scriptimus, vel indicauimus. Xauerius quidem laudum suarum admiratoribus, etiam ethnicis, cum eas non posset eludere, suadebat ad Ignatium optimum præceptorem non ad se referrent, quem suspiciebat de illo loquens tantis supra se spatiis sublimem vt ad eum pumilus videretur, quo eodem quoque ad illum scribebat stylo, reuerentiam infimam, amore intimo ea miscens temperatione, qua nullus parenti filius posset maiorem exhibere. Epistolam eius autographam præ oculis habeo, quæ non est cum reliquis edita, vbi teneritates animi erga Sanctum eandem exprimit, quas erga Basilium Magnum, Magnus eius amicus Nazianzenus cum diceret Ego te spiro magis quam aerem ipsum, & hoc tantum viuo quod tecum viuo, siue olim præsens, siue nunc per imagines absens: nec defuere etiam ethnici, magna inter suos prudentia & sectarum suarum doctrina singulari qui ad baptismi Sacramentum perducti, Ignatij nomine appellari optarunt non suauis cuiusquam aut monitu, sed quod eius venerarentur excellentiam, & longe absentis doctes eximias, de filiorum præsentium magnitudine metirentur: magna vero ex nostris ducebat gratia cui obtingeret aliquas ab eo accipere literas, & Gaspar Berzeus, ille Sanctimoniam illustris nostrorum tunc Prouincialis in India postea Christi martyr, scribit eas in legentium animis motus ciuissè mirabiles, & accessiones feruoris insoliti ad quæuis ardua, & aduersa; ipsomet quidem in Berzeo id agebant quod in amicissimo suo Leandro sanctissimus Pontifex Gregorius mirifice laudat, lectis enim eius quibudam literis, *capit*, ait, *amoris manu in corde suo te rapere*. Omnes passim ad illum, etiam qui nunquam viderant, de animi sui scribebant negotio, auebantque ab eo consilij aliquid & solatij habere, quod eo sanè præstabat largius quo illos in filiis amabat tenerius, quos vitæ prodigos ad Christi fidem barbaris inferendam robur masculum animasset. Hac in eos paterna sollicitudine, voluisset omnia illorum particulatim cognoscere, quot noctes duxissent peruigiles, quot dies ieiunos, & asperos, per deserta & montesi

Epist. 25.

tes in fame & siti errando condidissent: vicissim illorum perlegens nauigationes, arumnas, conflictationes, & reportata ex iis animarum luera, lacrimabatur præ gaudio, suauabatur eorum literas, velut ipsi præfentes in iis adessent; vulgabat etiam Europa omni meritorum testes non dubias, & apud socios incitamenta fraternæ virtutis acerrima; reddebat iis item quæcumque per Europam, Americam, Africam, ducente I E S V, & auspice Societas ad Dei gloriam gerebat. Recreabat eosdem, muniebatque sanctorum in cælo beatis offibus, iubileis, prærogatiuis iuribus, & indultis quæ illis à summo Pontifice liberaliter exorabat, nec precum suarum contentus assidua contentione apud Deum, statum Societati vniuersæ sacrorum, & orationum in perpetuum indixit numerum, quibus propitiaretur diuina misericordia, ad fortunandam iis conuersionem Indiarum, cui totis viribus incumbebant: sed iam filum historiæ relegamus.

Berzeo ad brauium Apostolici cursus inter superos transcripto, (quod narrationis huius libro quinto, est traditum) suffectus est Melchior Nunnius in prouinciæ nostræ gubernatione, eius Collegia inspexit tantum quæ in ora occidua sita sunt, post in Iaponiam nauigauit; & nos eò illum affectabimur sequenti libro, cuius argumenti magnificentia progressus exhibebit heroicæ illius Christianitatis, inter hæc è Lusitania naues quinque solunt in Indiam Kalend. Aprilis anno 1555. earum quatuor, è nostris duodecim, ternos singulæ habuere; duo solum destinati Goam, in Æthiopiam cæteri, cuius Patriarcha Ioannes Nunnus & alter è duobus sufficiens illi Episcopus Andreas Oniedus, aliis nauibus anno proxime sequenti Indiam petiere, alter nondum in Episcopum consecratus Melchior Carnerus, inter priores illos duodecim conscendit, quorum hoc solum dici potest nauigatio fortunata quod infortunis iactati capitalissimis, & certa in naufragia præcipitantibus, vna tantum è nauibus, impacta scopulis periit, reliquæ Indiam attingere: calamitatis huius causæ, nauium inprimis inter se disunctio paucis post sublatis anchoras diebus, certant vnaquaque totis velis post se alias relinquere, occurfus deinde fluentorum torrentium, quorum rapiditate extra viam agebantur, ferebanturque ex alto in terram allidendæ nihil minus aduertentibus nauarchis; & ad hæc eorundem imperitia præfidens, & marinarum tabularum infida delineatio. Vehabatur Prætoria Quadrius cum Michaelē Barulo, & F. Iosepho Ribera; ea in flexu Bonæ spei, aliud se in Cornu induit quod Acuum vocant, leucis vltius triginta, & mirum quod inde resiliit intacto littore, in quod absque dubio frangenda proruebat. Recellus denique ab S. Laurentij insula in Sinum, sed parcior quàm oportuerat ad S. Romani vitandos scopulos, in acumine insulæ latentes: cumque iter leucis, in diem triginta metirentur, nec computarent iniectas ab æstuariis oppositis moras quæ duabus tertiis venti vim tardabant, in Sinum incidere qui ab Africa insulam diuidit, cum se extra illum securi crederent, quare bis naufragiū proxime

adiere, ac semel quidem piscatorum clamore reuocati sunt à cæco scopulo in quem exitio irreparabili præcipitabant cursum, & salutem; iterum Quadrius hydrographiam probe callens Præfecti iussu nauarchum adiegit, ut iret in læuam penitus quo vadis absteret longius in qua is obstinatissime ducebat, nihil in mari latere somnians, nisi quod suæ notarent tabulæ; quanquam hæc etiam in iis vitandis tanta contentio, errauit leuca vna, qua flecti cursus procul ab iis auersior debuit. Sæpius igitur periclitati sunt ne in terram nauis, nunc vno, nunc altero alideret latere; sæpe ventis correpti sæuissimis, semel etiam ad eò repentino, ut nisi velorum laceratione consumpta foret illius violentia, nauim esset omnino euersurus. Putabant se Mozambicum prendere cum essent iam illud multorum dierum itinere transuecti, & vbi se oras Indiæ fingebant cernere Arabiæ iam adnauigabant. Atque hos vnus è quatuor nauibus (quæ tamen in Indiam denique peruenerunt) tristes & ancipites casus censui memorandos, ut intelligantur etiam aliæ variis aduersis paria passæ pericula. Nam etsi, ut monet Quadrius longe sit aliud versare animo, te cum iis quos legis furenti commissum oceano ire per tempestates, & vada, & scopulos, & minantia passim naufragia, & mortes; utque horum nihil foret, hoc solum plus quinque Mensibus ex nauis pedem efferre non posse; aliud vero his ipsis interesse, & re ipsa hæc pati, nunquam de vitato discrimine tam latum, quam grauioris metu sollicitum; posse tamen ex iis, licet imaginibus & longinquis vtrumque confici, quanti stet Euangelij ministris ex Europa in Asiam ad animarum pretiosa commercia nauigare, quantumque illos esse oporteat ab amore vitæ alienos semel Deo deuotæ, ut quacumque illam optauerit, seu naufragio in mari, seu fame desertis in insulis, alacri morte illam reddant, ut tribus iis contigit de quibus sum paulo post scripturus.

Porro inter tristitia & crebro exitio proxima, quibus constatam Prætoriam diximus, modo in scopulos impactam, modo in S. Laurentij insulam, refert Quadrius vniuersis tantum incubuisse desperationis, ut de mente deiecti viderentur, nautas ipsos nauisque rectores, eo horrore syderatos, ut nec consilium, & iussa valerent capessere nec iubere. Ipseque ad eò subiungit, magnis forem arctatus angustiis, nisi Vlyssipone conscensurus, mecum tulissem animum æque in vtrumque comparatum, mari sorberi, aut viuere in terra vtrumvis Deo foret maxime acceptum; aquis naufragum præfocari, aut oras Orientis tenere incolumen: quicumque tamen occupasset hunc casus, intercepto vnâ itineris & vitæ curriculo, mortem nanciscebatur religiosi operosisque officiis coronatam quæ per illam infelicissimam nauigationem vectoribus impenderat; vix Vlyssipone sustulerant anchoras, cum facta mox cœpit dictum illud probare gubernatoris Indiarum sapientissimi; Societatis Patres nauigationibus ad Indos, etsi aliud operæ pretium non ferrent, præter morum commutationem quam in naues inducunt, hoc solo rem magnam præstare. Tantam enim tam variam, tam ferme solutam in vitia,

vitia, & effranem omnis generis turbam, vectorum, nautarum, militum, mercatorum, quam Lusitania quotannis vehit in Indias, subigere legibus Christianis, & assuefacere probitati eiusmodi esse, vt summo in lucro censeri deberet, forequè illorum optimè & fructuosissime locatam virtutem & vitam, qui se tam duro ministerio addicerent, & perpetuata nauigatione petentibus Indiam, & redeuntibus se comites adderent. Verum enimvero, non vsque adeo pronum & facile Quadrio processit, vt in illa profligatorum fœce promiscua statim reperiret qui vellent primum rerum æternarum experiri saporem, quem incipiebat propinare, primis enim diebus, in foro nauis qui aderant, ne dicentem audirent subducebant se plures, quam illuc scanderent ad illum audiendum; verum haud ita post, cum ex officiosa caritate & affabilitate benefica, cœpere hominem & nosse & suo pretio pendere, & alter alteri sensim auditor accedere, auditus est deinceps tam auidè, vt multo prius quam rediret ex ministerio ægrotorum, in forum collecti eum expectarent. Sanctioris hebdomadæ diebus cum iam Canarias in conspectu haberent, omnes sacra confessione expiauit. Quo item tempore, cauo suo erepsit meretrix, eatenus latens & venalem pudorem in Indiam ferens, sed euicit Quadrius à Præfecto vt concluderetur tabulis quatuor, instar nequissimæ belluæ, ne cui posset nocumento esse; ipsa vero inde id affecta est vt mensum quinque (tamdiu nauigatio tenuit) castimonia coacta, didicerit, Gox vltro, virtutis studio seruare, quod necessitate adacta seruauerat. Rudes & pueros vnus è sociis fidei elementis instituebat quotidie. Sub noctem vero conueniebant omnes ad decantandas litanias. Festis diebus celebrabantur diuina officia, quantum quidem per ea tempora in nauibus licebat. Bis terue quauis hebdomada excitabantur duo ad puppim & proram altaria, iteratoque ad illa circuitu pius supplicantium ordo ducebatur; inde concio quàm excipiebat ingens omnium clamor, diuinam misericordiam, & culparum suarum implorantium veniam. Singulis mensibus, suis cuique forte assignabatur sanctus tutelaris, cui lege posita debebatur vt quem in diem caderet eius festum, confessione sacra & aliis priuatim, & publicè pietatis operibus ab eius cliente coleretur. Michael Barulus curam sibi hanc sumpsit vt pravum iuarandi, & ludendi morem de medio tolleret. F. Iosephus horis maxime vacuis, prodibat ad pium aliquid otiosis coronis legendum, ex libris plurimum piissimi Patris Lud. Granatensis, nec minus proderat horum trium consuetudo domestica cum externis, in quos sua de animi rebus partiebantur colloquia, eò quidem illorum maiori compendio, quo laxandi animi specie inducta dum sapidius cerudirentur, concione quauis animos altius peruadebant. Quidam inde ab Lusitania exitialibus inimicitiiis mutuo infesti in pacificos amplexus conciliati sunt; alij pessimè animo affecti ex inueterata lucrorum iniquorum, & libidinum feruitute, asserti sunt in libertatem conscientie Christianæ, & eam denique morum tulit emendationem illud iter, vt quod scite aliqui dicti-

tabant,

rabant, nauis cœnobium potius ascetarum esset, quam oneraria negotiatorum: hac & animorum, & rerum faustitate, magnam partem nauigatio vsa est. Vbi vero aduersis, in lethales casus eosque perpetuos iactari cœpit, vel abiectioe animi & mœstitudine, vel alia ex causa, multos morbus affixit: eorum quatuor periculosius laborantes, cubi- culi sui angustiis dum Patres colligunt, interea ipsimet nauim totam pro cubiculo habere, interdum assidue inter passim acentes cursare; noctu liberas ad quietem horas, à pedibus illorum exigere quos omni defecta solatio calamitas grauius premeret; miscere medicas potiones; vilissima quæque ac sordidissima in decumbentes officia velut propria occupare, cibos iis coquere, vtque non ille pide ait ex iis vnus, circum septē octoue cacabos ad focum satagendo, fumum copiosum oculis haurire, & reddere. Quicquid ab Regiis procuratoribus nauim conscensuri Vlyssipone acceperant in viaticum semestri, id suis sponte detractum vsibus, in egentes ægrotos sponte sensim partiti nihil sibi ex eo fecere reliquum, stipe illa deinceps exigua contenti, quam à vectoribus in diem corrogabant; & hic demum quibusdam deterfæ suspiciones parum æquæ, offensis olim commeatus cibarij nimia in nostris sollicitudine cum viderent ab iis superuacaneas vt mussabant capsas in nauim inferri. Sic dum Goam & vota & vela intendunt, die tandem nascentis Deiparæ manē, lato augurio reereantur de propinquitate portus tamdudum vocati; ex continenti turtur volatu in nauim delata, ante Parrum cubiculum resedit fessā hæsitque ad noctem, Portum Goæ postridie alacres subeunt, quem biduo prius PP. Michaël Carnerus Niceæ antistes designatus, Manuël Fernandes, & F. Antonius Costa subierant nauī, cuius S. Philippus tutela, & insigne; alterā vero cuius signum & nomen Assumptio PP. Hieronymus Cuença, & Ioannes Bocchius, cum Marco Nugnes nondum Sacerdote.

38.
Naufrag. &
mors felicio-
rum, in mi-
nisterio pro-
xim.

Retro nobis hoc loco relegenda fors restat quartæ nauis, conceptionis cognomine, & patrocinio, quæ PP. ferebat Pasqualium Catalanum, Andream Gonzalez, & F. Alfonso Lopez cum vectoribus ferme centum quadraginta: hæc vtī narrabam à fœderatis abiuncta nauibus, celeritatis palmam velorum ambitu præripere gestiens, Promontorium Bonæ spei & S. Laurentij Insulam commodè flexerat, proraque à Septentrione promouebat in Indiam: nox erat diem Augusti tertium & vicesimum præcedens; mare nulla ex parte sollicitum; auræ summas aquas amœno frigore crispantes, cursus denique mira felicitas; quo sub gradu arctico nullus satis diuinat Quidā prope cornu australe Maldiuarū; alij milliaria nongenta, quingenta nonnulli supra mille, Goa referunt abfuisse, vbicumque certè tunc fuerint, illic nauī meta cursuum vltima; vectorum plerisque vitæ limes fuit: eminebat aquis tam modicè exigua insula, vt eam incauti dum pergunt, & omnium securi, fortassis etiam nocte intempesta ne aduerterent quidem; vadis illa depressis cæcisque cingebatur. Arbor ibi nulla, non virgultum, neque herbæ pilus, sabulum omnia

omnia & duræ ac steriles glareæ, præter fontis venam pertenuem, sed mari adeo vicinam vt falluginem magis saperet, quam potui aptam: totus porro insulæ circulus milliariis partem vix quartam claudcbat; ad saxa igitur, & fyrtes insulæ obsitas impēgit nauis, & cum magno impetu raperetur, non modo arenis infixæ pependit, sed apertis laterum iuncturis aditum Mari vndique præbuit: traiectu angusto à vadis aberat insula, nec fuit difficile, homines, commeatus, & de mercibus pauca quædam maioris pretij scapha in siccum subuehere. Sed nauis fluctuatione assidua soluentē se penitus, quatuor oceano in medio terræ palmis turba misera naufragorum se clausam horruit, egens exspes frustra omnia circumspēctans, quod esset ea insula velut certum exitium procul nauibus omnibus metuenda. Hic nauis Præfectus, & cum nautarū præcipius duodetriginta nauarchus, secreto condicunt indubitatum interitum eluctari. Datur Ioanni Ludouico cuius erat nauis, perficiendi consilij cura, homini, vt vulgo ex euentibus notabatur, ad nauigia frangenda, & perdendos vectores nato: nam is erat qui anno 1561. S. Pauli nauim vadis alliserat insulæ haud multum à Somatra distantis. Huius ductu instructâ armamenti scapha, pane nautico, & aqua, sublatisque in eam scriniis duobus, auri & gemmarum grandi pondere refertis, repente ab littore prouehunt fugientibus similiore quam discedentibus, & passis velis, sinum ineunt illum milliarium nongentorum, vix quidem nisi prodigio in tutum euasuri; periculo tamen remanentibus inuidendo, mox enim ad litus procurrere, brachia tendere, miseris lacrimis magnisque vocibus monere, viderent etiam atque etiam quo loco socios quibus victus, & rerum omniū in angustiis relinquerent, postremæ obiectos desperationi, si de celo Deus; ipsi ex India opem sibi differrent; quibus alij mutuis lamentis & fletibus respondebant, iurabantque se illorum saluti quam celerrimè consulturos, & cum tristi vtrimque salutatione abscedebant. Tres nostros in Insula fortis sua & pia caritas, non remanendi necessitas tenuit: inuitati fuerant in scapham à Præfecto, eorum nemo sustinuit vitam suam, consolatione ac salute, ducentarum & decem animarum illic gementium facere pretiosiore; mori aut viuere vt Deo placitum expediti, nefas arbitrati suprema caritatis auxilia ijs subducere. Goæ interea post inanem, & longuam nauis dudum optata expectationem metus ingens ne quo lauo incurfu cogeretur vel in Mosambico hiemare, vel in transuersum acta periisset, vota que publicè pro illius salutē fiebant, continuè, quæ suo profecto felici exitū minime caruerunt. Scapha enim illis milliariis plus nongentis, nec aduersis flatibus, aut mari, nec tempestate aut erroribus viarum, ne annonæ quidem vel aquæ penuria laborauit, sed fortunatissimo appulsu Goæ portum iniuit: Ad hanc tota in littus effundi ciuitas, reduces salutare; rogitare de nauis, de sociis, de suis quique amicis, & agnatis; illi partim læta partim tristia nunciare; nauim illisam in breuia & amissam; vectores ad vnum incolumes, sed omnes desertæ insulæ conclusos

Angustis, nisi festinata liberatione iis succurreretur, ibidem quanto-
 cyus morituros. Se certum interitum, incerto sed horrendo discrimine
 mutasse, vitam tenui scaphæ per tot maria commissam præter spem de-
 nique seruasse, ducente aspiranteque Deo, vt de sociorum miseris legati,
 opem iis quàm citissimam peterent.

Hac oratione triumphare gaudio vniuersi, naufragisque in siccum
 emerfis ac spe recipiendi incolumes adèò gestire, vt nauis iactura mini-
 mum tangerentur, datur itaque templorum ex turribus ære sacro
 signum ad exsoluendas Deo laudes. Nostri quoque in partem lætitiæ
 veniunt confisi plurimum tres suos socios breui adfore sibi saluos, at-
 que vtinam mihi nancisci literas contigisset quas scapha aufugientibus
 ad Patres Goani Collegij dederant, quibus primum edebant cur ele-
 gissent manere cum naufragis & salutis illorum præsens auxilium & ne-
 cessitatem prætulissent, duo quidem spebus ambignis Æthiopiam iu-
 uandi: tertius Indiam. Supremos denique procul dabant fratribus com-
 plexus, & ab iis vicissim poscebant, vnâque velut vltimis valedicebant
 verbis quod sperari non posset nauis vlla exploratoria tam felix vt in-
 cideret in terræ punctum vix dimidij milliaris, vix summo extans mari,
 vix longe conspicuum. Verum enimvero quamlibet inuitabilis &
 præceps vrgeret causa properandi calamitosi auxilij, quod vel vno di-
 latum die, crudele ac serum videbatur, dilatatum est tamen à Prorege
 Francisco Barreto (quamobrem haud scitur) ad initium Nouembris.
 Tunc demum tribus nauigijs nautas imposuit, eosdem qui Scapha ap-
 pulerant, misitque ad naufragos quærendos: quod erit tam lentè pro-
 curatum, Deo tamen clementer dispensante, opportunum venit, si mi-
 nus omnium saluti, at quorundam saltem consolationi. Reuisendi sunt
 enim quos omiseramus, insulæ angulo circumseptos, vt de causâ &
 modo discamus tentati ab iis alterius discessus, imo & tertij ad mor-
 tem, si Deus annueret, mari fugiendam. Iactâ ergo ab triginta illis quos
 diximus miserabili aleâ, vitæque ligno infido & debili credita, conuenit
 inter residuos de lege aliqua idonei in præsens regiminis, haud qui-
 dem ad pacem, & concordiam animorum, cum præter mutuas misera-
 tiones, loci, rerumque conditio nihil aut suggereret aut ferret: verum
 ad ponendum panis & aquæ modum qui morti arcendæ sufficeret, &
 quotidianam vtriusque distributionem: ad hoc Aluarum Ataidem sibi
 præficiunt annorum decem & octo iuuenem Castagneriæ Comitæ, vt
 vsus loquitur, nepotem senem illi addunt consiliarium, crebra in Euro-
 pam & Asiam nauigatione exercitum; his autoribus annona omnis in
 commune confertur; iisdem arbitris suum quotidie demensum tribui-
 tur; at si vna foret ex naufragio seposita penu victitandum, breui erant
 ducenti homines alimentis, vitæque carituri, cælum iis aquationem
 copiosam frequenti pluuia suffecit; ciborum aliquid aues maritimæ
 fonti assuetæ, quas dum ad bibendum conuolarent, fames industriæ opi-
 flex vario ingenio captas ad solem siccat, & crudis earum carnibus
 omnes.

omnes mensæ ieiunæ struebat delitias: gubernationis pars altera quæ animum spectat, ad Patrum officium delata est; & potest quisque assèqui cogitando quanto conatu insisti oporteret ad vitæ illius acerbitatem leniendam, quam nihil poterat solidè consolari præter Fiduciam bonæ mortis. Ad hanc singulos audire confitentès, verum ut assolent in decretoriis casibus repetita nimirum vitæ omnis exactæ memoria, occupare illos Christianæ pietatis muneribus, ad eludendum tædium otij nauseantis; solari hortarique ad ferendas patienter communes molestias, famem, cæli adimbres & solem aperti iniurias, humi somnum; docere, singulis imputatum hæc iri ad dissoluendas ex parte culparum suarum rationes, crevitque in his officiis feruor cum morbi iam inualescentes vnum de numero tulerunt, ab hoc velut accerferentur ad sortem eandem reliqui, inerudescere mæror omnium animis; redire angores, & gemitus quibusdam etiam in mentem subire, desperatæ vitæ consilio, mortis fugam vndevis captare potius, quam ex India nimium incertam, seramque expectare: fuere hi quinque supra quadraginta, communibus studiis ad opus accinguntur; dissipatæ nauis reliquias colligunt, quandam ex iis inter se vteumque commissis Liburnicam fabricant, eius numeri capacem dumque illam in mare proiciunt induunt tutelam & nomen, Dei misericordiam, & certe in suam asserere diuina misericordia visa est, suscepitque ducendam haud quidem in portum quo proram verterat, sed in occursum catacopiorum trium quæ Goa soluisse monuimus ad inuestigandam insulam in qua opem naufragi operiebantur. Ocurrit ergo iis è regione oræ Cocinensis, & in mutuo conspectu, & agnitione, vtrinque omnes in lachrimas ex repentinæ lætitiæ insperato effundi, sed propiore iam accessu qui erant in catacopiis, dolere, ac flere vicem miserti Sociorum, quos dierum iam quinque enectos fame & semianimes: instarque cadaverum cernebant. Intima igitur mæsta licet exceptos gratulatione, illico vni de catacopiis imponunt, & opportuno refocillatos cibo Cocinum deferunt; cursum alia duo speculatoria sequuntur, donec reperiundæ insulæ, quam dudum indagabant spe omni abiecta Goam denique sunt reuerfi. Naufragorum quoque residui sua illa è tristi statione, dum versus Indiam quam longissime prospectant dum metiuntur oculis continuo Mare, si qua velum emergat aliquod boni saltem nuntij suspectum, vbi nihil penitus affulget, consumpta in cassum multorum mensium expectatione, suas & ipsi spes desinunt vltierius ludere, seque ad mortem si vnquam alias comparat, haud tamen vno æquè omnes modo; nouem & viginti, anticipiti licet priorum exemplo, statuunt credere se maris arbitrio, vitæque illic in insula conservandæ omni præsidio ablato, in omnes euentus se dare, venti enim fortassis alicuius afflatu propitio, pellendos in insulam, deserta illa hospitaliorem; sin autem aiebant, quando non datur in terra viuere, in aquis sanè moriamur, & naufragio altero, prioris miseras absoluamus, re ita consulta, nauis speciem stuant cuius

formæ aptari nullum poterat nomen, fuit enim vehiculi genus ex confectis primum, commissis deinde tabulis confertum, materia figuram operis artificibus dictante: huic se vehiculo tradunt quocumque Deus annueret portandi, sed quæcumque ipsos mansura fors esset, eiusdem tres Patres habere socios volvere: penus illorum omnis urnas habuit aquæ duas, & piscium aliquid in insula captum, & sole duratum: iter in Indiam inire nec sinebat annonæ breuitas, & erat tantæ vastitati maris nimium impar nauicula, illuc igitur vertebant proram, ubi sibi aliquam insulam obiectum iri diuinabant, sed dum longo errore frustra inquiretur, cibus, potusque omnino deficit, lenta fame exesi, quatuor moriuntur, & sepulcri loco fluctibus conduntur, cœteris tandem aliquando sub ortum diei apparet insula, visu peramœna, cultu ad litus diuigenter subacta, palmeto consista, fructibus suis graui: ad hanc velut à morte rediuiui, actis Deo ingentibus gratiis contendunt, sed quod litus abruptum, mare tantisper infringeret, applicare iis nunquam licuit ad eò exhausti erant, & debiles; fuit igitur nauicula oneris sui parte necessariò leuanda; commodumque ad hoc leuca vna distans se dedit arenæ vadum magis quam insula, in quod fluctus molliter fundebatur, eo facile potiti exscendunt complures, in iis tres Patres, alij nauicula iam leui & habili auidè insulam repetunt amœnitate sua famelicis blandientem, fide sociis data reducturos se cymbam, vt eos paulatim quaternos, aut quinos iterato transeursu deferrent in insulam; sed famis diuturnæ impotens feritas, & datæ fidei, & depositorum sociorum fecit immemores: litus presserant, moxque ad pabulum quaquà versum rapi, quod primum se dabat illic herbas, hic fructus carpere, & sorbere magis quam edere voracitate tam auida tamque vltra mensuram defecti calore stomachi, vt linq̄ui animo, & conuelli torminibus cœperint, nec destitutis, sociis, vt multū vellent opitulari valuerint afflictis ipsimet omnino viribus, sic dum aliquot dies tumi passim proiecti, sat erate improvida cruciantur; qui substiterant vicina in insula, extincti sunt miserabili, & postrema fame; sociis itaque satietatis periculo vix ereptis ad euehēdos illos reducibus sola eorum superfuere cadauera, præterquam duorum qui ægrè animam, trahentes, nulla ope seruari potuerunt. Nec dubium fuit illorum trium, & triginta supra centum quos longinquior metu spes retinuerat in ea insula ad quam nauis primum impacta perierat, eodem exitio interiisse, cum in discessione vltima sociorum, præter panis nautici saccos quinque, illis omnia deessent; neque extiterit qui de ferendo iis auxilio, vel iis requirendis laboraret. Supremæ ex iis fuere reliquiæ pauci quos diximus qui peculiari Dei ductu eodem quo ab sociis abierant male confuto nauigiolo Indiam tenuere: ij quarto decimo post naufragium suum mense, cum nihil minus de illis, vel speraretur, vel cogitaretur applicuere Goam, gestiente illorum reditu populo vniuerso, confluenteq̄ue velut ad mortuos ex tumultis excitos, & narrandis tum sociorum miseriis, & lentis ex fame mortibus; tum oblato sibi
amena

amena in insula receptu & cibi copia miserationem fletumque omnibus cientes: sed erat, trium Patrum ex morte, singularis dolor, & late per Indiam; postea per Lusitaniam apud Ioannem tertium eiusque Aulam, commendatio eorum luculenta; ut qui se vltro extremis omnibus & morti, pro aliena salute deuouissent. Apud nostros vero tam viuax eorum memoria, ut quinquennio post Baltazarem Gagum, suo ex Iaponia reditu iisdem casibus deprehensum, nihil æque animarit ad vectorum salutem anteponendam vitæ quam nauis Præfectus seruandam illi deferebat, ut fraterna horum trium imitatio, & exemplum.

Goæ nunc pedem tantisper figamus, tum attinentibus ad eam insulis; inspecturi primum domi nostra; post foris ab anno 1571. animorum bono ab nostris bene gesta; inde iustrabimus loca Indiæ cætera quibus excolendis Societas suos operarios sparserat. Regebat tunc Indias (quod hic necessario præmittendum ad distinctiorem notitiam rerum, & temporum) regebat inquam ab anno 1550. in triennium consequens Alphonsus Norognia, qui primus ex Gubernatore, Proregis honore & titulo auctus est, huic mense Septembri anno 51. successit Petrus Mascaregnia, cui paucis mensibus defuncto, subrogatus est Franc. Barretus, ad hoc pridem arcano Regis chirographo designatus. Et successorem accepit è Lusitania Constantinum Bragantinum, quo nullum India vel fidiorem Lusitanicæ coronæ, vel additiorem religioni sacrosanctæ multis retro annis & deinceps vidit. Huc anno sæculi 61. gubernationis defunctum munere excepit Ioannes de Mendoza, rexique a Februario ad Septembrem 64. inde ad 68. Antonius Norognia, demumque Ludouicus Ataides ad 71. Sic enim illorum tempora digerunt Goani archiuji annuæ tabulæ, quicquid secus nonnulli senserint. Iam Societatis administratio, post transcriptum cælo Xauerium anno 1552. cum primus illam in India Provincialis titulo rexisset, decimoque post mense Berzeum, cui suas vices commiserat, ad Melchiorum Nannium deuenit, qui profecturus in Iaponiam, Baltazarem Diaz suo loco suffecit, sed factum id minus legitime cum Patres conferent communi consensu, partim coram, partim per litteras anni 55. Ianuar. Calendis Antonium Quadrium Provinciale sibi delegerunt; quo illum onere Septembri proximo leuauit Gonzalus Sylueira ex Europa in Indiam ab S. Ignatio ad hoc missus, cui Antonius Quadrius, Iacobi Lainij Generalis delectu suffectus, anno 59. Provincie recepit curam, gessitque tum solus, tum Gonzalo Aluarez collega, qui primus anno 1568. Inspector Provincie Indiæ dictus est. Horum porto annorum spatio nauigationibus tredecim, in Orientem ex Lusitania transiere de nostris ad septuaginta; ortu & patria diuersi; instinctu & spiritu iisdem quibus ex Europa in Asiam, alij ad populos infideles Christi iugo subdendos; alij ad sortem Martyrij terbeatam; omnes ad laborem perpeffiones, & pretiosas arumnas apostolici muneris agebantur.

Goam Quadrio ut venit nihil fuit antiquius quam ut Collegij Patribus interpretaretur Constitutiones S. Ignatij aliquanto prius nostris in Europa promulgatas, illuc vero tunc primum per eum missas ut eas

39.
Proreges &
Prouinc. In-
diæ ad ann.
1571.

40.
Constit. So-
ciet. in India
promulgat
Quadrius:
quanta Goæ
tunc Patrum
virtus.

exponeret, & in vsum moreſque induceret, & expectabatur cupide hora illa qua in odæum ædis ſacræ quotidie conueniebant audituri; videbanturque ſibi legem nouam, non Roma miſſam, ſed cœlo lapſam accipere. Eo enim uſque, præſcriptis fere partim ex Generalibus vixerant, quæ rudimentum quoddam erant formandarum conſtitutionum, partim ex impreſſione illius ſpiritus qui ab Sſ. Fundatore transfuſus in primos illius focios ab iis propagabatur in ſequentes: verum vt ſolent generoſa ſemina quantum ſuo ab ortu diſcedunt longius, tantum ab ſua præſtantia deſeri, & doctæ manus archetypos prout communicatione multiplici ex vno in alia exemplaria deriuatur, ita ſenſim fit pictura ſequens antecedente deterior, donec tandem à primo deſciſcat penitus, nihilque iam proſus de illo retineat. Sicutſi nihil erat quod ſociorum deformaret vitam, erat quod variam faceret, nec ſibi vbique in omnibus ſimilem; ſuos enim quiſque illorum qui præerant, ex priuata ſuæ virtutis ingenio rexerat; tunc vero certum, atque immobilem viuendi canonem, & agendi quoad ſui perfectam aliorumque abſolutionem gaudebant Conſtitutionibus dictatum, & eo prouius in conſuetudinem ſtabilem breui exierunt, quò ad indiſtionem præceptorum accedebat exempli vis efficax; iunioribus certatim, prouectiores ætate & Ordine ad ſui victoriam in omni virtutum palæſta amulantibus. Dabatur quotidie ſua meditationi ſeſquihora, nec viſum Quadrio breuior poſſe iis locis ſufficere in quibus, vt ait cœli mollities emacſcularet vigorem animi, & eneruaret ſpiritum pietatis: altera item quotidie hora piis colloquiis attribuebatur quibus interdum ad diuina incaleſcebant ardentius quam prolixa meditatione, notaturque illud ſingulare, ex primorum Patrum narratis virtutibus præcipuum fructum conſtituiſſe, ad hoc enim ſolebant, geſta illorum egregia, per Societatem vniuerſam, ex inſtituto Sancti Ignatij, annuis literis tranſmitti feruebat ſpontanea corporis afflictatio, & coercitio interiorum motuum aſpera eaque continua. E ſchola qui dabant literis operam, ad humilia pergere culinæ opera, & quò natu, & ingenio nobiles, eo præ aliis ſeſe abijcere, prodire bini terniue mendicatum per urbem, vel ad fores ſacrarum ædium, ibique more mendicabulorum quæ corrogauerant eſitare, reprehentiones publicæ tum affidua tum acerba; victus, veſtis, & habitatio qualia maxime pauperum, cumque anno 1556. tyrociniò daretur principium colligendis tyronibus cubiculum deſuit. Ex iis qui ſtudia obibant quatuor, & tirones, alternis vicibus in noſocomio inſanabilium quod hebdomadis miniſtrabant, & præter abiectiõnem ſui miram, tam crudas de ſe captabant victorias, vt obedientiæ egerent fræno, ne extra lineas erumperent. Quidam ad publicum lanacrum pannos & faſcias vlceroforum ſaniõſas abluebant; ad primos nauium proſpectus aduentantium ex Luſitania quotquot domi erant aduolabant Rectori ad genua, & partem ſibi quiſque in ægrotorum famulatu depoſcebant quos longinquæ huiusmodi & calamitoſæ nauigationes ad trecentos, interdum quadringentos ſolent inuhere. Horum

rum curam gesturos Rector delectu habito in nosocomium publicum mittebat. Et quandoque per ea tempora pridie Calendas Septemb. acciuit ad se sub serum diei Gonzalus Sylueira, quæ Sacerdotes, quæ scholasticos, quæ tirones, duodecim; iussitque confessionem sacram illa ipsa nocte ut obirent, redirent vero ad se postridie ad capessenda læti quæcumque in Dei obsequium mandarer: illuxerat, seque illi pariter omnes sistunt, ad nutum Obedientiæ quamlibet tenuem idcirco alacres, quod tacite apud se diuinarent se meriti grandis insignem aliquam, & domandi sui in occasionem fuisse sepositos. Ducuntur ab illo in publicam ægrotorum domum, tradunturque illius ministris ut eorum opera vterentur in ægrotorum leuamen qui essent post dies aliquot ex Lusitania cum fœderatis nauibus venturi: celebratur iis ab eodem sacrum, & porrigitur diuinissima hostia. Inde in cubicula inducuntur ægrotis apparatus velut in possessionem commissi muneris, & sua cuique curanda tribuntur, post quæ pergit cum iis in desertam & pauperem casam eorum habitationi assignatam, vbi eos vir sanctus quo pollebat diuini spiritus ardore vehementer hortatur illam abiiciendi sui, & caritatis egregiæ palæstram aggrediantur ingentibus animis; metitur illis horarum spatia quæ in precationem quiete & ministeria iacentium ab iis diuidi oporteret; demum inter mutuos complexus & pias lachrimas valedicens abscedit. En autem post biduum, gaulorum agmen sociorum prospero cursu functum, plenis velis ex alto in portum inuehi, nostrique mox cum nosocomij curatoribus, accurrere, scapharum numerum parare, & vbi naues constiterant ex iis ægrotos in scaphas deponere, refectosque interim paululum variis salgamiis & dulciariis, quæ magna copia tulerant, tandem in terram subducere. Erant ultra ducentos & quidem nonnulli adeo prostrati ut insistere pedibus non valerent, quos ab iis in humeros ad nosocomium deferri oportuit ferculis, alios sellis aliquos gestatoriis eodem comportari. Congregatis deinde per sex horas ad primam vsque post mediam noctem, pedes aqua odorata, & aromaticis herbis detergunt & abluunt, suo quemque lectulo componunt, & mensis vnus ministerium strenuum, & alacre in eos inchoant, haud quidem semper iidem perpetuum, sed mutatis necessario vicibus, quod essent alij iis substituendi quos diu noctuque continuatus labor lecto affigebat. Horis enim duabus post mediam noctem, exiliebant somno ad sua munera quorum vlli deesse cum nollent, diei ad illa breuitatem cogebantur horis nocturnis supplere, noui siquidem sub id tempus ex vicinis Goæ præsidiis adducentos quos dixi accesserant. Officia porro reficiendis ægrotorum corporibus ab iis exhibita, fuerunt quæcumque comminisci solet tum sui contemnendi æmulatio industria & solers, quæ in vilissimis quibusque triumphat; tum feruens caritas calamitatem alienam doctior sentire quàm propriam; suntque hi planè quibus fuit seueræ obedienciæ admodum præceptum ut compellerentur in Collegium redire, cum oppresso laboribus corpore in morbum inciderent, quem alioqui dissimulabant artificiosè, ne miserorum avulsè obsequio eius merito priuarentur.

tur : nam & ipsi quoque pessimè affecti , sedulitatem valentium , in iu-
uandis affectis præferabant , ne deprehensi agrotare prohiberentur eo
famulatu , à Sacerdotibus quidem inde à principio confessiones omnium
exceptæ ; postrema omnibus morituris administrata Sacramenta ; ex-
cubatum eorum saluti , ac ne qua illos necessitas subita , expertes auxilij
occuparet , paucillum id ab lassitudine quietis quod declinari non po-
terat ad pedes iacentium captatum , cum vero animam efflasset conue-
niebant simul Patres omnes vt iis pia funebria soluerent , & humo il-
lorum cadauera conderent.

41.
Mira carita-
tis & mortif.
opera eorū-
dem.

Verum generosas nostrorum operas , non publici modo nosocomij
religiosa munia & appulsus nauium exercebant ; aliud habebant curis suis
integre permissum , in quo nostri de scholis iuuenes , prælectionem quo-
tidianam caritatis & patientiæ , de seniorum exemplo ducebant. De F.
Petro Alphonso qui operi præerat , mira quædam narrantur. Exire so-
litum in vrbis vicos , in iis quoscumque reperisset membris captos , ero-
sos vlceribus & lepra , seu alio tentos morbo , vel passim iacerent in pu-
blico , vel ex pauperum domibus ad eum deferrentur , propriis subla-
tos humeris deposuisse in nosocomium aut nostrum aut publicum ,
quod priuata lege , nulloque necessitatis examine patebat omnibus quos
ipse illuc deportasset : illic vero eorum semesa & tabida corpora medi-
cari , & iis obsequiis procurare , quæ vel cerni absque nausea non possent.
Lauare à capite ad pedes , tranferre in diuersos lectos ; & materno pla-
nè affectu , manuque , purgare vlcera saniem purulentam , ac vt missa
fiant illa magis familiaria , & assidua ministeria quæ istiusmodi cadaue-
ribus semiuuis continuo adhibentur , durare in iis nullo cuiusquam
discrimine , horrore nullo & stomacho , perinde vt sensibus careret , ab
ea Mephiti refugis ; gaudere potius eadem animi voluptate , ac si Chri-
sto , in miseris illis , curationis officia nauaret : certo quidem vel dili-
gentia medicationis exquisitæ , vel caritatis , vt vulgo creditum , seu
merito siue miraculo sanauit complures , quos artis peritia censebat ex-
tra spem valetudinis reparandæ : multos quoque mente peius quam cor-
pore affectos restituit ; ethnicos , Dei legitimo cultui , penitentia veræ
sceleratos ; hanc à Christianis quos sanabat mercedem exigere solit-
us , vt sponderent se quàm possent plurimos ad Sacrum baptisma per-
ducturos ; instar sit multorum quos lepida illa & industria pactione
Christo lucrificet , vel vnus ex iis quos vocant Zanadares nobilis In-
dianus , qui ad liberandam promissi huius fidem , semel ad eum adduxit
tredecim salutari lauacro expiandos. Inualerat Goæ inter primarios
barbarum quiddam , certè minimè Christianum , sed nec satis huma-
num ; vbi quem ex seruis , quorum magnas domi habebant familias , cor-
riperetur inualetudine , quæ non posset nisi sumptu , & tempore depelli ,
abiiciebant illum in publicum pro cadauere , vel ipsum in littus , omni
subsidio , paneque adeo destitutum , & hoc item censetur inter quoti-
diana decora fratris egregij Alphonfi , inquirebat eiectos à Dominis ,
&

& cum iis in humeros suos impositis, Dominos adibat, rogans illud mancipium habere vellent pro mortuo? quod si annuerent, postulabat id syngrapho firmarent, quo suo in illud cederent iure omni, vt (quod sæpe fiebat) valetudini redditum, recuperaret cum vita libertatem. Hinc stylo deinceps meliori, mancipia eiusmodi insanabilia nequaquam in vicos eiiciebantur, sed deponebantur ad fores nostri Collegij, pia Patrum nostrorum caritate procurandi si viuerent; sin autem sepultura donandi. At suæ huius in ægrotos misericordiæ, nullum præstantius experimentum nostri præbuere, quam anno 1570. cum depalcente urbem vniuersam pestilenti contagio, eo vsque excreuit eorum numerus qui derelicti omniumque egeni iacebant, vt egressi ex nostris, tum Sacerdotes tum alij ad eos indagandos nongentos collegerint. Languebant sub dio ad omnem cœli iniuriam, aut si qui commodius in stercis super nudâ humo temere proiectis, defecti viribus ad rogandum cibum; & benefica manu quæ illum suggereret: rectum igitur & lectum quamplurimis, cibum omnibus prouidere; functorum funera ritu solito prosequi; sepulchra propriis manibus, quibus humarentur effodere. Quod autem per domos pestilentia grassaretur, ne quem præteriret animosa & sedula caritas, urbem trifariam inter partiti, suum cuique parti Sacerdotem & laicorum numerum assignarunt, quorum illi iuuandis animis, isti corporibus suam Deo virtutem probarent. Demum vt mali vis artem omnem, remedia omnia elusit, creuitque in dies violentius, fratrem Alfonso de quo modo narrabam, ex falsitanis insulis Prouincialis euocauit, vt in tanta contactorum turba, donum illud curandi depromeret, quod ei Deus ad quosuis morbos contulerat, non tam vi medica, quàm attactu sanandos. Populata est urbem lues vltra duos menses, nec abstinere nostri erga affectos officiis quoad extincta penitus desisset. Quam illis tam strenuam caritatem temporario etiam, & mirabili præmio Deus reposuit, nam in collegio plus centenis cum essent, & illorum nemo in partem pij periculi & ministerij non veniret, nemo tamen illorum ictus est, imo nec leuiter tentatus. Breuius ab iis, sed fructu non impari in calamitate repentina desudatum imprudentia pueri cuiusdam tormentarij pulueris commeatum ignis corripuit, eius displensione turris in qua asseruabatur late in auras dissiliens, murorum ruina, & tempestate saxorum urbem concussit vniuersam, complures etiam in foro longius dissito alios obruiuit, alios pessimè mutilatos, alios grauiter saucios afflixit: concursum ab nostris omnibus ad subditam cladem, & prorsus valdè opportunè saluti plurimorum, quibus consultum est festina peccatorum absolutione; nonnullis intinctione Sacri fontis, quos morarum expers interitus ab idolis ad Christum dociles statim fecit. Interea nostri domesticorum adiutores, ruinis sepultos eruere, quosdam adhuc integros sed semianimes; reliquos vel morti proximos, & ægrè spirantes, vel morte iam frigidos: trancos alios, & miseris modis contusos, deformes & saucios in nosocomium nostrum suis brachiis comportare, Mauros, ethnicos, Christia-

nos, indiscriminatim omnes, communi omnes misericordia completi, & medicatione congrua iuuare. Postremo contractis, & necatis celebratae sunt ab nostris exequiæ: Spectat hanc item aduersus ægotos beneficentiam, præstitum pariter à nostris auxilium captiuo publico carcere detentis, quem non raro vis calamitatis vertebat in nosocomium, sed eò grauius quò ægotantium miserias, victorum arumnis adiungebat, & solitudini addebat morbos, nemine dolores iacentium leuante; visente, solanteque captiuos nemine. Hic vero nostris permisit Sylueria, quotidiani ad victum demensi sui partem, eorum donarent egestati, occasione vsus Iubilei quod Paulus I V. orbi concesserat Christiano: ex eodem quoque Sylueria octo decemue lectissimi iuuenes impetrarunt, vt quotidianum illud misericordiæ subsidium ferrent ipsimet in carcerem, sed illic præ alia calamitate multiplici, visa est famēs tolerabilior: locus bestiarum stabulo fœdior, graueolentiam exspirabat camarina quauis tetriorem; victorum multitudo ingens tota ex India, magnam partem ægrotata volutabatur iacens in cœnoso illo, & putenti fimo: ictis spectaculo tam tristi optimis adolescentibus, opus non fuit adhortatione vt aggredierentur ad leuandam acerbitatem tot miseriarum: adsunt postero die maiori numero stabulariis palis, rudiculis, & rutabulis instructi, pro se quisque certatim incrustatas solo reuellunt sordes, pauimentum detergunt, & cœno liberant, quod in corbes congestum, per mediam urbem in mare perferunt: purgato carcere ad corrogandam infelicibus ostiatim omnis generis stipem diligentiam conuertunt. Pannos nudis tegendis; ægotis lectos & pharmaca; victum omnibus, & quicquid conferretur ceruicibus ipsi luce palam carceri important: fatiget legentem prolixitas si pergam censere miros sui priuatim & publice domandi & macerandi modos, quos sua Goani Collegij focis dictabat ardens virtus vel ad leuamentum calamitatis alienæ, vel ad proprij meriti incrementum; nec iuniores tantum eam sibi arenam deposcebant, quorum est ad petendam illam ardentior animus, & opportunior conditio ad impetrandam, sed ætate, quoque scientia, graduque prouecti, ortique de primario sanguine, prodire palam in veste lacera, adiungere se mendicis deformibus & squalidis comites, cum iis stipem passim rogitare, cum iis ad fores sacrarum ædium corrogata edulia, eadem ex patina edere: conferte ad publicum lauacrum mattas omnes, culcitras, & linteamina pannosque ceteros noscomiorum, & in omnium oculis derasam eorum, deterfamque eluere sanie; flagellationes cruentas suscipere, aliaque generis eiusdem, de quibus abunde sit notasse, cum domi palam proponeretur index quo variæ demittendi sui, proculcandique figuræ, & occasiones censebantur, tam multas fuisse, vt excogitari nouæ magisque peregrinæ à feruidissimis quibusque non possent; ac fuit quidem hæc in abiectioe sui, & auxilio proximi, nostrorum Goæ tunc generosa contentio.

42.
Praum triū
PP. in Obe-
dientia exē-
plum.

Sed præ hac illud eminebat, interioris victoriæ studium, & luctu
opero

operosioris cum animi moribus iuris sui atque arbitrij perperam tenacis, quod sicubi deest, superficialia euadit illa exterior suimet, seu publica, seu priuata compressio, & occasione qualibet pulsata, nihil solidum, sed vacua omnia respondet. Periclitabantur heroicè suorum virtutem Prouinciales Sylueira & Quadrius, magni ambo sanctimonix magistri, vt priuato sensu illos exuerent penitus & ciuratis voluntatibus propriis, haberent illos ex arbitriis Obedientix, nutibusque suspensos: & quanquam salus aliena, & martyrij cupido, quod tam procul, tam crebris terra marique periculis prentarant, ardentes iis subderet stimulos, ad longinquas, & arduas sparsasque periculis missiones, haud tamen quiscquam audebat ulterius, quam vt desiderij summam ingenuè simpliciterque proponeret: preces sane, votorum lacrimas, rationes tacitus coram Deo effunderet, cæterum ab eo venturum putaret quicquid Rectorum ex Dei gloria decernendum censerent. Hinc iudicata res exempli nimium insolentis cum anno 1565. applicuere Goam ex Lusitania Patres Alexander Villa Rhegiensis, Petrus Bonauentura, & Ioannes Baptista Ribera cum apertis Lainij Generalis Præpositi literis quibus illis fiebat potestas Iapones aut Sinas adeundi, vndeuis maiorem Deo gloriam sperarent, & conuersionem animarum: in tam erudito perfectæ Obedientix absolutoque gymnasio vt erat Collegium Goanum, vbi Volo & nolo barbarum sonabant, & significatus peregrini, valde nouum mirumque visum est inauditum id linguæ genus, & doctrinæ forma; sensim & facile magistros & discipulos tractura, cumque exerrantia à communi lege, fere ab concessa priuatis aliquibus immunitate incipiant, inde ab aliis violenter vsurpentur; & ex priuilegio paulatim in legum pernitiem desinant, committendum sibi non censuit Quadrius vt prius illis de profectioe annueret quam significasset Francisco Borgia Lainij successori, fore multum incerto infidelibus bono, & certo Societati damno si tam inusitata gratiæ facultas transfret in typum imitationis; si missiones ambitu captarentur, extorquerentur precibus, demandarentur arbitrio hanc aut illam optantis sibi que deligentis vt pote alia gloriosiore: in tam ancipiti; & pertimescenda consuetudine gentium partim fœde ac turpiter nudarum, partim barbære crudelium non posse certius aliunde securitatem viuendi castè, & fortiter moriendi expectari, quam ex Dei nutu, mittentis, dispensantisque operarios suos in loca, & tempora quæ pro sua sapientia probaret; Deum hoc nobis regnum, hos populos hæc ministeria demandantem, vnâ suæ non modo pietatis, sed prouidentix fidem si sic deceat loqui, obstringere, vt adsit, vt opituletur, vt tueatur nos tanquam homines suos, qui ab se mandata capebant solo, atque ad se solum confecta referant. Hic vero, quod iusto plus docuit exitus, quis credat? homines istos nisi magnis extra ordinem expeditionibus non contentos, non illam modo fefellisse, expectationem sui grandem, sed præter Villam, sic euanuisse, vt ne ordinarias quidem partes suas memorando aliquo opere decora-

rent, Deo forte hac in re publicis vtilitatibus consulente, vt qui primi in Indiam immunitatem inuexerant, plus de arrogantia fumo, quam pietatis feruore redolentem, primi quoque exemplum fierent, ex quo intelligerent posteri stultam esse confidentiam instrumenti, aliquid extra manum artificis auctori, à quo vel adhibeatur ad quam liberit materiam, & opus; vel prætermittatur. Quare ad magnas diuini obsequij versandas moles ij tantum apti sunt, qui se leuibus impares, & ineptos ducunt: sed ferri vtrumque poterat, quod ij tres rerum grandium gestione tantummodo excidissent, quarum fiducia Europam reliquerant, mirum quot in illis querelis exposculent litera, quæ Goa tunc ab iis qui præerant cæterisque collegis scribebantur: morarum videlicet pertæfos quæ suæ in Sinas, & Iapones profectio inuiciebantur, conatos illam archiepiscopi, & Proregis auctoritate extorquere. Hæsisse interea in collegio, velut forent externi, vixque cum aliis quam inter se egisse, quod iis vtinam fuisset perpetuum, nec perniciem reliquis, vsu domestico intulissent: fallâ enim decepti persuasione, aggrediuntur cæteros eadem fallere; iactant Societatis morem in Europa, longe esse ab Indico diuersum, illic intimæ caritatis benigna dictata nostros tanquam filios regere; hic velut mancipia, metu, & asperitate territari; quiddam præsides nostros tyrannicum sapere, & *in vi, ga ferrearegere*. Væh! porro illi qui pro illorum arbitrio vexatus, sensus alicuius inditium ederet, vt autem in cætibus numerosis nunquam desunt quos licet videas in domo Domini defixos, haud tamen illos propterea, in genuinas soli sui arbores asserit, quod illic sat firmas nunquam radices miserint, impulsu quouis facile refugendi; farina huiusmodi nonnullos, trium illorum oblocutiones pupugere, vt ab Generali Præposito, reditum peterent in Europam; si minus, tantum non minari viderentur, se in seculum redituros; inter hos imprimis fuere illi tres flabella seditionis excitata, & qui paulo ante deuoraturi martyria, anhelabant ad fines vltimos Orientis, in eam animi desciuere mollitiem, vt ad multam quamlibet tenuem & lenem qua solent in religionis familiis, humanitas errata corrigi, immensum sentirent, auderentque se coram sistere, profiterique impudenter nihil in se iuris qui Goæ præerant, habere ac ne pili quidem torquendi potestatem. Sic iis biennium fluxit, quo acceptis Romæ illorum querelis dedit Præpositus Generalis ad Prouincialem Quadrium beneuola monita quibus innuebat, erga homines diuersæ nationis caritatem suam aliquanto largius proderet. Sed enim sapiens & sanctus Pater (quod viro vtrumque inerat) non amoliturus ab se culpam, sed de rei summa Generalem ex veris edocturus, facti sui quam modestissime edidit rationem. [Ex Europæ rebus & moribus, perperam nimirum Indica censeri. Cuncta illic periculis obsita; bonis pronum, Deo alios lucrari; malis aut minus solida virtute, pronius seipfos perdere: proin ex Europa qui summitterentur, aliquamdiu teneri ab omni opere vacuos, dumtaxat interea illorum indolem & gradum virtutis obseruari, donec tam perspicuè iam noti, vt possint tuto illorum hum.

humeris non iniqua aptari pondera tunc aut omittantur aut adhibeantur, exploratisque tacite illorum dotibus & viribus missiones idoneæ & ministeria congrua iis seligantur. At hi dum huius consilij artem ignorant ex proposito celatam, prætermitti se scilicet arbitrantur, Europam suam interdum desiderant; interdum prædâ Sinensium, Japoniorum, & Molucensium in oculis posita, quam ipsi tam procul captauerant, lora cupidè ex retinentium manibus rapiunt, ut eam aggrediantur, & inuadant. Asperitatis autem næuum nolo iisdem eluere, quibus Goani Rector Collegij Petrus Ramiresius Francisco Borgiæ Generali satisfecit.

[Centum ferè, inquit, de Societate hic degimus, pars in Collegio; pars in oppidis curæ nostræ commissis, & viget Deo laus, florerque observatio regulæ, & constitutionum, tamen ut verum fatear, animadverto hic agendi modum ab usitato Societatis more valdè alienum, ut qui videatur ad oculum potius servire, quam studere ut Deo placeat; mali huius causam scire cupienti, prima fronte occurrere præsidēs, & duritiem gubernationis; scrutanti vero penitius, compertum iri non tam illos reipsa qui regunt, quam ipsos qui reguntur huius ægritudinis fontem extitisse. Credat enim mihi V. P. inter illa quæ diuino obsequio plurimum aduersantia pariunt istæ regiones vnum esse, ut qui huc veniunt, vel religiosi, vel seculi homines, nescio quo pacto, in licentiam euadant, & dissolutionem animi morumque procliues, accedit huic soli, cœlique genio, occasionum pellacia multiplex volentes licentius agere ad se trahens. Hinc nonnulla (certò alioqui administranda suauius) fuere in seueritatem despectenda; & quantum ex regionis ingenio in laxitatem disfluebant, tantùm disciplinæ studio adstringenda. Et hæc quidem proba Ramiresij mens. Cæterum negari non potest ab suauitate longius aberratum, quàm mediocritas sineret. Quamobrem fuit illa regiminis asperi acerba ratio, ab inspectore Prouinciæ Gonzalo Aluarez, moderatione temperanda; quod præter sexcentas offensiones animorum, seruilem in nostris genium alerent, solo metu minisque agi, & agere docilem. Iam tres illi quos Româ venisse diximus, tanto strepitu tumultuati sunt, easque ab Europa commendationes expressere ad amputandas profectiois moras, ut peius aliquid metuens Quadrius importunitati denique cesserit; nauigarique valla in Japoniam; in Sinas Bonauentura, & Ribera. Verum enimvero ad hoc Deus illorum neminem legerat, quod supra quàm essent promeriti sibi arrogabant, utque breui claudatur molesta narratio, Goam omnes Inspectore Prouinciæ Gonzalo fuere reuocandi. Valla quidem ex insulis Goto, vbi tamen in Dei obsequium præstabat mira de quibus postea; duo alij ex primo Sinensium portu; Neque illis Goa errorum finis, remensi sunt in Europam iter, etsi vnus numero abfuit Bonauentura, inquietior cæteris, qui medio in cursu tempestate correptus naufragio periit. Superstitēs duos fors melior excepit, aliquandiu Valla in Africa operam

ram posuit, & dum peste contactis eam præbet, in eo ministerio obiit. Ribera nostrarum per India rerum Procuracionem in Lusitania gessit: ad firmanda porro quæ intuli, sed magis ad instituendos, si quos forte continget monitione hac egere, facit epistolæ fragmentum, quam ad B. Franciscum Borgiam Generalem Goa tunc dedit Organium Gneccius (de quo nobis præclara suppetent in conuersione Iaponiorum Deo dante scribenda) Doctus sum, inquit, iam aliqua horum locorum experientia, destinandos huc non esse homines, nisi quos multa deliberatio explorarit, ob crebra quæ illos subire necesse est, grauissimæque pericula; nam si qui huc nauigant efficacia precandi non pollebunt, & iudicij bonitate, si desiderio carebunt multa patiendi potius, quam miracula edendi; magna item, & magna, inquam facilitate Obedientiæ, cum virium mediocritate, hæbunt artoniti, statim vt pedem in domum intulerint, & Europam suam suspirabunt, vt non pridem quibusdam euenit, quod illis Deus clementer ignoscat: quos autem eæ quas retuli præmunierint dotes, eo vsque illis erudiuntur, & perficiuntur discriminibus & arumnis, vt facularum instar ignitarum agendo ardeant, & vitæ prodigi cupiant in iisdem periculis, & contentione laboris continui, pro Christo, millies si possint occumbere; ac isto quidem virtutis robore scio paucos esse qui mitti huc possint; verum quamlibet paucos pro multis iure computemus, cum eorum vnus, viginti & plurium partes agat triualium operatiorum. Hæc nostra Goæ domestica; nunc ad ea quæ foris illic nostri gessere pro suo in salute animorum curanda studio ac munere pergamus: & hos quidem illorum conatus operosos, ethnicorum ingenti populo & Maurorum ad Sacrum Fontem adducendo, diuina largitas benigne fortunauit, eo præsertim triennio quo Prorex piissimus Constantinus de Bragantia Indiæ præfuit, quod argumentum multitudine casuum densum, & varium, cum nisi prolixius tractari non possit, libenter omittam vt quæ in fouenda & augenda pietate Christianorum iam adulta, ab iis laudabiliter acta sunt.

43.
Conuersione
Reginæ
Mahom. ad
Christum.

In aliorum vero conuersionibus ad Christum, femina in primis eminet excellentia meritorum longe iis omnibus clarior, quæcumque salutari lauacro sacrandum caput subdidere ex quo potiti sunt India Lusitani. Natu Regina; professione Mahometana; ingenio acutissima; in Alcoranni secretis sensibus adeo erudita, vt eorum interpretem ageret, & magistrâ. Ambiebant illius nuptias duo ex potentissimis Indiæ Regibus, sed hanc Deus elusis amborum petitionibus, gloriosè sibi famulam mancipauit. Palmare fuit diuinæ prouidentie præscriptum, vt qua putabatur penitus inaccessa, illac primos exciperet radios beatæ & æternæ lucis. Arcebat ab illa omnium ad spectus, nedum affatus & Colloquia suspiciosus parens, at vnde minus illi timuerat appulere ad illam voces, quædam, prima diuinorum notitia grauidæ qua collustratus & ardens animus, edoceri de iis amplius & vberius optauit. Instituebant nostri
Goæ

Goæ virtute ac literis sexcentos iuvenes varias disciplinarum diuersarum tributos in scholas, ab grammaticæ rudimentis ad summam Theologiæ sacræ classem: ortosque fere Indis parentibus: hora illis dabatur quotidie ad audienda mysteria religionis sacrosanctæ, quæ ex assidua inculcatione adeo in promptu illis erant, ut è scholis egressi per vrbes vicos, noctu domi suæ illa concinerent, stylo quidem musico simplici, sed quantum vocibus, & lateribus valebant, sic ut tota clare familia audiret, ac vel aliud agens ea condisceret: quod ita essent à Patribus edocti: seruabaturque mos ille tam religiose ut stata hora singulis noctibus, Goa omnis musica fieret, alteque cantibus sonaret: quibus increbiler gestiebant, quoscumque diuini honoris studium aliquod tangeret. Prorex Petrus Mascaregnas ad primos illorum concertus è fenestris prospectans aperiebat caput, fixisque in cœlum, & madentibus interdum præ gaudio oculis, mille Deo agebat gratias. Goam confugerat Mahometanus Princeps, ut impetratis Lusitanorum auxiliis restitueretur in regnum Dacence iure sibi successionis & Sanguinis debitum, sed ab Idalcano violenter vsurpatum: ita quidem ij scribunt, qui literas Ioannis de Castro Gubernatoris ad Regem Lusitanæ non legerunt, apud illum enim queritur vehementer, & acerbè dolet, à Martino Alfonso de Sofa, Gubernatore fidem contra fas omne diuinum & humanum Regi violatam; pellectum Goam spe certa recuperandi regni, iunctis cum Azadazano duce fortissimo, Bilgani dynasta Lusitanorum armis; & perfidiosè primùm hosti suo proditum Idalcano; huic ipsi deinde Idalcano periuriosè os ac fædè sublitum; emuncta ex eo pardalorum millia quadraginta; & possessionem Salleranæ & Bardes continentis; fraudulentè promissi præmia quo se Idalcano obstrinxerat Sofa fore ut illum Dacensem Regem deportandum Malacam iuberet nunquam postea rediturum: huius nihilominus promissi sacrilegio altero fractam fidem, & iurisiurandi sanctitatem. Erat miserò regi cuius in capite ludebatur Mealis nomen, ingenium mite, atque affabile, superstitionis auitæ summa peritia. Vxorem secum & liberos duxerat in quibus Virgo (de qua nunc cœpimus) Bisnagæ regi, aut Izamaluci seruata nuptiis quas æmulo ambitu sibi vterque deposcebat; sepiuerat illam arcta custodia Mahometanus pater ex gentis more, nec domo pedem sinebat efferre, aut virorum cuiquam in conspectum se dare: at hæc fallendo temporis otio (nec enim aliud initio spectabat) admouere aures, & oculos, fenestræ reticulis, ut puerorum è schola prætereuntium audiret cantus: modos inde flexusque cantuum, otiosè in animo retractare, post etiam cogitationem ex verbis carminum in significatus illorum flectere, in quibus diuino edocta spiritu cœpit augustius aliquid tamen adhuc per nebulam deprehendere, quàm quod eatenus in suo, cuius erat mirè intelligens, introspeisset alcoranno. Exin quotidie puerorum symphoniam audire præstolari, fores palatij præteruecturam sub vesperum; nec iam ex leui aurium voluptate, sed curiositate seria

perci

percipiendi quæ concinebantur, ac nisi matris, & familiarium obseruaretur lynceis oculis, accersitura clam erat ex Patribus aliquem, ex quo illa plenius audiret, quanquam autem huic desiderio tam cumulatè non potuit, necessitati saltem factum satis. Muro tantum communi diuidebatur Mealis palatium, ab Iacobi Pereiræ ædibus, amicissimi olim Xauerio & fidelissimi: huius inter vxorem Mariam Tuscam, & Mealis filiam mutuæ visendi, & honoris vices, amicitiam iunxerant, colloquebantur è fenestris familiariter, sed quàm occultissime poterat, ne se suspectas Reginae facerent: demùm qui fuerant prius comitati & benevolentia congressus, afflata iam cœlitus virgine, de Christianorum religione ac moribus totierant: interrogante illa distinctus, & accuratius modum & causam cuiusque mysterij, eamque illo ex auditu lætitiâ præferente, vt Tusca denique suadere illi baptismum aua sit: verum vt erat discipula nectendis dubiis, quàm magistra soluendis acutior; & raro dabatur semotis arbitris inuicem placide conferre, annus ferè inter spes vnus, & alterius desideria effluxit: quo anno contigit vt virgo ingentis fieret agminis spectatrix, quod ex Pereiræ vicinis ædibus ad nostrum S. Pauli templum, supplicantium ritu decoris ordinibus procedebat, fulgebant omnes candidis vestibus, & cultu splendido, occurrebat iis Patriarcha Pontificio ornato, cohonestabat pompâ Prorex, omnisque populus, effusæ lætitiæ indicij publicis, de quib. statim post, beatam illorū prosequabatur sorte: icta diuinitus eo spectaculo vehementer, tam clara interius luce perfusa est præter omnem expectationem, vt fixis in pompam oculis velut extra se posita stuperet; mox autem illo apparatu omni prætergresso, corroborata est non tenaci modo firmaque voluntate professionis Christianæ, sed impatienti quoque illius desiderio incensa. Patrem itaque Petrum Almeida ad fores palatij conspicata, qui cum Rege parente acturus venerat, magnam sibi (vt postea narrabat) vim fecit, ne procurreret ad illius pedes, vt sibi ad sacrum Baptisma perductor esse vellent sed consultius inhibuit sese, promptius alioqui patris gladio repente peritura, quàm Sacerdotis manu expianda. Deliberata iam conuersione consciam eius facit amicissimam suam Mariam Tuscam, tam expetiti propositi felicitate triumphantem. Exin omnes illarum congressus de hoc ad Christum optato transitu, viis que ad illum maximè congruis, quæ post multa dñi inter feminas agitata, nullæ demum se dabant sat prosperi exitus, & securi: vna se ingerebat fuga, si possèt custodes fallere, quibus filiam parens non minus seuerè domi conclusam seruabat, quàm si foret captiua; fugam hanc euentus æque dubij licet vt periculosi, tamen quod alia omnia obstarent eluctaturam se suo periculo feruens Deo matrona suscepit, condixit vt nocte intempesta de palatij fenestra se virgo demitteret, ipsa descensui adminicula præberet, exceptam secum ad templi asylum raperet fugientem. Norat pridem reginæ Virginis probam mentem Nunnus Patriarcha, & pauci de Collegio nostro Pa-

tres,

tres; Tusca diei bonam partem precando solita ad S. Xauerij sepulcrum transigere, ad eos singula referebat, rogabatque particulatim de omnibus quid fieri probarent: ab iis fugæ consilium vt nimium anceps improbatum, quod raptui foret quam fugæ similior, & questurus esset Mealis parens violenter secum & probrosè agi. Subiit igitur Franciscum Rodriguez inuentum factu procliuiùs, nempe virgo Proregem rogaret in Christianorum admitti numerum, huiusque ad illum in pignus animi, de rebus suis aliquam mitteret, quam posset parenti, si foret necesse repræsentare pro teste ipsius voluntatis: cætera sibi tranquillè permetteret, communicaturum cum Prorege, quo pacto domo educenda, cui tuto & honorificè credenda, quo apparatu celebranda Principis tantæ lustratio. Placuit vtrimque industria excogitatio, & vtrimque in opus commode exiuit: Occasionem naçta virgo ex fenestris de more cum familiari sua Tusca fabulandi, monile ab se illi tradit ad Proregem ferendum, mandat suis verbis adderet, se Reginam & Regi desponsam, haudquaquam idmittere, vel reponendum vrbani actionibus gratiarum, vel præmij vice, sed amoris pignus in religionem Christianam, & testimonium apud pregem parentem certò sibi decreti, postulatique baptismatis. Legatione huiusmodi, & dono, Barreti Proregis mollita pieras non tenuit lachrimas, manusque identidem attollens diuinam suspexit clementiam, tum exemptum digitis adamantem, ad eam remisit, contestatus nequaquam se doni accepti gratiam referre, sed fidem hoc pignore obligare, constantem se illi vbique tutelam & obsequia, Reginæ debita præstiturum; & exin Regis Lusitanæ nomine in curam, & defensionem se illam sibi asserere. Facto erat opus, nec maturè consulta Virginis studia procrastinanda diutius, ne quid inter moras, de iis parenti suboleret. Ergo Prorex captato quod instabat Laurentij martyris festo die in templum venit concionem apud nos auditurus, ac dum transuehitur Mealis palatium, cum aulae totius illustri comitatu ad fores consistit: & curru exscendens, salutatum se velle significat; adest Mealis honore attonitus tam inuisitato nec suspicari valens quo tenderet; donec post mutua salutationis humanissima officia proficitur disertè Prorex se ad hoc venisse, vt Principem Virginem ad suos, nempe Christianos secum abduceret, quippe illam se Christo mancipare, & Christianis adiungere. Sequeretur ipse pro sua sapientia præcuntem: sin minus saltem obstare ne vellet, frustra enim fore si quid in oppositum niteretur. Mealem siderauit tam inopinata denunciatio, recepto mox animo, atque vt erat valde prudens, dolorem reuerentia moderatus, pauca hæc retulit, videri sibi valdè nouum, de filia suæ arcanis intimis, plura nosse Proregem quàm ipsum se patrem, rogare ne iisdem manibus in quas ad recuperandum regnum se dedisset, eripi sibi filiam videret regno cariorum: quibus dictis fleuit, ratus hanc fortassis vim esse quæ sibi ac filia inferretur, habereque hunc raptum causas proferendæ latius ditionis. Hic vero

Prorex, suspiciones illius purgaturus, monile profert, iubetque agnosci cuius sit, quod ubi esse filia probasset, narrauit Prorex de legatione quam ad se misisset, de Christianis sacris quæ efflagitasset, de monili quod pignus vtriusque, & testimonium dedisset: quæ inter se dum tractant, adsunt ex condicto matronæ nobiles quatuor (decoro conspiciens id expetierat puella) & scalas palatii conscendunt, in conspectum venerant, cum iis mire hilaris & gaudens obuiam currit Virgo, & fidelem suam Tuscam, earum vnam amplexu salutat, accurrit & mater totumque illius gynæceum, suspensæ omnes, & anxie quo euasura esset hæc nouitas. Non diu ab iis dubitatum, in aurem Matri insusurrat mancipium Mauricum quæ ex Prorege & Meale audiuerat, de prolato monili, de abducendæ virginis consilio, & quicquid ante fores gestum: ad hæc amens illa vlulare, vociferari se proditam, assilire ad iniectandas Filia manus, traducendamque in luam potestatem. Contrà Virgo Tuscæ carissimæ tenacissimè adhærere, & ab aliis tribus virili animo propugnari: at enim numero vincebant Mauræ quæ matri auxilio venerant, & pugna vtrimque initium datum est, Lusitanis quæ pauca aderant parum feliciter cessurum; lacerabant mutuo vestes à pectore; comas à capite destructas vellebant: vnam è Christianis Saracena ingenti corpore, correptam faucibus elidebat premens, nisi princeps Virgo, imperiosè obiurgatam cæpto coëgisset abstinere: configentium clamotes, & strepitus ad fores infimas pertingebant, diuinansque Prorex quid rei ageretur, suis laturus suppetias fessis & male habitis descendit, exterritisque minando Saracenis, ægrè illas admotis etiam manibus dispulit: inde medias inter matronas quatuor, disiectis vt erant ex pugna capillis exceptam, ad portas deducit, vbi eam Proregis lectica opperiebatur, auro & serico magnificè fulgens; in eam sublata, & in alias quatuor lecticas, matronæ comites dum abscedunt, en tibi prodire honorarias Principis Virginis puellas, miserabili fletu, & crine lacero Proregi supplices, vt sua cum domina eas abduceret, velle se quoque fieri Christianas; verum quod eorum non caperet linguam, & prehensa certatim eius veste crederentur dominam suam repolcere, amoueri sunt iussæ, præter duas quæ obstinarunt lecticam præsequi cum honorario ephæbo, quibus sacrum deinde baptisma collatum est. Parum à palatio distabat Tuscæ domus, in qua paratum regis Virgini hospitium erat: exscendenti Prorex ad lecticæ latus, manum honoris gratia obtulit: ac tutius quidem committi poterat nemini, quàm amantissimæ, & vero etiam magistræ, atque ad salutem in securo locandam auxiliatrici: sed ingens Virgini creabat periculum, nimium vicina paterno palatio domus, eratque facile illam perditura, nisi omnem ab illa Deus præterquam salutis affectum abstulisset, magno gratiæ suæ miraculo. Rex parens, & agnati, grandique numero amici, Lectum quotidie, in eius aures instaurabant, & iunctis clamoribus, insanoque vultu Virginem vocabant, & colloquebantur cum ea veluti præsentem, querent

querentes desertum ab ea crudeliter Patrem, desertionis eius dolore mori iam iam parantem. His illam putabant patris inflexam miseratione, se posse retrahere; priusquam baptismo initiaretur. Sed erat Matris desperatio verior, & efferatior, hæc de fenestra palatij quadam ex qua cerni; certo saltem audiri à filia poterat, per diem sapius, amenti luctu in se ipsa ferebat, caput rasit mœrorem æternum professa, genas vnguibus cruentavit, nulla æquè funus lamentata vsquam est præfica, idque resumtis toties vicibus, quoad tandem dolore oppressa ægrotaret. Quæ dum aures puellæ principis ferirent, nullus vnquam animum momordit sensus pietatis in suos scemineæ, minusque Christianæ; fleuit duntaxat identidem, cæcitatique illorum vt aiebat, indoluit qui abessent tam procul, à desiderando illo bono, quod sibi inuidebant, vt hoc etiam in se crudeliter quod sibi inuidebant, odissent. Descriptus est sacræ ablutionis apparatus, lectus in illam dies sacer Assumptæ in cœlum Deiparæ Goa omnis in Pompæ splendorem incubuit, Francisco interim Rodriques horas quotidie aliquot, de iis Virginem pleniùs edocente quæ illi scienda supererant: vici pretioso vestiti stromate, triumphales in compitis erecti arcus, explicata vbique vexilla varia, depactæ vbique ad tempus arbores, vbique ramalia, & picta floribus omnia: ritu maximè solenni vespertini cantus peraguntur in Societatis æde sacra splendore regio exulta: inde Lusitana omnis nobilitas superba in equis, & iussu proregis in omnem magnificentiam effusa, ad regiæ Virginis domum procedere, stipantibus latera honorariis ephebis, & satelilitio numeroso, infériectis procedentium agmini musicorum choris, tympanorum mugitu & tubarum clangore, festum pæana canentium. Prodire virgo, regia in veste & schemate regio; sed torques, & gemmas mundumque auersata, quæ secum abstulerat fugiens, quod essent opere Maurico laborata, iisque se scædari potius crederet quam ornati, ad crucem pompa deuenerat Collegio propinquam, omissis equis omnes, illa è lectica in æquum deposita, itineris reliquum pedites exigunt. Occurrit obuiam aduentanti, alumna seminarij iuuentus, coronis floreis redimita, ramosque præferens, & cantu prosequens tam expetiti diei faustitatem: sequuntur Patres sacra castula candidati, vasa portantes sacra; sanctum oleum, & librum, & omitem denique conferendo baptismo supellectilem vsitatum. Postremo incedit Ioannes Nunnus Patriarcha, Pontificali cultu venerandus: circumfusi vero populi ad spectandum tam conferta turba Christianorum, Brachmanum, etiam & Maurorum vt necesse fuerit Proregem, cluatum accensum agere, perque plebem submotam, vi viam facere: tinxit regiæ virginem Patriarcha, idemque cum prorege de lauacro susceptam, Mariam dixerunt ob reuerentiam Deiparæ reginæ cuius colebatur tunc, Assumptæ dies: quibus rite ex Ecclesiæ canone confectis, eodem quo deducta fuerat ordine comitatuque domum reducta est, toto ex arce ac portu armamentario latis fragoribus tonante, toto multam in noctem cœ-

cœlo flammæ ludis & ignium iaculis collucente, personanteque gratulatoriis plausibus & vocibus populi, fausta omnia acclamantis.

44
Constantinus
de Bragantia
Prorex, ma-
gnus fidei
promotor.

Tam illustri factò & maiestate argumenti, lustrationisque magnificentiâ tam nouo, instaurata est magnam partem religionis Christianæ ante biennium depressâ gloriâ, cupiditate quorundam improba, qui vt inde scribebat vir sapiens, cum ex Europa soluunt in Indias, conscientiam videntur relicto in littore abiicere, aut eius ad primos tempestatis motus iacturam facere. Legibus olim Regis piissimi Ioannis, & generalibus Goanæ Ecclesiæ synodis proscriptus fuerat pœnis grauissimis vsus omnis superstitionum ethnicarum, & Mauricarum ex omni ditone Lusitana, quod earum nonnullæ præterquam quod impiæ, essent etiam crudeliter barbaræ: haud tamen propterea Brachmanes segnius satagebant, vt sua paulatim festa sacrilega, in vsum reuocarent, nec raro incidit vt publicæ rei administratos nacti cupidos & venales, votis impiis potirentur, & ab iis Deum promiscuè cæca lucri fame habentibus nundiarentur probra diuini honoris & religionis; quod iis nunquam felicitate adeo impia processit, & Christiani nominis tanto dedecore vt anno 1555. quo viles animas publici administras magnis pretiis mercati, per eas ad hoc proregem adduxere, vt rei Lusitanæ bene consuli putaret, si concederetur aliquid Brachmanis, darentur aliqua illorum quieti, remitteretur nonnihil de feueritate legum quæ ad stabilendam fidem olim necessariæ, fide tunc altis firmata radicibus, nullo admodum fructu seruari dicebantur. His apta principiis Theologiæ quæstuosæ conscientia infelici, abrogatio legum expeditur tribus his digesta capitibus; fore ethnicis liberum auito more, suis mortuis parentate, etiam vxorum viui comburio, cum cadaueribus maritorum. Liberum item dum nuptias facerent sua cursu per urbem circumvehere simulacra, & sua circum insanis vocibus, & saliorum motibus orgia celebrare. Denique liberum sua mancipia, sacro fonte in libertatem asserta Christianam, in seruitute retinere, sed Christianis venalia, vt heros dumtaxat, non conditionem commutarent, ceperuntque mox tria hæc piarum legum probra mortifera, incredibili bonorum omnium dolore in mores induci, ex quo etiam id intelligitur quam rectè vir prudens, æmulatorque diuinæ gloriæ strenuus Baltazar Dias in Lusitaniam scriberet, malum esse in bonis ponendum & dignum immensis ad Deum gratiis, si quando Proreges & qui sub iis communi præsunt, nobis indignati aliò verterent, & sibi confessorios alibi quærent. Ac sit ita sane & abstinere se nostros oporteat, ab attingenda Proregum gubernatione, à qua illos officij proprii ratio abundè eximit; haudquaquam tamen omittendum putarunt commune officium cuiusuis, modo Christiani, propugnandi scilicet diuini honoris, & vbi opus sit obiiciendi pectus, ad eum asserendum. Nec iere incalsum maturioris consilij monita, quibus præcipuè Franciscus Rodriguez eundem Proregem reduxit in orbitam ex qua fraude potius aliena, quam suapte sponte aberrarat. Christianorum dedecus & religionis, nouis legibus.

legibus emendatum & quantumlibet inuitis, qui nundinata consilia in oppositum obstinabant, promulgatae sunt, pœnisque additis firmatae. Exterminata quæuis superstitio publica, quocumque tandem permissu indulta diceretur. Collecti domo vna quouis infidelium ex genere, vel abiecti à parentibus vel iis orbat, vt illic alerentur, dùm ratione vti possent sui que compotes optarent quo mallet cultu religionis ac legis viuere. Accessuris vero ad Christi lauacrum, ius confirmatum est successione hæreditariæ, seu ab ethnicis, seu Mahometanis fuissent progeniti. Creatus Almeida Christianorum pater, cum amplissima potestate rei ipsorum publicæ regendæ, atque propagandæ: æque tamen superbum infidelium tumorem res nulla depressit, Christianorum gloriam adeo nihil auxit, vt translati ab illis in istos dignitatum gradus, & locuples gestio munerum publicorum, quibus vtrisque ante id temporis Brachmanes, tùm mire colebantur, tùm magnopere ditabantur. Emebant honorifica mûnera, lucrosas redemptiones, commerciõrum pinguißima commoda, quicquid pecuniarum Goa, eique confines insulæ haberent, vnis fere Brachmanum manibus tractabatur, & fidei hostibus gratiosis, tumidis, reuerendis, miselli neophiti vitam trahebant ignobilem pauperem omni gradu honoris, & lucri occasionebus exclusam, & cum iis vnâ infidelibus contemptui erat sacrosancta religio.

Tunc versis vtrimque in oppositum vicibus, depressi Brachmanes, & quæstuosis redemptionibus extrusi prope abfuit quin pudoris, & damni impatientia Patrem Rodriguez de medio tollerent, & faces subderent nostrorum ædibus: Passim vero apud omnes queri, dolere iniuriam, dicitare id sibi, veris nimium vatibus mentem præfagisse, oppressuram se ruinam, haud sibi aliunde, quam ab illo S. Pauli execrabili Collegio metuendam, quamquam hæc illos propriè ruina non obruit, fuitque Prorex Franciscus Barretus condendis legibus quàm munien- dis felicior. Seruabatur ea laus ducis Bragantiæ filio Constantino, quem anno 1558. regendis Indiis Barretus habuit successorem: magnum equidem splendore, sanguinis regij, sed maiorem luce propriarum virtutum, quibus nobilitatem sanguinis, & aurore gloriæ illustravit: felix plane India & Christianitas Orientis, si nacta foret eodem tempore hos duos Xauerium, & Constantinum. Potuissent hi soli mutua desideria explere, altero inuicem imperia & auctoritatem; altero labores indefessos, sudoresque præstante: quantum sub huius gubernatione diuersa fuerit à priori Christianæ rei, & ethnicæ facies, iucundum est, ex P. Ludouico Froës relegere. [Brachmanes, inquit, & nobiles ethnici munia omnia occupabant quæstui opportuna, & in aula Proregis primas obtinebant, Christiani contra in opificia sordida & ministeria detrusi vilissima, hortos, equos, & præsepia curabant, cum suo in publicum incredibili contemptu, velut capitum proletariorum, fiebatque interdum, vt accidere supplices ethnicis cogerentur, ad extorquendam ex aulæ ministris causarum suarum absolutionem. Iam, quæ

Dei est gratia si qui Brachmanum aliusve quicumque fuerit ethnico-
rum, à Prorege aliquid decernunt petere; locum mari vicinum petunt
præstolanturque illic patienter dum ex imminente fenestra palatij vi-
dendum se præbeat, ad solem interea, vel imbrem, vt cœlum fuerit, in
portu aut littore stando, ambulando, expectandi nauseam decoquunt,
coniectis perpetim fenestram versus luminibus: inde vt tandem conspi-
ci cœperit, humili corporis proclinatione mox illum certatim vene-
rantur, manuque protendunt libellos supplices quos habent illi offe-
rendos donec is hunc aut illum vt lubitum venerit, nutu ad se accersat,
Proregis aulam vice versa conflant Christiani ciues, in ambulacris pa-
latij spatiantur, ad limen interioris cubiculi sedent, prandentem cin-
gunt illustri corona, holoserico pretioso, & cocco ensibusque auratis
insignes; si quid optant, perse ipsi id petunt, nullo egentes perducto-
re. Accersit subinde Prorex P. Almeida, hominem ad eius consilia
mirè natum quòd eius in Christiana re ardore eximio plurimum vtatur.
Quærit ex eo nunc, ecquid daturus sit pretij, si bearit illum recenti
nuntio nobilis cuiuspiam infidelis, Christiana sacra flagitantis; modo
exstimulat ad excogitandas artes nondum tritas, & novos labores, qui-
bus quammaxima ethnicorum fiat ad Christum accessio. Almeida vero
quos mittit Deus fide imbuendos, eos illico Proregi sistit, vt discant
probentque suis oculis ethnici quàm humaniter, & beneuole, quàm
honorificè & amanter illos excipiat, complectatur, securos esse iubet
de patrocinio suo, & defensione. Hinc scelestissimi Brachmanes, paulo
prius hic rerum domini, nostro nunc suasu & opera, deiecti & in ni-
hilum acti, odere nos morte quauis deterius, & de hoc nostro S. Pau-
li Collegio, monstra vituperationum pro sua rabie conficta spargunt.
Sed latent licet, mordere non valent. Pagodes illorum subruimus;
festa impia, ne agant euincimus, retegimus illorum flagitia, & incan-
tamenta; vtque miris modis sua dissimulent, & tegant, qua se latere
maximè cogitarant illac eos inuestigamus, & intercipimus: hilaritates
nuptiarum, ludorum, simulacrorum festiuas, nisi de media nocte, lo-
cisque clam maxime occultis non celebrant, & quidem taciti, nullo
strepitu, & clamore quod luce palam antehac impudenter audebant;
cumque has etiam subinde Christiani cautiones fallant, & intercipient
nocturna illorum orgia, moniti statim accurrimus, comminimus si-
mulachra, solennia in confusionem vertimus, hilaria in luctum & mœ-
rorem.] Hæc ille Proregis Constantini præclara describens studia &
solicitem ardorem in salute infidelium procuranda; sed hic ministris
quibusdam Regiis, si superis placet, non placuit, vitio hunc dabant
non virtuti, aut si virtus hic foret, hanc esse Monachi non Proregis,
eique stolidè obtrectabant, horas illum aiebant negotiis regiis furari,
quas de religionis capitibus altercando sumebat cum Brachmanis. Hu-
manitate illa erga neophytos tam familiari, viles non raro, seruos aga-
sones; & paterno illorum complexu ac tenero, dedecorari Proregis
dignitatem,

dignitatem, quam sustinuerunt illius maiores in summo semper honoris gradu. Optarent denique illum ardentius in augendo Regis quam Christi patrimonio laborare quod solis animarum accessionibus ditescit: nec defuere aliqui tam effrontes, ut ei obicerent, egentiores fore fiscum regium suo illo Prorege, quam omnibus retro Proregibus; onerandis in Lusitaniam nauibus mercium numerum descriptum in carta breui; neophytorum longissimam, suis digestam diebus singulis, quibus Christiani effecti sunt singuli: benignam materiam dandarum ad Iesuitas literarum, sed fisco inutilem; & hæc quidem noui illi Catones, quibus ipse tanto cordatius quanto illi amentius, ad Sebastiani Regis Domini sui obsequium, & gloriam plus conferre, insularium illorum vilissimi conuersionem ad Christi fidem, quam quicquid fisco totis ex Indiis proueniret, quicquid aromatum in Lusitaniam nauigationes annuæ reportarent. Hac responsione amisit ab se pudefactos eorumque deinceps oblocutiones, & stultam prudentiam pluma pendens, miserorum saluti, ut instituerat nihilo parcius institit: eratque non iucundi modo, sed efficacis quoque apud religiosos Euangelij præcones exempli, ubicumque occurreret ethnicus aut Mahumetanus, subsistere Principem, interrogare de secta, sectæ mendacia, & fraudes aperire: adstruere legem Christianam eiusque sanctitatem, & miselli vnus pertinacitati expugnandæ, ita incumbere, ut si eius debellatione, Orientis imperium verteretur, quibus tantum abest ut fisco regio de redditibus annuis decesserit obolus; ut Deo potius, hanc eius eximiam, & Lusitanorum regum pietatem, quibus in hoc etiam fidelem præstabat operam, pensante, arcem, ditionemque Damani, & Manaram insulam Lusitanicæ coronæ adiunxerit, partemque regni (ut post narrabitur) Iafanapatani. Dicendum hic paucis quam late fausteque Christi regnum in maritimis Goanis propagarint, Constantini & Patrum iuncti animi & labores.

Atque ut nobis initium faciat ipsa Goa. Huius Insulæ tractus vnum & viginti qua pagos, qua oppida censebat, agebant ad duo vel tria capitum millia; ferme in singulis adoratores idolorum; dolebat Patribus vehementer post tantum annorum in antiqua illos superstitione putrescere; cumque ipsi quotannis, claram Euangelij facem Æthiopibus, Iaponiæ, Moluco illaturi, nec metas nec modum nauigationibus & periculis ponerent, hos tamen prope domi & coram cernere in auita perire cæcitate: cuiuscumque tandem id culpa fieret; decreuit fortiter Constantinus amouere quicquid eorum conuersioni obstitisset, eamque Patribus enixè commendauit. Ergo hi numero sedecim diuisam inter se insulam aggredi, festis quibusque diebus Goa exire ante lucem, suam quisque in partem laborum alacres pergere, & tam solerti esculentoque hamo, alij pueros cantu doctrinæ Christianæ; alij populum concionibus ad eum appositis; Bonzios alij disputatione ad eum capere, ut ramalibus passim amplissimè constructis auditorio locus ubique pararetur.

44.
Conuersorū
ingens num-
reus Goanō
in tractu.

retur à mane ad noctem strenue operi incumbabant, condebantque dies solidos acri sane labore ministeriorum: sed ea latorum prouentuum voluptate, vt nec famem sentirent, nec lassitudinem, sub noctem redibant, suum quisque Goam conuersorum trahentes manipulum, quidam parciozem, alij numerosiorem: gestiebant ciues eorum reditu, occupatisque locis qua erant transituri, gaudebant numerando quot sua quisque in turma duceret, magnisque vocibus fausta omnia illis precabantur. Obuiabat iis quoque subinde puerorum agmen præferentium ramos, & decantantium carmina doctrinæ Christianæ: sed Proregis gaudio nullum par: tot se auctum filiis censebat quot ex illis ad Christum Canarinis accederet: hic eos caritate affabili, complexu, teneritate tantum non paterna aduenientes dignabatur, quod dici non potest quantam neophytis opinionem inderet susceptæ fidei, quantum forte illa beatos se crederent, quam cernebant tam honorificè haberi. Demum in Collegium deductos excipiebat Patrum sedula caritas, adscribebatque in domum Cathecumenorum, quam suis alebant sumptibus, ad sacrum Baptisma comparandos. Postremo communi totius Collegij gratulatione fratres suos ab insulari missione velut Christi prælio reuersos percontabantur ceteri, audiebantque de illorum gestis, modisque sæpe miraculo proximis quibus illorum operam diuina bonitas, conuersione vnus oppidi secundabat: de quibus sub hæc nonnulla libabimus. His fidelium incrementis iam ramalia distici paulo prius, extenta concionibus audiendis; iam Sacris ædibus oppidatim mutari ad peragenda mysteria constructis, diuinoque omni apparatu, & suppellectili ornatis, liberalitate neophytorum priuatum & publicè minime auara. Hinc eadem ad eos Christo mancipandos excursions antea obitæ, continuatæ sunt ad fouendam, augendamque illorum pietatem, & successu quidem ad eò prospero, vt teneras mentes ad eam reuerentiam diuinorum, & sanctimoniam vitæ Christianæ fingerent, cuius in neophytis expressæ vel solo aspectu profitebantur ad conuersionem infideles re quauis alia efficacius moueri iuuat quoque strenuitatem Patrum incredibiliter, excogitatus ab iis quàm potuit maximè solennis atque magnificus ad sacrum Baptisma celebritatis publicæ apparatus, eo festi ritus veterum superstitionem quibus olim Brachmanes sua colebant simulachra obliterabantur procliuius, fiebatque venerabilior apud omnes, Sacramenti maiestas ex modo, & pompa illius conferendi, vt ergo cathecumenorum aliquot, centum quinque interdum, aut sex, de rebus fidei abundè fuerant edocti, indicebatur ex pulpitis vrbe tota baptismo dies, vestiebatur templum nostrum superbo peripetasmate, quod ab se accipi tum prorex, tum Lusitanorum proceres, honori ducebant præcipuo, procul templi prospectus, longo vici tractu, conserebatur digestis vtrunque arboribus, quarum haud absimiles palmis comæ, mirificè oculos recreabant: erigebantur quoque, si personarum exigeret dignitas, aut diei honos, arcus triumphales va-

rij operis, & ornatus aquis vitalibus tingendi ex pagis, & oppidis insularum accitis cogebantur omnes in Societatis Collegium, vbi vestitu singuli donabantur in quo possent decorè ad sacros fontes consistere, ad hoc Patrum quidem larga suppeditabat tenuitas, sed pia Proregis munificentia tam prono & effuto studio, vt nostros vrgens ad petendum quidquid opus tam sanctum exigeret, auditus sit ex animo dicere, si cui eorum deesset vestis, vltro sibi libenter detracturum vt eum tegeret. Hoc cultu parati mittebantur in palatium primarij alicuius Lusitani quem pramonuisset Almeida, suas quoque vt vellet in pompa partes magnifice agere, coronare frontes palatij, vestire tapetibus postes, vexilla fenestris explicare, viam ad templum fronde ac floribus densare, qui nullo anni tempore illic desunt. Rebus in hunc modum instructis, è seminario nostro alumni iuuenes palatium versus procedebant in quo expectabantur à cathecumenis, in longum distenti & modestum agmen, caput floribus redimiti, ramis palmarum Indicarum siue alterius formosæ arboris, manu quoque communem lætitiã gestantes: distinguebant ordinis seriem, commodis spatiis interiecti chori symphoniacorum, alternabantque cum alumni cantus, vt musici omnis instrumenti vices vocibus permixtæ, addito etiam tympanorum sono, strepitu crotalorum, & tubarum clangore. Claudebat Ordinem incedens Patriarcha, solenni ac proprio schemate, sequentibus ponè Collegij Patribus; prouecta palatij ad fores pompa flectebat nostrum in templum iter, prodibantque tunc cathecumeni, & addebant se præeuntibus; adolescentes primum, dein viri, puellæ deinceps, postremò matres, cum suis pars inter brachia siliolis, pars trahentium manum tenentibus. Vt fiebat cœtus iam templo propior; exire de sacratio parati ad ministerium lauacri salutaris, omnes in linea castula, & stola, præcedentibus qui supellectilem præferrent ad hoc idoneam, polubra, & capedines ex argento, & in iis ad collationem Sacramenti de more adhibenda. Prorex quem nulla vel cœli pluij, vel negotij grauitas ab eius muneris pietate vnquam abstinuit pro templi foribus cum Patriarcha stare perfungi honoris officio, cathecumenis in templum inducendis, demum ad latus sanctorum fontium considere. Tum vero tingendi fiebat initium, cantu perpetuo, & musicis organis diuersi generis ceremoniam omnem prosequente: lustrici patres baptizandis eligebantur nobiles Lusitani, nonnullis etiam Patriarcha, imò ipsemet Prorex id affinitatis sacræ officium præstabant, indebantque iis nomina quibus vocari deberent in posterum, quæ à Patribus ad hoc designatis referebantur in tabulas. Expletis rite lustralibus quæ porrigebantur sæpius in primam noctem, neophyti alacres, & cum iis cœteri iisdem vt prius digesti ordinibus, accensa gestantes funalia, per circumflexam Collegij aream in templum regressi, adorabant de genibus augustissimam hostiam quæ illis aperta monstrabatur, & collati beneficij gratias agebant iisque communis celebritas clauderetur: sed inductos in Collegij hortum neophyotos

phytos parata excipiebat cœna in qua Patres pari caritate & alacritate ministrorum obibant munus: seorsim tamen à viris femina, non dissimili benignitate habebantur, famulantibus matronis, interdum etiam nobilibus, quæ pio ambitu id sibi optauerant. His publici honoris argumentis, ethnicorum natalem in æternam vitam gratulantibus, sic possessi boni ardebant amore & gaudio, vt domum reuersi finem facerent nullum de prædicandæ suis Christianæ legis, & sollicitandi eorum animos ad eam capeffendam; quod Patrum laborem miris reficiebat delitiis, cum aliquanto post solennes eiusmodi cœlestis lauacri celebrationes, cernebant neophytos in urbem sua quemque cum præda reuerti cognatis nimirum, vel amicis qui ad sacrum Baptisma erudiri perebant, & inter cathecumenos referri. Quanta porrò Goæ cœteraque illius diæcesi vbertas fuerit huius messis facile nobis est subductis temporibus, & locis, numeri vnus certa summa complecti, quòd accuratè tinctorum nomina consignarentur Ecclesiæ tabulis. Quadrius itaque nostrorum in India Prouinciæ Præfectus, annis ante lesquimillesimum sexagesimum tertium sex, ad septuaginta millia conuersos ad Christum tradidit qua Goæ qua locis aliis vt in libri huius decursu constabit. In quo illa imprimis tacenda non est Francisci Rodriguez confessio, Goæ tunc inter præcipuos operarios strenui: is decepti se diu animi accusans, narrat dum esset in Lusitania, omnesque Patrum ex India literas audiret, idem carmen sonare quo illuc inuitabantur nostri, & repetebatur ab vnoquoque velut assueta ex formula tritum illud *Messis quidem multa operarij autem pauci*; rogabanturque qui præerant eò quam possent plurimos mittere, imo ni facerent & hanc pereuntibus tot populis opem ad salutem non ferrent, religione conscientia terrebantur; has inquam sibi visas auxefes vltra verum proiectas, nec potuisse animo fingere, agrum illum inculta vastitatis tot canuisse messibus ad falcem maturis, vt penuriâ messorum interirent: quin imo se quoque illuc destinatum, ipsaque in naui recogitantem, qui esse tunc poterat statum illarum regionum, quantum abesse oporteret ab ea rerum admirabilitate quas de illis toties audisset, sensisse spes suas retro ferri, nec largius porrigi, quàm vt vnum quotidie aliquem spectaret, nostro in templo baptizari, ac ne id quidem tam spei fuisse quam desiderij: sic totam hanc lucri tam prædicati molem ad trecenta sexaginta quinque quot annis capita conuersorum ad fidem ethnicorum, ituram: verum enim vero postquã eò venisset cernens coram quingentos die vno, sexcent os altero ex aquis genitalibus renasci, quibus ad hoc parandis suas ipse quoque egisset partes, se vero tunc annos multis lacrimis doluisse quos tot in Europa otiosè trinuisset, nec fuisse deinceps, qui fortioribus, & crebrioribus literis Socios, eorumque præfectos, ad opem ex Europa quærendã, mittendam, ferendamque vrgeret. Nec tamen qui erant in Europa, minus ambitiosè prouinciam Indicã prensabant, quàm qui versabantur in Indiis Europæorum auxilia. Quod aliàs quidem, sed his ferme diebus de quibus

nunc

nunc scribimus, euidenter animaduersum est, cum enim Lainius Societati Præpositus communi ad nostros vbique terrarum epistola, significasset nihil dissentaneum à perfecta obedientia facere, qui moti diuinitus, concedi sibi profectiōē ad Indos peterent, vt in iis ad Christū adducendis vitam omnem dicarent ac ponerent: tanto literarum, petentium, & intimis precibus id flagitantium numero est oppressus, vt exhaurienda fuerint suis hominibus cuncta Europæ Collegia, & domus, si petentibus oportuisset satisfactum. Nam qui prope à puero educatus est creuitque in professione instituti, quod animarum saluti propriè penitusque incumbit; hunc profecto vi magna rapi, & ingenti ardore necesse est Europæ Indiam præferre, cum vnum aliquem maiores Deo animarum quæstus illic cernit inferre, quam centum in Europa, centuplicato sudore ac tempore; cum audit integrum ab illo regnum, à cultu saxorum & Dæmonum ad veri numinis obsequia traductum, ab alio vitam pro Christo in rōgis lento igne stillatam; illos telis confossos, truncatos capite, in crucem suffixos. Hæc dum audit, & legit, magnus illum omnino tantæ fortis inflammat & stimulat amor, vitam quamlibet ab Apostolatu diuersam inutilem; mortem quamuis, tam pulchris dissimilem mortibus vilem putat: sed his debet necessario adiungi cautio, quæ orbe non paucos nimis later, quæque tot literis Prouincialium ad Generalem ex India datis toties inculcatur; non esse hanc ad Indos euocationem, nisi hominum virtutis heroicæ multumque, ac diu exploratæ, quales Xauerius toties suis epistolis depingit, optans neminem eò mitti quem suo ipsius examine non esset periclitatus Ignatius. Nam qui fingit ab Indiis Apostolos fingi, non ab dotibus virtutum tanto gradu dignis, sciat magno se in errore versari; nec aliud præter materiam, virtuti iam partæ solum Indicum præbere, qui secum virtutem illuc non inferret, nisi miraculo illic minime reperturum, inter crebriores potissimum tolerantia, ac domandi sui abiiciendique oportunitates, quàm exercendæ erga salutem alienam præclaræ voluntatis. Certe Quadrius vir multum sapiens, & rerum Indicarum vbi diu nostris præfuerat, peritus, narratis summam Lainio Generali periculis, & arumnis quibus Molucentium nostrorum exercebatur vita, [Hinc, ait, liquido P. V. conficiat, viros cuiusmodi hæc deposcant loca vbi leuissimum est malorum, fame, siti, aliisque afflictæ naturæ miseris perire: mea fide pro certo statuat, ad nos non facere quos blanda nouitas huc trahit, conuersionum hinc, nostrorum literis in Europam sparsarum, longe se illi opinionione sua falsos deprehendunt: desiderijs agi oportet serijs perpetuendi pro Christo multa, & aspera quicumque Indias suspirant.] Ita quidem ille de molestiis corporis quæ deuorandæ essent in Molucis, quæ tamen earum sunt leuissima pars, quibus illæ nunc perspersæ sunt insulæ.

Goæ Patrum labores etsi larga manu, fortunaret Deus lætis successibus, quos modo retulimus; Sed his præmium adiunxit, Dei vnus ra-

47.
Conuersiones infid. in
Chorano insula.

tionem animarumque spectantibus alio quouis exoptabilius, Conuersionem videlicet Chorani. Est hæc perexigua continentis ad latus insula, semileucae spatio Goa distans, nec nisi quinque miliarium complexu. Sed habitatore si quæ alibi vsquam plena, in littoralibus maxime vbi palmis, plantisque aliis mire frugifera & amœna, medio vero minus ferax & aliquantulum aspera. Christianos censebat omnino triginta; cæterorum alij colebant serpentes; alij tumulos quos suis è cauis formicæ excitant; nonnulli quod primum iis mane occurreret; quidam etiam nihil & athei; plerique Brachmanes. Sed vna omnibus in ea colluie sectarum impietas. Quò ille ad vocem ethnici vnus prodigiosior imperus diuini spiritus, in fœcem hominum adedò profanam, ex qua die vno quinquaginta supra quadringentos, paulo post octingenti Christo nomen dedere, in hunc modum res acta perscribitur. Celebratum olim fuerat dum esset liberum, nuptiarum par ea in Insula, anno vltra sesquimillesimum septuagesimo primo; iis interfuerat vocatus ad eas Christianus. Sed vocantibus occultus, grandi alioqui sacrilegio daturis, confidere ad mensam cum homine Christiana sacra profitente, anni fluxerant duo, & Prorox Constantinus talium nuptiarum solennes ritus damnarat in posterum, cum deprehenditur qui ante biennium interfuerat nuptiis fuisse Christianus; perturbantur grauius propinqui, Brachmanes nuptias comuni consilio profanas, vitiosas, contra ius factas pronuntiant; matrimonium irritum, iteratisque ceremoniis integrandum, reuocatis prius ad sponsalia coniugibus. Ad hoc legitur secretum, & semotum à frequenti palmetum, vbi de integro multis coram rite omnia repetuntur. Verum Christianus eiusdem Insulæ, Deo magis quàm casu ducente illac præteriens rem omnem intercipit, eius indicium fratri cuidam adiutori ex nostris domestico facit, inquiruntur mox ad pœnam rei ob violatam legem tam seueris edictionibus sancitam, scelus enim adiutor Goani Collegij Reçtori Francisco Rodriguez, nuntiarat; qui expertus hos casus religioni Sacrosanctæ semper aliquem lucrari, nec fas ratus Brachmanis, tam securæ factum audaciæ impunè abire, Proregis mandato, capitalium cognitorem Chororum destinat Ioannem Fernandez cum apparitorum familia & Patribus duobus, qui ad animi necessaria præsto essent. Cognitor, vt erat religionis acer vindex, quoscumque reperit in vicinia palmeti capit, alios inuestigat, expiscaturus ex iis reorum nomina quos Goam secum abduci iuberet; cum ecce cordatus inter captos senex, eaque in insula dignitatis & auctoritatis præcipuæ, in medium prodit, motuque quantum dabatur intelligi diuino instinctus; quò inquit appellans cognitorem, quò tantum inquisitionum, vinculorum & strepitus? de nobis, Domine, ne labora, omnes enim Christiani sumus; inde tanquam suarum arbitrum, & interpretem voluntatum consecuti omnes, magnis se vocibus dicere Christianos; solutique mox percurrere insulam, iteratisque clamoribus profiteri se Christianos; idem quoque præstare quicumque occurrerent eorum parentes, amici & affines, iisque

vltro

Utrò eiusdem impulsu spiritus coniuncti ad quinquaginta supra quadringentos Patri se sistere, Christianis doctrinis imbuendos, cumque superuenirent aliis alij, perinde se inuicem alacres lætique accipere & amplecti, ut si bono diu pridem expetito non autem improviso potirentur; Volat Goam mutationis huius aded insperatæ cum epistolis nuncius, celebraturque vrbis communi lætitia; accurrunt sociis in subsidium Patres; adest quintiduo post ipse Prorex, cum nobilitate primaria, & Goani populi concursu numerofo ad cohonestandam sacri baptismi pompam: procedunt iis cathecumeni obuiam albo conscripti sub labaro quod Salvatoris picta effigies decorabat. Miris gaudiis disfluebat Prorex accedentes perlustrans, salutabat, stringebat complexibus, patronum iis se fore spondebat incomparabili affabilitate, nouas iam illis suo ære vestes curauerat, ipsoque illo die tinctionem illorum sacram sua præsentia musicorum choris, & multo bellicarum fragore machinarum ornavit, quas Goa illuc propterea conuehi iusserat. Prandio denique se perquam familiariter præbuit quod plus quingentis simul iisdem neophytis datum est. Fueruntque hi primores fructus Christianitatis Choransenfis, anno 1560. duodec. Kalend. Augusti Deo consecrati, tam lætis deinceps incrementis, nostrorum cultura ibidem aucti, ut cum illic primum, ut indicauimus, triginta vix essent Christiani, breui post tempore inito numero, triginta vix ethnici censerentur.

Chorano Diuar proxima est iuris & ipsa Lusitaniæ insula, sed ad dictissima idolis, & pari apud Brachmanes veneratione, uti apud nos terra sancta, peregrinorum affluxu frequentatur, hanc item votis ac precibus Patrum donauit Deus sub id tempus quo ad Ecclesiam venerat Chororum: Christi iugum subibat vniuersa ditio Goana; oppidum. Aufcinum, è regione Diuari positum, sacri fontis expertem habebat neminem. Ad hæc magnopere Brachmanes angi, stare ad portas legem Christianam; passu altero domi fore; id si procederet, admittenda necne? manendum illic, an migrandum quærendis alibi quietis sedibus? hærebant itaque dubij quid velle deberent potissimum, & fama iactabat adesse tempus quo vellent superi, religionis illic mutari statum, ut Chorani, & Goæ mutatus fuerat, nec abstituros voto Collegij Patres, nisi pedem Diuari fixissent, vulgo quin etiam de re supra fidem narrata, prouerbio erat, ne persuasuros quidem illam Societatis Patres, quo alludebatur ad eorum dicendi efficientiam ex concionum fructu toties obseruatam: in hac perplexi consilij agitatione donarium magnificum decernunt regionis illius celeberrimo idolo dedicandum, Canissum Deum nominabant, statua, templo, & sacerdotibus colebatur; trunco corporis humani caput ferebat elephantis; miræ apud eos de illo fabulæ, ante omnem memoriam temporum traditæ. Euam nondum matrem, dum laborioso incumbit operi, tam copioso sudore maduisse, ut largè terram infunderet; grauidatam mox sudore hoc terram, simulque puerperam, Canissum in lucem edidisse, infantem

47.
Conuers. in
Diuar insu-
la.

ætate, statura gigantem. Regressum rure paulo post Adamum consp-
 ecto ad vxoris latus homini ignoto, morsu præcipitatum zelotypo,
 nihil rogato quis esset? qua causa? quo modo, in mundum intrasset?
 caput amputasse, priusque ad Euxæ pedes filium concidisse, quam ortus
 eius exponere seriem licuisset: quod vbi per tempus licuit, errorem-
 que ex illa suum Adamus dedoctus est, luxisse vt par est admodum do-
 lenter, & medicinam vulneri, si qua in rerum natura lateret indagasse:
 quod autem homo alius nondum esset, cuius vitam ablatam in pe-
 rempti corpus transfunderet cogitasse ab alio quopiam animali reme-
 dium petere, tum vero, aui sua mala, comparuisse coram elephantem,
 cui armis ijsdem Adamus caput messuisset, aptassetque tam scite Canissi
 trunco vt duabus ex partibus mortuis coalesceret vnum corpus, quod
 simul homo & bestia, vt erant Brachmanes, delirij huius artifices, re-
 pente in pedes constitit huic igitur: Deo, publici nomine vexillo præeun-
 te ferebant anathema selecti iuuenes Brachmanis fere nati parentibus,
 sed dum sinu angusto ex insula continentem petunt, Lusitanorum in-
 currunt custodias, & Goam ducuntur sacrilegæ rei superstitionis quod
 essent vbique Lusitanici dominatus, pœnis grauissimis proscripti ritus
 ad cultum spectantes idolorum, pœnæ tamen loco Societatis Patribus
 permitteatur, à quibus suauiter vera salutis principia edocti, Chri-
 stum eius auctorem singuli paulatim amplexi sunt: adsunt paucis inde
 diebus Brachmanes Goam, quid factum filiis requirunt, tum de lege
 qua sint in posterum victuri; cuius ipsimet statim pulchritudine inci-
 cati, dum pergunt de illa curiosius scitari, sic ea percepta capiuntur,
 vt Christi lauacro enperent expiari. Paulo vero post viri aliquot gra-
 ues, & Frater Dominicus Fernandez cum traiecissent in Diuar insulam
 vt Brachmanum vxores Goam deducerent, illorum aduentum bonis
 haud paulo maioribus beavit Deus, quàm quæ ausi essent sperare.
 consulto vel casu Brachmanum offendunt manipulum, qui sublati cum
 voce brachiis, scimus exclamant Pater. Scimus cur huc transmiseris,
 sed enim erras ab scopo non parum; nam id agis vt omnes sigillatim, ac
 lentè nos tibi mancipis; at ecce in promptu tibi est, omnes simul vna-
 que opera occupare. En tibi in conspectu Diuar, hanc vis tuam esse hoc
 est Christianam; fiat & tua sit, nec enim sat habiturum est vestrum
 illud S. Pauli Collegium si partem eius Christo adiunxerit; nec ante
 cessarurum quàm orbem totum aut viderit, aut effecerit Christianum.
 His illi præmissis dum mentem explicatius euoluunt, comperiuntur, id
 velle serid, quod tanquam ludendo visi erant iactare. Ergo Fernandez
 ad Proregem, & Patres hæc refert, quorum octo absque vlla mora in
 Diuar transeunt, ac post legitimam institutionem, probè comparatos
 Prorege coram, & Lusitanis nobilibus, magnifico si vsquam alibi splen-
 dore sacris tingunt quingentos supra mille Brachmanes, Ganzares (no-
 men est nobilitatis indigenæ) & multitudinem populi numerosam, se-
 cuti sunt alij postea iuuenes octoginta Brachmanum filij, olim à pa-
 rentibus

rentibus in continentem missi ne quis ad Christum eos pelliceret, tunc ab eisdem in Insulam reuerti, eandem cum iis baptismi lucem adepti sunt.

Deerant huic messi littoralia continentis Salsætæ, ad ortum Goæ obiacentia, in quibus qua villæ qua pagi sexaginta Luitani iuris, sub arcis munitissimæ tutela. Numerus incolarum quinquagies mille, rari admodum Christiani, ethnici nimirum, & Mauris nimium vicina mediterranea late tenentibus, qui præter sectarum suarum propugnationem, per paucos illos sic fœdant Christianos, vix vt aliud præter nomen, illos ab infidelibus discernat. Verum enim vero vbi annuit Deus, perumpit eius gratia quicquid obstat. Penetrauit se illuc etiã & diffudit ministerio Patrum, Christi fides, ac licet non ad eod turmatim, & insularum simul integrarum conuersione id gestum sit, multis tamen ex omni ethnicorum & Saracenorum genere millibus, Christianorum numerus auctus est: quam in rem momenti plurimum habuit, morborum, supra naturæ vim mira curatio, cuius facultatem nonnullis Patribus Goa illuc missis Deus tribuerat: hi corporibus infidelium sanandis, vnâ & animos sanabant, & de potentia Sacramenti baptismatis, & Christianorum Dei clementia, cogebant omnes sentire magnificè. Profuit huc item maiorem in modum Patrum suasio, de nosocomio quod Goæ habebant Marganum transferendo, quod illic inter maritima, insigne est oppidum, aperta enim vniuersis domo quæ infideles indiscriminatim vti Christianos, ægrotos admitteret; prodenteque se in eos Christiani moris illa incomparabili charitate, stupere scilicet barbari; assueti ægrotos etiam filios domo projicere, nisi beneficio naturæ citius sanarentur; & ad eam legem intimè affici quæ in hostes quoque tam esset benefica; sani demum interdum miraculo magis, quam medendi arte, deprædicare illam in patria, & Patres mirifice apud suos laudare, longe alios ab suis Cascigibus, & Brachmanis, tum potestatis diuinæ munere, tum omni vitæ morumque ratione; hinc Patres denique cum eos adirent ad promulgandum Dei verbum, & audiri ab iis reuerenter, & magno auctoritatis pondere persuadere quæ docerent. Ita sensim de solo sterili læta seges; hinc mille, inde octingenta, plura etiam alibi capita vitæ fontibus lustrata Brachmanum fermè, & Ganzarum: apertæ scholæ in quibus pueri Christiana discerent rudimenta, quibus accuratius imbuti, portento par esset si vnquam ab iis desciscerent. Fundatæ præterea nostrorum stationes & templa in pagis multo populo habitatis, vnde variis excursionibus Euangelij rete in finitima mittebant, redibantque noua semper captura ditiores, ad celebrandum suis in templis eorum baptismum quos lacrifecerant, sed longe numero, sumptu, & opere aberant hæc templa à basilicis Pagodum, & Mahometi: superbis molibus, & elaborata simulachrorum enormium multitudine visendis, ex quo illa aduersus Christianos exprobratio infidelium perpetes, æstimantiũ & prædicantium magnitudinem cuiusque Dei de mensura

48.
Labores, &
fructus Soc.
in Salsæti.

sura illius simulacri; & meritum illius adorandi, ex templi quo adorabatur præstantia. Quæ res neophytos luti crassioris ingenia sic turbabat ut ad eam offenderent, nutarentque in suscepta fide, ac de repetendo idolorum cultu cogitarent; alios vero nondum Christianos, exterior illa fucum oculis obducens species, retardabat summopere ab simplicitate cultus Christiani, nec tacebant Patres huius offensionis, damni-que conscij, sed querelas Goam mittebant assiduas, quæ paulatim licet, tandem omnia euicere. Nam ab Antonio Noronnia Prorege, impetrauit P. Franciscus Rodriguez decretum salutare, quo vetabantur in posterum templa idolis poni, çaduca vero & vetera fulcini aut refici; & frustra Brachmanes, è Salletis Goam gregatim venerunt Deorum suorum nomine, expostulantium scilicet, ac metuentium ne templorum suorum opprimerentur ruinis, aut cœli saltem iniuriis, soli pluuiæ ac ventis paterent; responsum tulere quale stultos decebat rogatores, quare in Salfetas reuerfi conuasare in currus, vehicula & humeros, quæ inter idola obseruatione æmulabantur singulari, secedere in continentem interius, & sedes illic statuere ab Lusitanorum imperio semotas & liberas. Sed multo peius, aliquot in pagis cum iis actum est, ubi ob conscientum aduersus Christianos tumultum, pro tribunali Goæ damnati sunt, æquata solo eorum fana, & conscissi Pagodes, ipsomet arcis Racholi præfecto viro piissimo, enses ad hoc, manumque commo- dante. Exterminauit denique luem illam anno 1567. idem Noronia quem si re præterea nulla suam probasset pietatem, iure æterna maneret memoria. Verum is Indiam dum rexit, religionem sacrosanctam multis magnisque officiis tum fuit, tum latè propagauit. Fuitque hic potissimum fructus meditationum S. Ignatij, quæ Goam ex Lusitania nauigans, viginti dies, Ramiresio ductore obiuit, clausitque accuratissima retroarctæ vitæ hexomologesi, ac longe ab iis diuersum se postea præbuit qui flexo Bonæ spei cornu, quam de se cuique in Europa opinionem bonam fecerant, in oppositum flectunt; velut ethnicorum littori applicantes, desinerent esse Christiani. Conceptum in nauis virtutis propositum tenax secum in terram pertulit, ac ne qua vanesceret aut teperet, altera quaque hebdomada, confessione sacra apud eundem Ramiresium instaurata firmare consuevit. Ducentorum octoginta templorum initus numerus in tractu Salletano, quorum euersione ac ruderibus ipsorum idola sepeliuit, præter ædiculas infinitas cum suo quamque obscuri nominis Pagode, euersionis huius initium factum est à famosa, & propudiosa basilica, non tam scorto illorum antiquo, & infami dicata, quam abominandæ adoratorum eius libidini, eius enim sacrificia publicarum prostitutione fiebant meretricum, quæ illic de publico alebantur, ut promiscuæ adeuntium ad templum turpitudini seruirent. Expeditionis egregiæ auspex P. Ludouicus Goes, cum præfecto Lusitano, simulacrum gigante immanius in frustra conscindunt, basilicam subruunt; ac ne vllæ de templi prostrato cadauere flagitiosis ethnicis

ethnicis restarent ad venerationem reliquiae, vel restituendum aliquando confiderent, eius loco crucem excelsam attollunt; quibus hostium Christi deiecta superbia; Christianorum erectus pudor, antea iacens & meticulosus, tunc alacer, triumphantique pars, cum sacras suas aedes quamlibet inopes cernerent non iam ethnicis irridendi, sed inuidendi materiam factas. Fidei porro ius non Proregis solum praesidio & auctoritate promouebant Patres, sed sua etiam, ubi Dei causa, & animarum illam exigeret, nec Euangelij tantum praeconio, sed adeundi constanter vitae periculi, quales esse decuit pastores bonos, qui oves ab se in Christi collectas, & adscriptas gregem, per sua tuentur discrimina; & quidem historiae quod ducimus filum, dabit conspiciendos lectori athletas à Societate generosos, quos martyrij vnus diuersa mors beato sine coronauit: ab iis interim de quibus agimus, nihil ultra carcerem, & vexationes, & tantillum sanguinis admisit Deus, quod minus egerent morte ad gloriam, quam ad salutem animarum, & amplificandam Ecclesiam, vita illorum egerent Christiani, Baltasari Gago feliciter obtigit ut in Saracenorum incideret manus, catena onustus Pondæ Domino sistitur, legi Christianae crudeliter infenso, sed maxime Patribus, eius propugnatoribus, & ministris, quorum opera in communi illa quam explicuimus sanorum strage, duo in cineres redacta fuerant praesentibus aliis clara.

Sed de morte quam operae praemium à barbaro illo expectat, spem solam retulit. Proregis pietas, palmae illum operatae subduxit, dum restituit libertati, interceptos enim quos Patre permutaret, minatus se ferro vlturum quicumque illorum degerent in Regis ditione, ab vltiori Patris iniuria illos deterruit: frater Petrus Alcazena, inter idolorum cultores profectus, ad neophytorum consignanda tabulis nomina, vidit sibi ad latus confici Christianum itineris sui feruidum comitem, petiturus & ipse eadem laniena, nisi conscindendo comitis corpori occupati hostes, tempus illi ad fugam praebuissent; idem P. Petrus Colazzius adiit discrimen: ex praesidio Racholensi, Curtalem contulerat sese, ut morti proximum Brachmanem viseret, & iuuaret; eo adduxit hominem, ut genitalibus ex aquis renascens, mortem aeternae vitae adeptione praereteret. Colazzius alio Brachmane populum in seditionem proritante, sagittis, & lapidibus occumbebat, nisi eius comites Christiani, excepta peltis, & corporibus propriis ab eo vulnera auertissent, saluumque tandem arcu vnde exierat reddidissent. Ibidem scelesti & sacrilega natio, Christianorum viginti succendit domos, spoliatosque ipsis etiam vestibus, probro publico obiecit, hoc solum magnae gratiae imputans, quod vitam iis saluam (nam erant cognati & affines) donaret: calamitate illa ignominiosa, tristes & afflicti Patrem conueniunt, sibi sacris in rebus praepositum, qui suas eorum lacrimis, & dolore miscens, paucis illis quascumque nancisci potuit vestibus illos texit; inde consolaturus illos solidius in sacram aedem secum duxit, rem diuinam parans

coram iis facere, at ecce iisdem ab impiis nudatam omnibus dum vident, luctum ex illata Deo iniuria quàm priuatâ suâ acerbius integrant. Verum aliud Christi Sacerdoti litandum sacrum imminabat, proprio sanguine obeundum; iidem die proxime sequenti adoriuntur illum armati ethnici, iisque conterunt, & configunt plagis, vt mortuum crederent, viuum illorum ingratis seruauit Deus; Goam in linteo ab Christianis reportatus, curatione dierum quadraginta conualuit, moxque vt ingredi potuit in campum redire, ex quo faucius, & semianimis elatus fuerat; vitam pro salute animarum aut pro Christo mortem in promptu habere; vna ingrati soli cultura difficili, & maligna vehementer dolere quæ tam auare diuturnis coloni sudoribus responderet. Quod aliquando apud se tacitè dum gemens queritur, & de montis edito Curtalem spectans, sementem recogitat, tam laboriosam, tamdiu in agrum impenetrabilem frustra mitti, audit ima ex valle de repente vocem pueri incipientis, *In nomine Patris, & Filij & Spiritu sancti*, pergentisque cantu seicè pertexere reliquum doctrinæ sacrosanctæ carmen, prout ab ipso edoctus fuerat, qua voce mirè recreatus, animari se maiorem in modum persensit, ad labores in eius populi salutem fortiter integrandos, velut sibi ore, cantuque pueri significasset Deus, haudquaquam illo in cassum effundi, nomen strenui huius operarij non produunt, monumenta illorum temporum; Petrum Mascareniam posterij putarunt, sed hic anno 1571. in salsetis operam locauit, hæc autem quæ diximus, sexto supra sexagesimum gerebantur, quem Mascarenias miliaribus Goa quater mille disunctus, in tractu Celebes, & Molucis ducebat.

Erant hæc virorum eiusmodi vnica voluptates, coalescens in barbarorum mentibus quos instituerant, & adolescens fides, pietatisque Christianæ fructus edens: recreabant illos teneræ illius Christianitatis quasi primitiæ, quæ possent tamen in veteribus Christianis admirationem promereri. Nam ex neophytis complures, sacro vix balneo expiati, fiebant statim Euangelij præcones, lapsoque mox hebdomadæ spatio, chorum ad Patres ducebant vernaculis organis variarum tubarum, tibiærumque fistum & hilarem; cultu omnes decoro, sed aliquos aureis è collo torquibus insignes, omnes læto cantu baptismum poscentes, & ad eum optandum à neopytis persuasos, in quibus fuit qui vel anno tantum aliquot centena, Christi sanguine abluenda solus perduceret: agebat fere singulos hic ardor, nec prius sinebat quiescere quàm propinquos omnes ad Christum pertraxisset, sequebanturque catenatim, filij parentes, mariti vxores, sorores germani, quibus alij affinitate aut sanguine procul etiam iuncti societate fidei coniungi ambiebant, & Christi obsequio gratiaque connecti: qua in re feruidam neophytorum caritatem, mira quædam plurimum illustrarunt: fuit qui senem & moribundum patrem à lecticariis Goam portandum fatergerit, quo illic nostrorum monitis, amicorum hortatu, populi apud illum rationibus, precibus

cibus apud Deum reuocaretur ab inferis, quò præcipitabat miser, autis obstinans erroribus immori. Magno erat quibusdam redimenda ad Christum conuersio, patebant iniuriis & conuitiis vulgi, vexationibus parentum, vulneribus, fustibus, domo extrudebantur, eiurabantur à patribus filij, sorores à fratribus, destituebantur in publico, nemine si contingeret ægrotare, opis aliquid conferente; aut panem famelicis porrigente, cogebantur ergo deserta patria, & paterno lare, aliò commigrare vbi meritoriam locarent operam, vel se dominis in seruos manciparent, quæ ipsi omnia ingenti animo mallebant perpeti, vitæque adeò iacturam, (vitam enim quibusdam eripuerunt Saraceni) quàm spebus excidere præmiorum quæ certo norant in cælo sibi reposita: pergebant itaque nihilo timidus, centum oculis ethnicos scrutari, & vbi-cumque comperissent reuerentiam idolo adhiberi, indicium illico Patrum cuiuspiam faciebant, præbantque illi ad rei domum, vbi pagodibus frustatim comminutis, dominum ædium, & quorquod adstarent superstitionis impiæ conscios, Goam vinctos trahebant, pœnas lege sancitas luituros. Rescitum eorum indagine, numerum simulachrorum grandem, subterraneis latebris sepultum à Brachmanis, Pagodem præferunt, Gounatum nomine, insignem à quo etiam tutelari & patre Goam dictam volebant, cum iis P. Almeida refodit eam luem, obtrititque minutim idolis, eorum puluerem in auras sparsit, noctu Goa, Chorano, & Diuare insulis tacito remigio continenti Sallerarum, & Bardes applicabant, & nominatioribus idolis, haud sine præsentis vitæ discrimine suo fano detractis, & dispulueratis, loca eorum sacra, vaccinis carnis profanabant, quas pro diuinis Brachmanes venerantur, cumque offensi dedecore barbari, vindictam molirentur, excubabant ad cruces egregiè armati in omnem incursum neophyti, expediti ad omnem iniuriam, proprio sanguine ab iis defendendam. Alloquebantur Patres interdum de genibus, sublatisque in cælum manibus, quod cum facere varentur, aiebant, se illos non posse parcius honorare qui sibi auctores salutis extitissent, nec sinebant illos, ethnicorum, Maurorumue confinia ingredi nisi sua septos custodia: ex quo primum diuino prodierant balneo, instinctu statim hospitij & benignitatis in pauperes ferebantur, sic ut pagi recens baptismo tincti, quandoque mutati noscomiis viderentur, domo quaque commoda vel egente Christianis pauperibus aperta, inualuerat in multis pietatis genus aduersus Deiparam vt noctem Dominico præuiam, ad fores eius templi dormirent, alios pudebat in extremis iacentes, regem omnium Christum sua tuguria subire; volebant à vespillonibus aut lecticariis in templum deferri ad sacrum Viaticum, & fuit qui coram altari illic animam efflaret. Brachmanum quos Euangelij lux altè infuderat, quidam in magna templi frequentia, è loce eminenti, veniam petiere, peremptarum à se animarum, superbo, & auaro, mendaciorum, & fraudum præconio: alios itidem Brachmanes pius feruor in certamen agebat contra suos olim collegas, & socios,

quibus loco ut maxime frequenti, & publico, sua obieciabant flagitia, & fallendi artes, ex quo ad mentem frugemque alij redibant; clauderant alij oculos & aures bene monentibus, & erubescerent, execrati- que populo abibant. Unus suo in oppido perhonestus, mercedem hanc sui erga Christum amoris & studij petiit ad nobilitatis suae incrementum, ut ex officio lege sibi perpetua tributo, exeuntibus e Christi lauacro pauperibus, sua ipse manu indueret calceos, & aptaret; quod tam alacriter diligenterque peragebat, velut miseris illis humilitatis obsequium non praestaret, sed delato sibi ab regni primotibus honorifico munere frueretur. Postremo de pueris baptismo recens adoptatis, & eorum virtute minime puerili nec pauciora supperent, nec minora; omnium instar sit, venisse ethnicos, etiam ex Brachmanis, qui nostris Patri- bus suos traderent filios, adderentque, hunc, Pater, improbum, & per- uicacem filium tibi dono, fac tu illum Christianum; malo tuum esse ac bonum, quam meum, & improbum; tanta vis erat primigeniae Baptismi gratiae, haustaeque ab nostris Patribus disciplinae, iidem quin etiam, ut de viris aiebam, repente ex discipulis magistri, percepta nuper fidei arcana, certatim alios docebant, pugnabantque insonti aemulatione illorum numero quos sacris tingendos adducebant inuicem superare, quod Patrum molestias incredibili diluebat consolatione, dum aduentan- tes conspicerent, cum sua quemque sex eiusdem aetatis aut plurium tur- ma, quos ab se fidei edoctos rudimenta, canentes, & alacres, poscen- tesque baptismum, Patribus stabant; quodque magis mirere, inductos etiam ad fugam, & relinquendos cum domo parentes, ipsamque pa- triam; nisi, quod saepius accidit, ipsi quoque parentes, conuerterentur a filiis. De his enim Goam inrerrogaturi quid rei sit veniant, vident- que illos expectatione baptismi tam alacres, audiunt vero (quod primum iis praelegitur) de tormentis eorum narrantes, quoscumque extra Chri- sti legem mors deprehenderit, flectit scilicet tenere, metu simul, & af- fectu permoti; manentque vltro in Schola eadem cathecumenorum, fidei tiro- nes, & condiscipuli filiorum: quibus autem modis, & praeter solitum quam miris, quosdam ex tenebris, in lucem Deus educeret, praesertim nonnullos conditione singulari, spectabiles res est propter efficientiam diuinam in iis gratiae stupendam, quae nostros caelestibus im- plebat delitiis: prolixi fuerit, nec necessarij operis, ire per singulos; pau- cos seligam scitu digniores.

49.
Conuer-
siones mirabi-
les, & singu-
lares.

In his primi veniunt senes duo, quos inde scribit ex Patribus non ne- mo, aetate canitie, orisque totius venerabili grauitate Enochum & Eliam referre potuisse, alter fuit annorum centum & viginti; duorum & triginta supra centum alter; Goam vterque recolebat sub imperio triplici vidisse, regum Canarinorum, post Maurorum, Albuchercij demum a quo Lusitanicae coronae inserta est. Fortunatum hoc decepitoru par baptismo se obtulit, nostroru manibus lustrantur, vniuerso plaudente populo, gaudenteque, annos quinquaginta & ducentos in iis quodammodo expiari;

expiari; sed multo effusius cum prodidit se effectus insitæ illis per baptismum primæ gratiæ, præsertim in eo qui metæ propior; velut enim ætatis reuocato vere, vt erat animo renatus, sui satis non capax gaudij, exiliebat, gestiebat, deprædicabat admirans cum lacrimis, & gratias agens, productæ sibi tandem ad hoc vitæ, vt breui eo quod sibi supererat assequeretur felicem, & æternam: opposita senibus infantium ætas, sed idem cum iis beneficium gratiæ, periculosè ægrotautes, deferebantur a parentibus ethnicis in nostrum S. Pauli templum, humique depositis (qui ritus illis est commendandi se Deo) sanitatem, & vitam elatis brachiis precabantur, sanatos eodem reponabant, & relinquebant loco, velut rem iam minime suam, sed in posterum sancti Pauli, per quem cum viuerent, æquum esse vt illi viuerent. Quoad cæteros in extremis agentes ægrotos, tam crebra sui argumenta, præbebat Dei prædestinatio, vt è nostris sacerdos, aquæ vasculum semper ferret, ne ministrando subitis casibus baptismo deesset. Proiecti enim ad arbores, mediis in syluis occurrebant, quibus tantillum restabat spiritus quantillum ad petendum baptismum, vel admittendum opus esset, qui tincti mox vitæ futuræ aditu latiores, quam præsentis exitu dolentes expirabant: inter hos fuit anus decrepita, quam ex adiutoribus nostris vnus syluam traiciens, humi reperit iacentem, & animam efflantem, inhærente lateri filia, & multo ploratu, verbisque ardentibus instante vt baptizaretur, cum eò solum momenta vltima differri anni viderentur dum missus cœlitus adesset qui salutem miseræ conferret: sermone patrio monita vt vellet Christiana mori, confestim annuit, idemque illi articulus baptismum, & vitam beatè conclusit. Quod beneficium, acceptum filia post Deum debetur, hæc licet idolis seruiret matrem nihilominus hortabatur ad æternam salutem sacramento baptismi capeffendam, sed volenti parabat aquam dumtaxat affundere, quod verba baptismi solennia nesciret; his superuenit adiutor noster, & certò persuasus non se fortuitò, sed Deo mittente, ad eius salutem illac du: statim illam quærendo baptismum inuenit morigeram, defunctæ cadauer, nefas ratus feris permittere, cuius animam è dæmonam faucibus vindicarat, piæ caritatis officium, religioso funere absoluit: nudum enim ex vsu regionis, lacero pallio inuoluit, & qua suis, qua Christianorum comitum humeris extra syluas elatam, ad crucem humauit in horto Lusitani fixam, quod duabus hinc leucis ad Christianam sepulturam locus sacratior non esset: miraculo fuit ethnica filia tam ampla Christiani amoris significatio, eaque sic emollita est vt hortanti ad Christi laucrum fratri nostro autem, & animum haud ægrè præbuerit, cui dum ex more comparatur, matronæ nobili Lusitanæ custodienda committitur. Non minus alteri opportunus venit vnus è Patribus in ædes illius ingressus: erat is artis fuloriæ opifex, ad eum Goa negotij causa, notum videlicet adibat Pater, hominem reperit ex morbo cum morte luctantem, circumstabant Brachmanes, cauda vaccam tenebat, religiosè admodum moribundus, quam illuc scelesti induxerant. Dogma enim

Brachmanum olim notauimus qui caudam illius sacro sanctæ, & venerabilis bestię, manu tenens obiret, eum omni purgatum culpæ labecula, in beatam quietem recta ex corpore transire: tam deformi spectaculo Pater indignans simul, & miserens, summo imperio extrudere ædibus illam animalium turbam, belluinos, inquam sua cum illa vacca Brachmanes, tum ad aures ægroti, mortem proximam intonare, patere inferos, ab iis ipsum longius non abesse, quam breui quod illi residuum erat horarū spatio, rediret ad se dum licebat, missam à Deo æternæ salutis & gloriæ quam illi deferebat occasionem pronam & facilem ne vellet decoquere, seque ipsum in perpetuum perdere; hæc, & similia tam necessario tempori apposita, dum aures morientis spe metuque validè quaerunt, imprimuntur à Deo altius in miseri animum; visus reuiuiscere mente ac sensibus, Deum verum agnoscit, Christum constituit, spem salutis in eo totam ponit, rogat sancto eius lauacro expiari, cuius statim effectus compos tribus inde horis viuere desit, & hæc Deo largè propitio Brachmanis extorta est præda. Verum tot inter sodalium milia quod ipsi Brachmanes nostris cesserint in prædam, & quidem aliqui sanctimonię fama & auctoritate vulgo magni; hoc vero nisi miraculo diuinæ beneficentiæ tribui non potest, haud paulo profecto luculentiori, quam si totidem mortuos, potenti imperio excitassent. Horum è numero celebrabatur omnium sermone iuuenis Goæ natus, sublimitate ingenij, rituum suorum, arcanorum, & sectæ perspicaci, curiosaque peritia, seniorum nemini secundus, congressu ad hæc urbano, & commodo, utpote nobilium moribus assuetus, proinde omnibus suis æquè & nostris carissimus; illis ad erroris sui firmamentum, his ad eius euerisionem, certatim illum prensantibus, & fatagentibus illum à se habere: quamobrem Carnerus, alijque de Collegio nostro viri docti, quibus familiariter Brachmanes utebatur, ubicumque se daret commodum lacescebant hominem amica, sed stricta disputatione, qua demum post varios conflictus, errore agnito baptismum flagitauit, idemque secum ut peterent parentem vtrumque, & natu minores germanos tres adduxit, tanti res ad religionis incrementa & Dei gloriam momenti, Collegio incomparabile gaudium, sed breue attulit.

In ipso apparandi baptismi feruore medio, Brachmanes (quo instinctu incertum) fidem fallit, dilapsusque ex oculis, in Salsetanam transit continentem, longius à Patrum conspectu occursumque victurus. Sed ab se nimirum abire longius nequiuit, inuenitque etiam in Salsedis à quo illa audire cogeret, quæ Goæ non sustinuerat audire; sui nempe, ac veri conscientiam, cuius improbus clamor, noctes illi insomnes, & dies sollicitudine anxios trahebat, nec ad eam sedandam proderat lis vlla, & importuna secum altercatio, hærentibus lateri, sempiterni veri telis mordacibus, quæ de Patrum conflictu infixæ retulerat. Sed quanto lucem pertinacius auertebat ab sese & oderat, tanto suam impugnantem talpæ cæcitatem voluntariam manifestabat apertius & præcipitij lubricum quo

quo miser abripiebatur ad inferos: domuit tandem veri lux incluctabilis duritiam pectoris, & de se ipse fortiter triumphavit, Goamque reprensus, dedit se integrè nostrorum manibus fingendum; inter quos ut vitæ quam incipiebat profiteri Christiana modestia, & humilitate præluderet, baptismi solennes vitavit ornatus, optavitque in sacello nostro domestico coram Patribus lustrari, cultu quidem pro persona honesto, & nobili, sed bombicinis reiectis, & holosericis, & aureis de collo torquibus quibus Constantinus Prorex solitus erat illustres neophytos donare. Nouo ortu Manuëlis nomen genialibus ex aquis tulit, egitque inter nos aliquandiu magistro P. Francisco Rodriguez. Cum hoc multas quotidie disputans, & audiens sumebat horas, magnis ad suprema fidei arcana profectibus, tanta insignis discipuli laude, quanta optimi præceptoris. Inde in sacras noui & veteris instrumenti tabulas inductus, rerum ordinem & progressus à prima origine ad redemptoris aduentum didicit; tum huius essentiam, virtutem, promissa miracula, potestatem, præcepta consilia, sublimis omnia, & inexhausti argumenti, summæque ingenio capaci, quale fuit Brachmanis delectabilia: quantum ea in schola promouisset, religionis ardor non distulit prodere, mox enim Brachmanicæ sapientiæ fabulas componens cum Euangelicæ Theologiæ placitis, opus instituit quo vtraque mutuo sibi opposita, legenda publico ederet, sapientissime coniectans Christiana effata, per se absque vilo prope certamine triumphatura de Brachmanicis commentis, mox ut solum discrimen inter vtraque legeretur.

Ad hoc, opus erat Brahmanum codicibus auctoritatis plenissimæ, & commodum, propior Brachmanes in continenti habitabat, qui iam octennio totus erat, in perquirendis eiusmodi scriptis, compilandoque ex ea colluie mysteriorum, & rituum corpore, ad naturam deorum cultumque spectantium, quam in re lectissimam multorum annorum industria bibliothecam sibi collegerat ex antiquorum doctissimis concinnatam; Gita Veaco præcipue, excelso Theologo (utque ij somniant propheta) qui diuinitatem voluminibus decem, & octo ita explicuit, ut pro canonicis ea venerentur. Manuel itaque flocci pendens quicquid hinc sibi exitij institisset, decreuit hos libros Brachmani auferre, bonaque Proregis venia, cum duobus tribusue sociis pariter animosis, in continentem quam occultissimè traiecit, illic de loco & domo Brachmanis certior, incautis omnibus de media nocte, incustoditum eius musæum subit; libros pro arbitrio, & quicquid libuit scripturarum seponit, iniectoque humeris comitum, furto pio lætus ad Patres regreditur, erant in iis præter Veaci volumina libri recentiorum & veterum complures, ipsæque miseri Brachmanis lucubrationes, quas mane repetens, dum & illas, & quicquid præterea cartarum fuerat sublatum inuenit propemodum etiam præ dolore iacturam cerebri passus est. Sed enim Manuël in nostro Collegio meliores in vsu illas conuerterat, incumberebat iis emedullandis perpetuo, transferebatque in linguam Lufitanam arcana, quæ vetant Brachmanes quibusuis præterquam sibi propa

propalari; his Gonzalus Sylueria & Franciscus Rodrigues, responsa idonea ad latus opponerant. Prorsus Goæ Aulæque assueti Brachmanes si tantum de homine ratiocinando habuissent, quantum de pecude viuendo, suæ inde certò & liquido conscij cæcitatibus manum luci dedissent, vt ab iis propè iam præstitum fuerat, quicumque in Chorani, & Diuatis insulis Patrum doctrinam audierant: Sylueria enim & Rodriguez eorum mysteria cum tenerent scientissimè comprehensa, obtinere à Prorege, vt exilij pœna, Brachmanes cogeret diebus dominicis in tria ciuitatis templa, disputaturos si vellent; sin minus, audituros, de falsitate suæ superstitionis, fuitque imperatis parendum, quantumuis & ipsi iussis infremerent, & Christianorum etiam aliqui niterentur ab iis Proregem diuellere, quo priuatorum studio lucrorum Brachmanis gratificarentur. Conueniebant ad nos, horum plusquam trecenti, nobilitate, doctrina, muneribus, singulariter spectandi, templi reliquam partem implebant Christiani, auida successus expectatione: obtinebat Rodriguez campum: Brachmanes principio animosè aleam tentabant: at vbi aduertunt armis propriis se peti, cælique inde lethalius vnde sibi plus defensionis præsto fore putarant; cadunt animis scilicet, maluntque se indoctos, & ignorantes quam victos fateri. Quare vbicumque, suis ipsorum reuinci se paginis sentirent, tanquam ictu transfossi decumano turbulentis clamoribus querebantur, defensorum inopia opprimi veritatem. Se aulæ assuetos, non academiis; nobilitatis artibus, non Philosophicis; abundè alibi magistrorum Brachmanum, & sapientum esse, qui vel decertando vel dicendo, Christianorum, cederent nemini; se vero ad illos prouocare, sed interrogati, cur eos aut non producerent, aut ij non vltro in campum prodirent, aiebant illos abesse longiùs interiora incolere semotæ continentis, & montes ac solitaria Bisnagæ, sic argumenta & petitiones vrgentium exhibant scelerati, nequaquam tamen infamiam, & populi sannas, vt etiam pueri falsè luderent occurrentes, deferrentque suam iis operam ad accersendos è Bisnaga Brachmanes, & iacerent in illos dicteria, velut ex æquo mendaces, & ignaros, cumulabat plebeias insultationes exprobratio Manuelis feruide Patribus suam operam commodantis: cum enim Patrum argumentis pressi ex Veaci doctrina petitis, effrontes negarent, doctrinam apud Veacum legi, damnabat illorum perfidiam Manuel, proferebat concepta quæ negauerant loca, vernaculo primum, post Lusitanico sermone, addebatque adhortationes caritatis ardore, & veritatis lumine accensas, ex quibus saltem se homines esse non quadrupedes meminissent. Verum oclusere pertinaciter lumini oculos ne viderent quod probare, & amplecti nollent quæ peruicacia Proregem religionis, & iuris officio obstrictum perpulit, ex iis quadraginta simpliciorum deceptores, & patronos deorum colendorum exterminaret è sua ditone. Quanquam ira prosterni scelestissima factio minime valuit quin suis licet distracta firmamentis, tamen consisteret, indignantibus

iure

iure Christianis, & Euangelij ministris, quoad paucis post annis Sebastianus Rex eam demum funditus euulsit: paulo quidem serius, sed mira extitit, alia Brachmanis ad Deum conuersio, ex iis quos Iogos nominant, iuuenis erat annum assecutus nondum trigessimum, liberali specie modestus, & supra quam soleant Brachmanes & lingua compositus, & loquendi parcus: nudum nec affirmasset nec veste contactum; vestis enim illi dissecta magis quã pannosa, & quã patebant de corpore, malè constabant cum pudore quem eius paupertas præferbat, intererat scilicet vt carnes ostentaret: nam crura & brachia; manuum pedumque articulos, ferreis adstrinxerat annulis; aures multo vulnere foratae, infixis horrebant lignorum schidiis, mentum, & caput sic raserat, vt vnã à vertice solutum capronæ sat cultæ defluerent. Pendeat è Zona lanx ænea; & syphus: ex humeris sarcina, thesauro diues, reliquiis, si superis placet peregrinando lectis, denique Melinam de collo gestabat, auem manu altera mortuam, sed pennatam, altera cornu venatoris, quo portis vrbium iam factus propior, aduentus sui signum dabat, vt conflueret populus ad visendum honorandum & stipem ferendam. At is qualibet ab se vel captata vel desiderata stipe nactus est in Salfetarum pago pinguiorem: incolebant illum neophyti quos instituerat, regebatque P. Antonius Fernandez. Hi Brachmanem dum vident, tam insolenti specie deformatum, rati sibi ab eo tumidè insultari, superbã iactantiã vitæ pœnitentis; hominem inuadunt, trahuntque ad Fernandez editurum sui rationem. Interrogatus quid? cur hoc habitu, nuditate, tot è ferro circulis ageret & spectaret; demissè respondit se peccatis onustum, vexando corpore, & peregrinando, scelerum veniam, & animi salutem à Pagodibus quærere, quod tam ingenuè atque ex animo simplex iuuenis respondit, vt misertus Fernandez cæcitati eius illacrimaretur. Inde aggressus errorem eximere, docuit frustra sperari salutem & gratiam, quamdiu verum Deum, & Christi Iesu fidem ignoraret, tot illa quibus se discruciat, etsi forent centuplo duriora, nihil posse ad illum æternis absoluendum malis: quibus auditis consternatus est quidem vehementer, sed enim misero bonitas diuina non defuit, & salutem suam sincerè exquirenti lucem veri ac boni repente affudit, tantaque id efficientia gratiã vt mox poposcerit annumerari Christianis, quod ne ambigeretur serio præstari, à Fernande dimissus in forum se confert, sequitur ponè Christianorum turba, quo euaderet expectans; ille media in platea ignem excitare luculentum, inde illas suã inanis pœnitentiã phaleras sigillarum sibi detrahere, membris excuterè circulos, scutulam, Syphum, sarcinam, cornu, cœtera in fascem colligata igni tradere absumenda. Gaudere ad hæc, acclamare, plaudere Christiani, amplexibus, osculis votis felicibus prosequi, & prope brachiis ad Patrem reportare: exiit illis suarum vestium segmentis putribus, & decenti habitu honestatur, dumque se sacrum ad fontem comparat, sumptu alitur publicæ caritatis. Tam porro excellentis charismate fidei

auctus est (id forte magnanimo abdicati Iogui factò promeritus, & professionis Christianæ palam ac publicè editæ & in ore suorum Brachmanum execrantium fieri desertorem quem veneraturi adfluxerant) huius, inquam, masculi roboris iure præmium censeatur, is fidei ardor, quo nondum sacris vndis aspersus, suos saltem propinquos ab errore cultûs superstitiosi decreuit abstrahere: accepto igitur à P. Fernande in patriam facili comiteu; quod nouo, sed forti animo nihil periculi timeretur; proficiscitur, secumque post dies aliquot, matrem cum fratribus adduxit, qui omnes deinde solenni læritiâ, baptismo simul lustrati sunt. Sed traductionum huiusmodi ad Christum historiam non texo, vel solæ quas maior admirabilitas commendat, stylum fuderint extra omnes metas. Regiæ Virgines, Deorum artis innutritæ, atque ab Regibus Saracenis in matrimonium petitæ, Christianæ fieri ac dici quàm Regiæ constanter maluerunt: adolescentes nobiles minantibus reuulsionem vitalium parentibus, si de lege mutanda cogitassent, obtulere illorum gladiis nudum pectus, eaque fidei generositate parricidas suos in sui amplexus non modo rapuere, sed duplicata victoria, sacrandos Deo ad sanctum baptisma, secum perduxere. Hostes sæuissimi professionis Christianæ repentino impullu diuini Spiritus, pro illa sanguinem in promptu habuere, quam iras insectabantur atrocibus paulo ante. Brachmanes illicio muneris in aula quætuosissimi, & ab se plurimum expetiti diu nunquam expugnatus vt Christo nomen daret; instinctus postea melioribus consiliis, & Sacramento salutis ablutus est, & magno animo quod tantùm ambierat lucrosam munus delatum reiecit, aiens se id optasse dum ad æterna cæcutiret, & felicitatem aliam nesciret præter hanc terrenam & vilem ex vnis concretam corpusculi commodis, apertis iam sibi per Christum oculis, & tradito pignore beatitatis sempiternæ, inuisas esse, corpori fauentes diuitias, animo noxias. Christianum cui cælum non sufficit, vel cui pecuniæ studio periclitatur eius adeptio, nescire quid cælum sit, vel non magis cupere quàm si non sit, vel prorsus de illo nihil credere: alios visa, quosdam miracula Christo addixere. Quodque omnem suspendit, & superat fidem; fuit cuius simplicitas scitatum iret ad idola, deberetne fieri Christianus, factumque diuina bonitate vt quascumque sortes, sacerdotes sacrilegi mitterent, responderint semper fieri debere, iteratæque ac mutatæ certioribus apud eosdem sacerdotes, quos scitantis latebat planè mens, Christianismi consilium scitanti semper addixerint, & addictione hac, vir minimè malus, fremente dæmone, eiusque sacrificulis perplexitate posita ad Patres venerit, narratòque rei vt gesta fuerat euentu erudiendum se illis permiserit, ac tandem immensam Dei clementiam cum iis suspiciens, fidei Sacramento aggregatus sit Christianus, hæc & similia diuinæ ostensa miseracionis prope quotidie cernebantur.

50.
Conuersiones infidelium impugnant Christiani.

Tam illustres conatus tantique ad Dei, & Ecclesiæ gloriam incrementi;

crementi; quis credat ab ipsis non modo Christianis improbatos, verum etiam euerfos? imprimis aliqui arrogato sibi sapientiæ corhurno, & magisterio diuinorum, quorum erant rudes nec intelligebant com-
meatus occultos & inopinatos cœlestis gratiæ, quas libuit mentes, & quoties libuit subeuntis, sed infidelium multitudinem tam crebram humanis potius artibus ad Dei obsequium vel trahi vel duci, quàm diuino motu, & ex vero censebant. Enimvero Patres famam aiebant aucupari strenuitatis inauditæ, & ex illis paratu insolito exultis confere-
ndi baptismi solennibus nomen captare gloriosum; ad hoc persuadere stolidis, & simplicibus ethnicis (quam sincere & recte nosset Deus) vt magno numero, & longis ordinibus spectandi, pompam suam in templum ducerent, suisque ibidem manibus tingerentur. Ex quo Lusitanis subessent Indiæ celebriori qualibet tinctione, numeratos fuisse vix ultra triginta, nunc & sæpius & turmatim ad septingentos simul recen-
seri. Quibus porro ad Christum inductos miraculis? quid enim Patribus efficaciam inesse, ad præstandum quod non potuerat S. Xauius præstare? deputabantque hi Catones nostra hæc omnia inani gloriolæ: lau-
dem à nobis ex numero illorum non Dei gloriam ex salute quæri: ad baptismum promissis aut allici, aut minis intrudi: velificari vtrisque Pro-
regem; nostris rationibus promouendis, eius simplicitate nos lepidè abuti. Iactabantur hæc in nos ventosis sermonibus aduersus solennes Goæ nostro in templo Indorum tinctiones; sed cum essent inter obtre-
ctantes gratiosi quidam, & in aula potentes, qui conuersionum multi-
tudini plurimum obstabant, Deo placuit sarcire quod ij destruebant, iisque iudicij execrationes ira eximere, vt eorum exemplo alij saperent. Horum vnus quandoque in agmen incidit numerosum ethnicorum
Goam intrantium, qui duce nemine, sponte ex pago ad Patres venie-
bant, vt post absolutam quàm iis tradiderant Christianam institutio-
nem, baptismi tandem compotes fierent: constitit nobilis curiosius in-
spectans. Homines videt omnis conditionis, & ætatis, nobiles, ple-
beios, senes, pueros, virgines, cum suis ad manum, interque brachia
infantibus feminas, omnes floreis ramis, omnes choris hilariter magis quàm doctè saltandis, & cantu doctrinæ Christianæ quam ab ex-
colentibus insulam Patribus apprimè didicerant, lætos & alacres: etiam
infantes qui nisi manu loqui non poterant, manu signum Crucis affi-
duè formantes, sed virum nobilem illud præ cæteris perculit, quod
tantis gaudiis gestientes irent, tam effusè læti, vt eorum in vultu, &
oculis totus animus legeretur, viderenturque illis saltationibus, can-
tibus, elationibus brachiorum, insistendo subinde magnisque vocibus
Christianorum nomen simul proclamando, & Deum adorando, expro-
brare quodammodo spectanti, exploraret etiam atque etiam inui-
diosius, essentnè hi motus, & indicia hominum quos doli aut metus
violentia citaret ad Christi lauacrum; an notæ potius diuini afflatus
exuberantis in vltronea gaudia, & possessione boni partim iam inita,

partim (quod ipsi flagitabant) plenius inuenda. His rerum palpatis argumentis ita restincta est, viri aulici vel æmulatio, vel præfidentia, suspicax, vt non diu postea Patri ex nostris fortè obuiam factus, equo exscendens in aurem repeteret, Credo Pater, credo, & certo credo. Nescientique adhuc Patri quo tenderet, Credo, subdit, qui vestris manibus tinguntur sacro Baptismate, vltro magnaue voluntate id agere; moueri per vos à Deo cœlitus, agique pronò animo ad salutem, & esse illorum conuersiones veras & sinceras, non fictas & fucatas: de his longe aliter loquuntur imperiti, sed iis quicumque obloquitur, pœnam à Deo promeretur. Ita quidem tunc ille approbator nouus, sed constans, in posterum ardensque defensor. Senem quoque inter Lusitanos non obscurum, iisdem imaginibus laborantem, contrariis plane opinionibus, & studiis Deus mirabiliter imbuit. Die quodam audiens de turba ethnicorum in templum nostrum festinante vt Christi Sanguine lauaretur, domo erumpit & iure vt rebatur pièque indignatus, Collegium petit obiurgaturus Patres, quod simplices ethnicos adigerent ad simulationem fidei Christianæ; septa Collegij subiens tantum illic reperit Indorum, vt densim stipatos ægrè perumperet, in hisque itidem ætatem omnem, conditionem, & Ordinem, etiam Brachmanes, & Ganzaros: templum denique introgressus, feminis refertum, & infantibus miratur; & eas vtrouique animorum læticias, diuinarum laudum celebratione, & doctrinæ sanctæ expressas contentibus, vt non dubitarit has miseris populis ad felicitatem à Spiritu Deo, non ab hominibus ad pompam imprimi motiones. Vt ergo diu illic stupens hæsit, nisi quod manus, & oculos, apud se stens, tollebat identidem; tacitus abscessit; sed quantum diuersus ab eo qui venerat? redit enim paucis abhinc diebus bonus senex. Almeidam euocat quem præfuisse diximus Christianis; fatetur de nobis quam sinistrè sensisset, ac nobis addit, ne sufficit quidem, quod morum prauitate à Deo ethnicos, & ab Ecclesia auocamus; nisi etiam vobis pessimè obtrectemus, qui vitæ vestræ Sanctimonia, & igne caritatis, ad fontem salutis illos accenditis. Hoc qui vituperat, satisfacere Deo aliter non valet, nisi iunctis vobiscum studiis, & contentione, totus in eandem operam incumbat. Ego, si quis alius, eius culpæ reus, id diligentissimè sum facturus & eccum futuri, quod cum bono Deo præstiturum me spondeo, paruum pignus; octodécim ethnicos, Christi legem meo hortatu persuasos, erudite illos amplius de necessariis; & spero non multo post adducturum me multo plures; stetitque proposito, re ipsa vir optimus, omnemque dum vixit industriam cum Patribus contulit ad quærendas Indorum animas, Deoque addicendas.

Tam porro euidentis, & benefica Dei manus, Patrum manus, & operas iuuabat, vt ipsis etiam Brachmanis miraculo esset, multique ex iis hoc vno conuicti, à cultu sacrilego resilirent, professi Christianorum Deum absque vlla comparatione, potentiorum esse Pagodibus, quibus adoratores eriperet, gregatimque ad se absque vi traheret; solo
eius.

eius impulsus arcano spiritu, prope inscios rapiente ad amandum quod primum oderant, & quod horruerant expetendum. Quapropter etiam erat apud illos magno in honore Societas, rogabantque quis esset (vri nominabant) Magnus Pater à quo fuerat instituta, inflammataque capacibus studiis ad orbem alterum, & gentes ignotas donis cœlestibus ditandas, idque vno, cui seruebant diuinæ gloriæ pretio. Atque hinc illud prodigiosius ab infans Saxorum adoratoribus, hanc sacræ fidei propagationem bene & magnificè acceptam, ab Christianis misere laceratam, nec iis quibuslibet, sed quos maximè obstringebat ad eam iuuandam officij ratio, nedum à quibus minimè omnium impedimenta metui oporteret.

Goam applicuerat Gaspar Indiarum Archiepiscopus, anno post sexagesimo desinente: adiere ad illum salutandum Æthiopiæ Patriarcha, & Episcopus Niceæ vterque de Societate cum primariis octo Collegij Patribus, at is primo accessu, & affatu, proferre se valdè à nobis alienum, queri statim, apud nos illum interisse primæ hæc humilitatis nostræ florem quæ Societatem in Lusitaniâ, & Indias tulerat; argumento dare, in Lusitania fundatam à Principe Henrico Vniuersitatem Eborensis, nobisque commissam, quod ipse iudicabat, modestè ab Societate declinandam fuisse: de Indiis tunc quidem flere; postmodum vero erumpere acriùs, alia occasione; & quam voluisset intelligi, demissionis iacturam apertius edere, nempe illos baptismi celebrandi ornatus tam splendidos, tantum numerum catechumenorum, tot simphoniacos, concursus populi ad spectandum tantos, Proregis demum præsentiam: ad hæc nobis deinceps, solennibus iis interdiceret, quæ sui esse iuris, non nostri assererebat: quod autè fouendæ, & agendæ nouorum Christianorum pietati, ædes sacras nostri permultas posuerant, illas sibi pro suis addictas voluit, nostrorum præfecturam illic degentium sibi velut prælato, etiam aiebat, religiosorum arrogauit: ad festas illas quod attinet celebritates lustrandorum, quas tantopere nolebat à nobis instrui, facile vt decuit optemperatum est; sed cum neque ab ipso, nec à nobis instituerentur, id consecutum est vt conuersiones ethnicorum antea numerosæ, prope nullæ iam essent. Quippe sancto ardori vni cuiuslibet subdendo, mirum quantum valuerat subiectas oculis plurimorum conspectus, qui mutua æmulatione diuina simul discebant mysteria, simul iis cum plausu initiabantur. Ac nobiles quidem infideles, præter illicia, quibus possunt honestè pièque concuti, vehementer mouebat cum Brachmanem cernerent vel Iogum (genus si quod aliud vsquam superbum & insolens) qui pridie nudipes, & putris linteï laciniis vilibus inuolutus per urbem ambularat; hodie purpura & serico insignem, torque fulgentem aureo, & in equo sublimem à Prorege accepto, cum eodem Prorege pari fronte Goa spectante procedere, obseruari, colique ab nobilitate Lusitana, hoc solum nomine quòd heri ethnicus, hodie Christianus: eandem in plebe infima vim

E e 3. - obtinere

51.
Archiepiscopo Goano, baptismi solennia vacante, cessat, conuersiones ethnicorum.

obtinuerant piæ quas diximus publici honoris illecebræ, quæ priusquam in more ponerentur, videbatur sibi gens rudis & barbara vilior fieri, cum incipiebat esse Christiana. Cæterum non tulit Dei benignitas tantum gloriæ suæ detrimentum, & sterilitatem animarum quæ olim millenæ, tunc ægrè denis plures renascebantur in longum produci. Pernecto in aulam de iussis Archiepiscopi nuncio, sua rebus facies reddiit. Appulere anno 1563. rescripta Sebastiani Regis, & Henrici Cardinalis: iussa restitui baptizandorum solennia, & nostrorum diligentia, nisi abnuerent committi; Brachmanes, & quiuus ethnici, conuersionum interturbandarum suspecti ex omni regia ditione coacti facessere. Quibus expellendis, ipsemet Archiepiscopus gnauiter institit & inhibitionis parum auspicatæ quam sibi emptus à Brachmanis quorundam fauor abstulerat, visus est velle notam eluere: quas enim Mauris & Brachmanibus extrudendis difficultatum moles auaritia quorundam obiectabat, fortiter irrupit. Repetere ministeria intercepta Patres, sparsique latè regionem Euangelij semine infuderunt, cui tam beneficos influxus immisit Deus, vt diebus viginti, messem referrent trecentorum viginti nouem cathecumenorum, qui Prorege pompam decorante cum flore nobilitatis Lusitanæ, omni magnificentia veteris ornatu lustrati sunt, plaudente populo Proregis Constantini pia tempora rediisse, tenuitque mos idem deinceps, auctiore semper animarum prouentu. Sed tunc potissimum cum Vrbi Præfectus Lopes Vazius Secheira, & P. Franciscus Rodriguez, Sebastiani Regis Epistolam Goana omni ditione oppidatim, & pagatim claro præconio promulgarunt, qua sibi subiectos infidelium populos ad agnitionem veri Dei hortabatur, & professionem legis Christianæ.

52.
Milliones
militares
PP. Goano-
rum.

Descriptos hæcenus Goani Collegij labores, clausit illius Prouinciæ ambitus; excursionibus hic locus, quibus iidem Patres longinqua peragrarunt. Harum prima occurrit militaris; cum eductis in bellum copiis anno 1557. Idalcanus potentissimus regum continentis fœdus Lusitanis & fidem fregit, inde fines Canaræ prædari; Goæ aditus omnes præcludere, intercipere comæatus mercium & annonæ, ne qua opem ad vitam, vel ad potentiam opes acciperet, arctari vero vrbs referta ciuibus, magnis angustiis, & pessum itura, nisi arma statim mouisset Prorex Franciscus Barretus, conscripto milite Lusitano ad tria millia; educturus exercitum prius in S. Paulitemplum cum turmarum ducibus ad nos venit, vbi Deum precatus, in summum altaris conscendit gradum, & positis genibus solennem poposcit Patriarchæ adprecationem, eaque cum omni exercitu impertitus, nec satis pietati suæ, nec susceptæ expeditioni consultum credidit, nisi duos è nostris ad eam comites sibi assumeret. Lecti ad hoc duo Sacerdotes, ardens vterque actiuosa, & minimè trepida pietate, Petrus Almeida, & Ioannes Meschita: hic Pondam vsque ab ingressu in fines Idalcani primis ordinibus præibat equitans, & Christi de cruce effigiem lancea præferens; vt confligendum cum

cum Mauris fuit, & facienda in Pondam impressio; manipulos obiens tantam dicendi vim, tantosque exeruit virtutis ignitæ spiritus, vt afflari sibi de cælo animos sentirent milites, quàm vsquam alias in bellis fortiores; narrabantque id Goæ post reditum; & felicitatem prælij Meschitæ meritis imputabant. Certatum, debellatum, capta Ponda direptioni, flammisque tradita; sed ardente in prædam iure sibi decreram milite; ac prætereunte interea intacta Mahometis, & Pagodum fana, aggressus illa perdere Almeida, promissis sacrorum, quo vno thesauro diues erat, phalangem cogere paucorum, quibus cultus diuini, quàm lucri propriij maior cura; Pondam peruadere, ac peruestigare, vniuersam, & sacrilega delubra nullo excepto igni abolere. Pugnanti vero contra Idalcanum Lusitano, submittebat è cælo auxilia, insistens precibus assiduis Goa. Supplicabant quotidie senes (quos in vrbe solos ætas retinuit) pueri & nudis pedibus matronæ nobiles, ad erecta vbique altaria; religiosi præsertim ordines, sancta certatim æmulatione publicis precibus pugnantes iuuabant: quo perspecto Mauri scitè affirmabant, non posse nisi à Prorege stare victoriam, vt qui duplici pugnaret exercitu, altero militum in terra; piorum altero, de cælo, precationum armis pro illo certantium. Euersa Prorex arce Ponda, triumphantem Goam reducit exercitum, ingressus, rectà templum nostrum petit, vt celebri eucharistico acceptam Deo victoriam reddat; prodit obuiam venienti Seminarij iuuentus flore coronata, & palmarum ramis centuque hymni Benedictus gratulationem manu, & vocibus præferens, sequebantur Patres, tum ipse Patriarcha, quem imprimis Prorex, deinceps & Patres amantissimo complexu salutauit, affectum & gratias testatus. Breui quiete suos refecerat, cum secundam indicit expeditionem iterato bello appetiturus Idalcanum; ad hoc secum item habere Almeida voluit, & P. Antonium à Costa, quoddam Diem in arcem profectus Meschitæ iuuandis illic militum animis moraretur, hoc Patrum duorum corroboratus religioso auxilio cum hoste conflixit, fractumque hoc altero prælio Idalcanum ad pacem petendam adegit. Qua firmata Prorex magnis ad rem, & famam nominis Lusitani accessionibus Goam denuo victor, optato reditu recreauit. Biennio post Constantino Prorege piissimo, occupatus est nostrorum labor Castrensi alia euocatione. Arx est Damam ad mare vltra Bazainum egregiè munita, Ganduuium inter à Septentrione, & Damam ab Austro, eam Lusitanis Cambajæ Rex tenendam concesserat; Præsidarij Abassini, & Mauri negabant: mouit in illam Constantinus, & Ianuario exeunte anni 1599. in conspectum venit: ibant præter alios è S. Francisci familia, duo ex nostris viri sancti Gonzalus Silueria, & Albertus Arausius. Applicuisse muris exercitum, impressionem parare, arcemque cum Victoria subire, vnum fuit: exterruerat hostem videlicet tanta celeritas Lusitani, tamque subita, & audax ad cedendum loco, vel excipienda arma, indictio magis quam prouocatio, malueratque sibi vitam, quàm urbem domi-

no seruare. Pars murorum se pinnis demittens, fuga euaserat, pars pacem ad portas, & veniam poscebat, quibus Princeps religiosissimus apertis, velut ipsomet à Deo illarum clauces accepisset, non tulit eum diem absque publica gratiarum actione abire. Quæritur itaque Sacerdos cui adhuc ieiuno liceret sacris operari, verum opinio impugnationis in noctem producendæ ieiunum reliquerat neminem, pugnaque in longum itura militem Prorex curare corpora iusserat. Vnus Gonzalus Sylueria vitæ asperitati assuetus, ieiunus reperitur, dum vrbs præcipua compita extemporarijs è ligno rudî, & obuio crucibus consecrat, præclaris nihilominus, utpote Victoriæ trophæis, & possessionis, qua sibi tunc Christus legique suæ sanctissimæ Daman asserebat. Dum per urbem id agit, de Proregis desiderio monitus occurrit, & pro facultate pontificia nostris in India Patribus indulta, ut infidelium expiantent fana, & in sacras ædes conuerterent, fanum Mahometis tota illa vrbe pulcherrimum, rite expurgatum diuinis addicit, & solenni paratu sacris in eo operatur: post hæc assurgens Prorex inter suos militum Præfectos, ad Sylueriam accedit, vultuque hilari, quando, inquit, Christus huc abs te cælo vocatus descendit, templi huius possessionem aditurus, æquum non est Pater cuius alteri nisi tibi cedat, qui de Christi tefu Societate es. Hoc ego tibi Regis mei, ac Domini, nomine, vestrisque Patribus in perpetuum dono, & mancipio. Fueruntque hæc prima Collegij nostri Damanensis exordia, in quo eiusdem rogatu Proregis mansit Arausius ad salutem animarum nostris ministeriis curandam, quod tamen diu præstare non potuit, nam etsi Goa non multo post laboribus impari, subsidio venerint Marius Prancudius, & Ferdinandus Alvarez, sed fracta duris agendo, ferendo perpeffionibus, prostrataque natura, quiete nulla erigi valuit, quoties ad arma in hostem canebatur, cuius principio erant quotidiani propemodum imperus, cruce arrepta proflire, ac simul præcurrere militi, simul eius confessiones etiã currendo excipere, & sub ipsos conflictus ea vocis & animi contentione incendere, quam occasionum eiusmodi præceps ratio deposcit; sauciorum & ægotantium animis iuxta & corporibus diu noctu adesse, humo tegere defunctos, ut qui solus illic ad leuamen omnium hæsisset; concionari festis quamdiu ab armis cessaretur, & quod eum præ cæteris consumpsit, quocumque illum raperet suus ardor ad ferendam opem salutis alienæ, oram illam discursu perpetuo terere, obuiosque torrentes, & fluuios, collo tenus, vado traicere.

§ 3.
P. Arausij
mors felix.

Hinc lentus ab eo contractus languor, & tabes sensim vitalia exedens, demumque ab iis qui præerant iussus Bazainum ad vires refouendas, ire, quod illic nihil assequeretur, Goam se transtudit. Verum illi Deus quietem designarat hand paulo meliorem, qua breui potiturum tam clare illum interior significatio admonuit, ut ipso Collegij ingressu, quo primum Patres salutauit, idem fuerit postremus salutantis complexus, & proficiscentis ad vitam ad quam vocabatur hac feliciorem.

Utque

Vtque facies morbi nihil admodum proderet à spe valetudinis diuersum, sed superiore instinctu notitia totum se morti comparandæ dedit. Sanctis aut cum Deo immerfus colloquii; aut cum Patribus de Beata illa & immortalis vita; tam sereno vtrumque animo, & ore vt si eius proforibus operiretur dum pateferent. Solabatur vero incredibiliter morientem, causa modusque moriendi; quod in fratrum corona obiret; quodque ex susceptis pro animarum salute molestiis, qua morte optabilior nulla esset: postremis denique vt petierat munitus sacris, quinto ex quo Goam appulerat, die Nouembris 18. anni 1559. placidissime spiritum efflauit, Iesu & Mariæ dulcissima nomina assidue repetens.

Iam Prancudio & Aluari qui succidancam illi opem allaturi Damianum venerant, non fuit leuior ærumnarum seges. Harum præcipua, iuuandi ethnicos, ridicula, esto, sed insuperabilis difficultas, vt miraculo ducerent, quod primis mensibus vel pauca illorum centena lucrari potuissent. Nempe apud ethnicos Christiani pro gente omnium qui viuunt sceleratissima hoc solum nomine habebantur, quod vaccas mactarent (quas ipsi pro diuinis colunt) vescerenturque illarum carnibus, eoque horror execrationis in nos publicæ ferebatur vt si quando (inquit Prancudius) domus alicuius intrassem vestibulum, hoc tantum quod meo attractu profanatum credebant; euerterent; rati non posse aliter eius maculæ nefas expiari, quam si euerfi loco vestibuli aliud ædificaretur, si cui nostrum vel pretio, vel vrbanitate potum præbuissem, siphum aut abnuebant recipere, aut quasi toxico infectum confringebant, cauebantque à nobis tam procul, & tam scrupulose vt solet à peste contactis. Quem autem rescissent nostros conuenire ad intelligendum salutis suæ negotium, vbi aliis artibus non possent à proposito dimouere, eò in continentis intima illum transmittabant, vbi nec audiretur Christi nomen, nec Christianus videretur. Attamen has moras tam excæcata obstinationis ab ethnicis obiectas, perripit Dei benignitas, & duris nostrorum conatibus, multos ad Veri notitiam traduxit, non solum plebeios, verum etiam ptimæ notæ, quibus interdum, vt alibi, cultu magnifico Sacramentum salutis collatum est, in iis fuit toparchæ Damianensis vxor, nobilissimæ tum stirpis tum ingenij femina; in religionis vero Sacrosanctæ, quam semel adamarat, constantia, fortitudinis rã inflexæ, vt eam nec Domini coniugis nec matris vlla rationum, affectuumve contentio ad Mahometem à Christo reflexerit. Damiano superior leucis duodecim Surrate arx visitur, ad fauces sita Sapetij fluminis è regione Reineri; hanc obtinebat viginti annorum iuuenis, Coiozofaris filius apud Regem Cambatæ, totius militiæ Præfecti, olim Christiani, tunc sua cum vxore apostatæ; cum parente vtroque Mahometem iuuenis sectabatur, huic nomen, Cadamezon; virtus bello intrepida; supra ætatem prudentia, sed erat suis maximè inuisus & Barochi præsertim dynastæ, cuius patrem necarat, idcirco ad necem modis omnibus quæsitus, & prodicionibus in aula variis appetitus, post multas

45
PP. Prancu-
dij, & Alua-
ris præclare
gesta.

denique suorum ab se patratas caedes desperabat, nisi humanis valedicens Mecam se conferret, voluntarias illic admissorum poenas ultro deinceps luiturus. Quibus exploratis Lusitani Iudæum interpretem, principi gratiosissimum destinant, qui volenti forte alia ditione Surratem mutare illam ei deferret nihilo Surrate minorem; ac si præterea luberet Christi legem amplecti, vxorem illi proponeret Regis Mealis filiam, de cuius nuper baptismo narratum. His princeps conditionibus auditis vocem reddidit cælo ipso pensandam, si foret ore edita Christiano. Auertat, inquit, Deus ne vnquam vtilia corpori, detrimentis animi quæram, nec tanti mihi aut hæc vita, aut imperium est, vt velim propterea Dei mei proditor effici, & ab lege ipsius transfuga, veniitque Iudæum pluribus de hoc negotio mouere: quæ postquam Iudæus renuntiasset Prancudio multis lacrimis profecutus est excellentiam illius indolis, Sanctimonix singularis, nedum Christiani capacem nominis, si quam Mahometo, eiusque alcoranno præstabat firmitatem, ad verum Deum contulisset: cœpit igitur multo fletu, multisque precibus Christo supplicare ne illum ineret diutius veri boni luce destitui, quam non potuisset eò vsque cernere ac sequi, quod Euangelium nondum Surratem pertigisset: ad hæc impelli se sentiens, vt cum eo agendi aucuparetur aniam, seu modum potius quo accerseretur ipsomet à Principe, hac solertia vsus est, negociabatur Surrate, ille quondam Xauerio intimus Iacobus Pereira, per hunc identidem Prancudius Principem officiosissimè salutare; post etiam literas ad illum addere; humanitatemque iis literis omnem in eum explicare, vt vehementer miratus iuuenis resciri ex eo iusserit, cur? unde? cui suo merito tantæ argumenta benevolentix? respondet Prancudius admodum sapienter, magnis se ac necessariis titulis obstringi ad eum vnice diligendum, quòd parente vtroque natus Christiano noster esset; nec huius vim tituli idcirco abrogatam, quòd lege alia viueret; id illi ex eo contingere, quòd illam minimè agnouisset quæ ad eum sola pertineret, sola spem certam contineret salutis quæ verba Prancudio principis animum miris nexibus obligarunt: audire voluit Christianis de rebus differentem, proin rogauit vt primum vacaret ne grauaretur Surratem venire, & spectandam ad se crucifixi effigiem deferre, quam summo opere aueret inspicere. Magna hinc Prancudio expectatio, magna Christianis alacritas, ominentibus crucifixum haud frustra illuc ire, nec rediturum nisi nobili auctum præda, & expugnaturum Principis pectus dum eius manibus tractaretur multi se Patri adiungi comites optabant, pauci quibus datum, ad Februarij vndecimum anno eius xvi septuagesimo Damano soluunt, appulso cum iis Surratem Prancudio, hilaritate planè insolita perfundi se Princeps testatus est, Patrem iis excepit amoris & reuerentiæ argumentis, quibus neminem dignabatur, iunctis enim amicis complexibus, dextrum sibi (& eodem secum in holoserico puluinari locauit. Nec vltra officia benevolentix, & vrbani-
nitates

nitates prior hic congressus se protulit; de rebus diuinis, sed soli, vt postridie agerent inter eos conditum. Die ergo sequenti, interrogauit Princeps, an conuenirent Christiani ad orandum Deum? & inter orandum soliti essent toto corpore prosterni? hoc idcirco quærebat quòd Mahometani, pietatis summam in eo statuunt vt in sua collecti fana, quanta maximavalent contentione inconditarum uocum, Deum & Mahometem uocant, fronte interea humum sapius uerrentes, quod à puero assueti, habili corporis proclinatione, ac facili præstant. Explicato Præcudius more Christianis solenni, conueniendi in sacras ædes, fundendi preces, Psalmos non confusis vt Mauri, sed modularis uocibus concinendi; denique genua reuerenter ad preces flectendi maximè ubi ad augustum missæ sacrificium uenitur; his, inquam, dilucidè Principi enarratis, adiecit Mauros, magno propterea clamore precando uti, quod putent Deum magnis ab se abesse interuallis, nec posse quod precantur nisi sonoris editum uocibus audire, quasi sit perinde uti animantes, ex auribus, membrisque aliis concretus: pergensque, Deum simplicem naturam & spiritum docuit, omnia peruadentem, & implentem, nosque ad eò ipsos, nec nostra minus silentia, & affectus animorum arcanos, & tacitos audientem quam si exprimantur contentis uocum sonis; utque ipsi apud nos nobiscum soli ratiocinamur immotis labris, & lingua quiescente, quippe animum sibi semper præsentem, non posse quin suas percipiat cogitationes, quin sciscitetur ex semet, responsa audiat, misceatque dialogismos secum; multo magis cum Deo, præsentiori nobis intimè, quam nos ipsi; stoliditatem esse insani capitis, immani strepitu, quod Mauri factitant, Dei audientiam poscere. Mentem similiter erecto etiam corpore, Deo pronius inclinari, eumque multiplicis reuerentiæ affectu adorare. Audiebat hæc princeps attentè ac lubens, & multum probabat, nec posse aliam putabat de Deo iniri, Philosophandi rationem: quæsiuit deinde, uino ecquid inesset maligni præter eius naturam piaculi, quo bibentium animus contaminaretur, quando id tantopere uetaret Aleorannus, ne labris quidem primoribus attingi? post alias item nonnullas posuit acris ingenij & acuti dubitationes, quod percipiendis quoque responsionibus eminebat, etsi erant interdum captu difficiles homini nunquam scholarum puluere asperso, iis tamen adeo acquieuit, ut fateretur ingenuè, ad religionem Christianam se uehementer inflammari, & Christi de cruce pendentis, ostendi sibi effigiem peteret; eam Præcudius serinij elegantis, sericato altheo decenter clauserat, quod ubi accepit referandum, iussit natu princeps satellitum suum extra fores cubiculi esse; solusque cum solo in genua procidit; Præcudius tamen priusquam serinium panderet, aliquanto altius exorsus, à Filij Dei in orbem aduentu, eiusque causis, conceptum eius mirabilem, natalem, doctrinam, miracula, rediuiui post mortem gloriam, ascensumque in cælum ad Patris dextram, & futurum inde ad ferendam de probis & improbis supremam sententiam descensum, breui

compendio pertexit; tum exquisita veneratione, aperto serinio & reducto velo, tristem Christi in cruce morientis figuram detexit, ad quam mirum quos motus prudens conceperit iuuenis; colorem, & vultum mutare, non satis tenere inuitas lacrimas, hætere attonitus defixusque in eius obtutu, & muto plane silentio agitationem pectoris discrete eloqui. Dum tandem utroque in pedes erecto, Princeps altum suspirans à Patre flagitat, si minus victoriam; pacem sibi saltem à Deo exoret; velut intelligi hoc volens tunc se præstiturum, quod armis, & insidiis hostium circumseptus præstare non poterat. Daret ad se interea subinde literas, seque interdum reuiferet, postremo suæ in illum beneuolentiæ ac fidelitatis perpetuæ, pignus exiguum caperet: offerebat vero gemmarum & auri non paruam copiam, cuius illi Prancudius egit quidem prolixè gratias; verum excusauit quod nihil admitteret, aiens haud se eo consilio venisse ut caducas opes acciperet, sed ut tribueret æternas, si quo se munere omnium optabilissimo dignari vellet principis munificentia, animæ suæ dignaretur dono, quam & Dei nomine postulabat, eratque Deo repræsentaturus, ut ab eo æternum bearetur, cuius tanti doni, quanquam vnas Damanum spes secum referret, sed habere se illas thesauris Indiæ quibusuis cariores, hac abstinentia discedens auxit Principis admirationem, cupiditatem suorum Calsigum inexpletam cum ea comparantis: nec plura de hac re Prancudius tradidit, laterque profus in obscuro illius exitus. Reuocatus enim Goam regendis tironibus, missusque postea ad peragrandas Euangelio Molucas, affectum negotium successuris reliquit, principemque ut ipsemet loquitur, auribus quidem diuinitus, nondum satis animo obstrictum. Excòluere deinceps populum Damanensem alij atque alij de nostris suisque singuli vicibus ingenti numero nouam illam auxere Christianitatem, eorum gesta quod sint fere narratis gemina omitto, & lectoris fastidio condono, facti solum vnus contentus mentione haud tam prouidentia supremae suos in arcto positos adiuuantis, quam suauissimæ bonitatis, eorum ærumnas inopino interdum euentu consolantis quos in salutem animarum strenuus labor habet exercitos, Goa Damanum nauicula vehebantur Petrus Vazius, & Ioannes Consales anno 1564. oram Malabarum propiore remo radentibus, ingruunt latrones indigenæ pyratice fluuium infestantes; nostri fugæ pugnaeque impares, scapha piratis derelicta quæ quisque potuit euadunt.

Patres in syluam se penetrant, ac ne quæ pyratice præda forent, vestigia ipsorum prementibus, dum multiplici ambage nituntur ea confundere, omnino exerrant, & viarum ignari vagantur inter ferarum, & latronum discrimen: at qui vitam illorum aliis etiam reseruabat, obuia illis indorum mancipia prouidit, ab his syluæ recessu expliciti; ad Brachmanis eremum perducuntur, habenturque ab eo satis humaniter, at is apud se recogitans quo tandem cœli mysterio Christiani duo Sacerdotes ab suo itinere tam procul, & à viatorum frequentia, eò deuenissent,

nissent, bonè genio inspirante, certò diuinavit ad hoc missos vt Christianorum animis opitularetur, qui vno inde milliari, à prædonibus Saracenis pessimè habiti, & lethaliter faucij iacebant, omni solatio animi, & subsidio corporis destituti: quàm suam Patribus Brachmanes cum aperuisset coniecturam, haud paulo clarius ab iis perspectum est, hanc arte diuina contextam telam vt in pyratas, coque in littore, tum in auia & errores syluæ, in mancipia indica, & in Brachmanem demum inciderent, collaudatoque millies Deo, suum sibi fortunatissimum infortunium gratulati, ad miseros festinant, præcurrit qui plus pedibus valebat Vazius; eius aspectu quantum lætitiæ exclamationum affectuum, lacrimarum difficile dictu sit, tam certa omnes salutis fiducia cumulauit, vt si Deus sancti angeli manibus sacerdotem ad eos detulisset, à quo labe culparum purgati restituerentur amicitia Dei, & beatorum consortio pararentur, excepit confitentes, expletoque omni quod poterat in subleuandis animis, corporibusque solatio, sancta delibutus fructuosissimæ operæ voluptate reuersus est. Missio tertia militaris in annum incidit Antonij Noroniæ Proregis quartum: erat tunc Mangalor inter vrbes, quas ad oram Canaræ obtinebant Mauri, opum ditissima, & magnificentia singularis, haud multum à faucibus disuncta fluuij qui (nomen vrbi vel faceret, vel acceptum ferret) Mangalor pariter dicebatur, amplitudine ac profunditate quantarumuis molium latè capax seu onerariæ naues forent, seu bellicæ, commerciiis tamen idcirco infrequens, quod frequentaretur prædonibus, qui Malabaricum id littus piraticis cursibus infestabant, raptasque inde prædas velut in asylum, eam in urbem colligebant. Sursum versum illac Lusitani dum commeant, ad pugnam coacti sæpe ab ijs male accepti sunt, haudquam scilicet profolientibus, nisi ex insidiis peruidissent, se longe numero, & nauibus præcellere. Probri nihilo quam damni visa res, proin statuit Prorex nidum illum latronum excutere. Classe bis mille quintæ armata Lusitanis, Goa Mangalorem descendit, duobus è Societate assumptis Patribus, qui nautas dum itur, magnam partem ethnicos ad Christum suis concionibus perduxere, aberant Mangalore vix leuca & iactis anchoris exscendunt, nec pensi fuit aduersus hostium, si fors erumperent, incursus, vallis sese aut aggere præmunire, quod deliberato sub primum diluculum conspectu, id in noctem vnã posse negligi cogitassent; quin & excubias vigillum Mangalorem vsque, vt post compertum est neglexit statuere cui pro munere incumberebat, ex quibus resciri potuisset, ecquid hostis interim moueret, qui licet barbarus, neque militari assuetus disciplina, multo sibi omnino prudentius cauit, submissis in castra Lusitani clancularijs exploratoribus ex ijs cognouit, stare intermem, aperum, neglectum, sparsum exercitum, & securitate supina & stolidã, ludo, somno, epulis noctem traducere. Cogit ergo de suis octingentos, animis manuque præ cæteris promptos, gladiis solum peltis que armati, de media nocte aggrediuntur oscitantes, magnis

vocibus ad ferrum necemque conclamant Lusitanos, tantoque impetu, media illorum irrumpunt castra, ut vna illis qua in naues qua in continentem restaret fuga: quibus nobilior animus arma quæ fors primum obiecerat rapiunt, densatque in globos hominum triginta vel plurium furentem hostem dum reprimunt, suadent alij proregi, mari se certo exitio eripiat. Verum is hastam intrepidus correptam vibrans, huic, inquit, prius litaturi sunt omnes Mauri, quàm campo excessero, procedensque cum turma nobilium, audenter se instantibus obicit, auctusque sensim suorum numero, qui fiebat iam Mauris timendus, eos demum in urbem retrudit. Lusitanorum complures debilitati vulneribus, trecenti ferro cæsi vel aquis præfocati, dum natatu in naues refugiunt; die tamen sequenti, nihilo frigidius ac si nihil læuum contigisset, classico ad iter Mangalorem versus, vnâque ad pugnam canitur quæ cum fore cruenta putaretur, quod essent vtrimque manus eiusmodi in quibus ferrum nequaquam hebesceret; multum Patribus negotij fuit confessionibus militum audiendis, inde multo plus cum digestis vicino iam hoste ordinibus, crucifixi prætenta effigie procurrentibus è subsidio ad pugnandum manipulis aderant, subdebant iis tantum ardorem, ut passim vulgarent milites venisse cum Patribus Deum honoris sui assertorem, & vindicem, iurati barbari ante in campo occumbere quàm palmo cederent Lusitanis, priusque caram sanguinis Mercaturam facere quam iacturam; impressionem militis Lusitani vix primam durarunt, profligatique mox, & vrbe profugi, victoriam facilem & direptionem liberam præbuere: igni ad vltimum & ruinis sic solo æquata est ut præter congesta rudera, & simulachri fanum amplissimum nihil constiterit, ab hoc enim Patres abstineri flammæ obtrunere à Prorege ut in nosocomium dicaretur: illuc ipsi ægrotos colligere, & noctis proximæ, dieique illius duobus præliis vulneratos; sua & animis & corporibus pharmaca admouere, cibos iacentibus parare, & ijs coquendis, luculentum ignem ligneis alere simulacris quæ multa in eo delubro, & mole grandia prostabant: hærente vero aliquandiu ibidem Prorege ad frændos Maurorum insultus, nouæ arcis prope Mangaloris euerisæ cadauer extructo præsidio; laborem partiti, alter operam ægrotis in nosocomio, in castris alter iuuandis militibus posuit. Non dissimili expeditione occupati sunt anno subsequenti Sebastianus Gonzales & Martinus Sylua, Prorege Ludouico Ataide classem nauium ducente centum sexaginta aduersus Onorem, & Barzelorem Maurorum arcus duas, quas ille expugnauit quidem, & captas subruit, sed multo suorum sudore & sanguine. Eminebat Onor in montis arduo, & nisi ascensu maximè crueto scalis posse inuadi minimè putabatur. Barzelorè Mauri tam numeroso tenebant milite ut esset in eam Marte admodum iniquo ab Lusitanis tentanda impressio, victa nihilominus vtrâque, direpta, incendio tradita, inuictò illorum robore, quorum fortia facta præsertim nobilium, celebranda illorum historicis relinquo, duobus nostris hic

hic locum debeo, qui nusquam sanguinis, & vitæ parci ubicumque celeret pugna, præibant pugnantibus, & defendendis eorum animis Christiana arma præferebant: quàm vero non longè ac timide docuit Onorem admota ascensio, turmæ aderat nobiliù fortium certanti per quævis periculo, in murù euadere, impluebat in eos grando ab canteriatas densa catapultis, cum bombardâ maiori excussa glans, crucifixi signum quod elatum tenebat inter in eius comminuit manus, caputque Patris casu innoxio perstriaxit. Barzelorensi alter expagnatione ingressus mare cum militibus quingentis qui per aquas umbilico tenus, ad occupandum aggerem nitentur, allocutione, & confessione, obibat confixos stolorum ictibus, quibus ferum in modum hostis arcebat accedentes, donec barbarorum peruisa rabie, capto in aggere, tentorium fixit, coactosque sub illo vulneribus fractos, & ægros, constanti sollicitudine ad extremum iuuit. Inualerat denique toto exercitu vulgata opinio, à Deo eiusque Apostolo Thoma (qui nouo Regis Serenissimi edicto, præliis singulis in opem vocabatur) Patres nostros prodigio seruari, cum inertes semper, & incustoditi, sui que prodigi frontem bellantium intacti præcederent. Firmavitque hanc famam ipsa res, excussus tormento decumano globus inter genua Patris Sylua qui ad vnum vestis ipsius tactum restincto impetu innoxius concidit, & hæc mihi plus satis, de Patrum Goanorum militari, (ni verbum hoc displicet) & eximia caritate lustranda: nunc venit vtraque Indiarum ora, visendique de Societate, qui passim illic sua ministeria Deo nauant, & subsistendum vbi, & quandiu, scribendi materia iusserit.

Abest Goa leucas ad Septemtrionem octoginta Bazainum, huic duodecimo fere milliari vicina est Tana in peninsula Salseræ, hinc non plus leuca, sita est Trinitas, Mainum, Tarapor vbi Societas vel fixis, vel cœptis Collegiis vel missionum stationibus sedes habet. Arx est Lusitanorum Bazainum, Tana populis quondam & pulchritudine ædium, nulli Cambaiæ urbium secunda, hanc Mauri ethnicis ereptam, & magna ex parte congestam in acervos, ad belli casus munierunt, verum haud vsque adeo cautè ac validè, vt Lusitanorum par armis fuerit. Quamquam in hac Christus ex Christianorum victoria non plenè triumphauit, obtinere illi ciuitatem, ciues Christus nequaquam obtinuit. Paucos enim sibi ex consecrato, & contaminatissimo populo adsciuit; Mahumetani, ethnici, Iudæi, athei, discordi omnes superstitione, concordibus odiis & confessione vitiorum, nomen Christianum auersabantur obstinatissimè, cum æui præcedentis anno quinquagesimo septimo desinente, illuc Deo fauente venit prorex Franciscus Barrerus Gonzalum Sylueriam secum ducens à quo sterilitatem eius soli Euangelicis laboribus ingrati, eiusque causam ex vero edoctus, ducatos aureos annuatim quingentos assignauit, quibus ad ferendam in Salserano agro, & amplificandam Christi fidem pro sua prudentia liberè vteretur. Tam opportuno subsidio inuitatus Gonzalus Rodriguez moliti animo statim cœpit fundationem.

nem nouæ Christianitatis quæ ab vrbe Tana commodè difuncta, non posset eius vsu, & perditis moribus scædaret.

55
Nouam in
Salleris Ba-
zaini Chri-
stianitatem
fundai à Gô-
zalus Rodr.

Distabat tertio milliari sylua in qua templum ad ripam fluij, haud valdè capax, sed materia & arte, vt iis locis, admirandum, nempe haud alio lapide quam sculptis ex marmoribus constructum, & ad canonem architectonicis minimè barbarum; prostabat illic simulachrum triceps cui fuerat dicatum de quo iam aliàs, fiebant eò ingentes ex Canara, Cambaia, & finitimis concursus cateruatim peregrinantium, ad nuncupanda & exsoluenda vota, quorum lautè prouentu Brachmanum patella vngebatur; Modum Rodriguez adinuenit, quo gentem impiam suo illo nido exturbaret. Pecunia Regia sibi à Prorege attributa syluam emit, & iacentia circum plana cultura neglecta obsoleta, sed ingenij feracis si subigerentur, cum essent aquis perennibus abundè irrigua. Ergo illuc paruam initio neophytorum ducit coloniam, suam cuique assignat agri partem colendam, cuius frugibus, & piscatu suas familias alerent. Prosperauit Deus tam tenuibus ortum principiis inuentum, donec fierent admirationi, annus abierat & quingentos iam ager censebat colonos, qui aucto in dies numero breui ad ter mille pertigerunt, omnes Indi, pauperes, victum labore manuum parantes, sine opere nemo, otiosum illic passus est neminem. Præsto erant in communes vltus boues centum, & omne rusticum instrumentum. Ad constructionem ædium, quæ familiarum crescente numero in pagum euaserunt, dabatur solum ædificaturis; materiam sibi ex sylua petebant: formatum utcumque populum, temperari legibus, magistratu & Rectoribus oportuit. Sed nihil æquè spectatum vt fingendæ cura Christianitatis ab omni labe vitiorum puræ, quibus posset fidei sanctitas obscurari. Quamobrem iis in Christo educandis insudandum erat acri, & perpetua opera: suæ pueris quotidie seorsim dabantur statæ horæ; feminis suæ, ac seorsim viris, ad audiendum de rebus fidei & officiis vitæ Christianæ. Sub noctem ex lege conuenire omnes iuebantur, & quæ didicerant de Christi doctrina canendo repetere. In quo filij magistrorum erga parentes obibant vicem, quod faciliori memoria, sibi tradita tenerent, quæ prouecta & durior ætas, multo conatu agrè prehendebat. Iam templum de quo indicaram, planè in solitudinem reductum; arcebat inde Christianorum recentium feruida pietas, ethnicorum ritus sacrilegos. ipsique ethnici pro exsecrato habebant lucum omnem, in quo passim erecta triumphabat Christi crux, eiusque deinceps accessum vitabant. Templum itaque Pater suæ pacificè relictum potestati, simulachro purgavit & laxatis illius spatii Deo vni & trino consecrauit, pagumque insigniuit Trinitatis nomenclatione, hac felicitate Gonzalus Rodriguez eremum vastam in Christianorum frequentiam mutauit, quam expoliuit omni genere virtutum, stupentibus etiam ethnicis quos ad videndum trahebat nouitas, tria Christianorum millia velut domum vnã familiamque efficere, nec in vnã solum consensionem animorum, sed simplicitatem quoque morum & innocentiam conspirare. Nam vbi nec commet-

cia,

cia, nec opes; imo nullus absque opere & sudore victus, inde abstante-
bant veteres Christiani, nec exempli sui prauitate, factum rapinas, lasciu-
viam illuc inferebant. Fuit aliud item religiosæ solertiæ excogitatum
ab eodem genus mirè fructuosum; pagos Bazaino & Tanæ, mercaturæ
specie obibat conterminos, emebatque infantes quoscumque venales
repperisset. Habet ethnicorum illic barbaries vt fas putent filios vendere,
seu fame quæstus exigui vasa, seu fastidio educationis, siue alendi
egestate. Ætas pretium iis ponit, non stabit pluris in cunis vagiens,
quàm hic apud nos hædus anniculus. Hos magno numero Rodriguez
emere anteuertit, Mauris alioqui pretio addicendos qui mercaturam
eandem factitabant, emit & multos membris & morbis captos, quanto
gravioribus tanto lubentius, quod & vili dabantur & in salutem multo
certiorem, nec raro contingit, vt saluari coram ex balneo in beatam
transirent immortalitatem. Tertium quoque ex venatu nouo conficit
lucrum inestimabilis proventus, inuestigauit orbos infidelium liberos,
quos in rem Lusitani Regis transcripserat orbitas; est enim publico Ec-
clesiæ bono, lege Regia sancitum vt rex patris defuncti, erga illos in
locum subeat. Aluntur seorsim ab idololatriis ad annum ætatis quartum
& decimum, & Christiana interim discunt rudimenta, cum integra
semper facultate vel iis adhærendi, vel auitæ superstitioni; sed portento
simile habetur vel vnum reperiri qui non vltro petat fieri Christianus,
adeo proni sunt fidei aditus in mentes adhuc vitiis intactas. Legebat hæc
lucra Rodriguez de laboriosis industriæ suæ conatibus. Alia vt sic dicam
inempta, sed neque cogitata famulo suo immittebat Deus, Mauros, &
cultores Deorum impios quos eius fama caritatis, & Christianorum
eius inspecta integritas, è longinquo accitos sistebat illi, baptisimi can-
didatos. In his mirabiliter eminet senex ferme octogenarius, inculta can-
nitie, cute rugis, duritie, & squammis syluestrem in modum asperata,
sed annis & macie, ægre pedibus insistens. Procul tamen venerat Pa-
trem quærens, Deo magis agente quam fulciete baculo innixus.

Tanæ Patrem offendit, rogat adiungi Christianis, hæc illi tam lon-
gi, quodque tunc animo non præcipiebat, postremi sola itineris causa,
eius aspectu Pater coniecit illico quod res erat hoc seni vitæ ex natura
legibus inculpatæ præmium rependi, eratque de illa interrogaturus,
nisi vrgens virium defectus aliis compulisset præterquam necessariis ab-
stinere. Statimque aggressus scitu necessaria tradere, quæ fuit in pri-
mis Christo Iesv an certò crederet? at is cui hoc nomen nunquam
sonuerat, petiit quis esset & cur ei credere deberet? tunc Rodriguez
piam Deiparæ tabellam profert, sinu Iesum puppulum complexæ, bre-
uiterque illi corporati verbi mysteria, & quæ sciri ab illo oportebat
exponit; inter quæ bonus senex ea exundabat animi voluptate, vt totus
in lacrimas iret, nec satiaretur nunc Virginem nunc Iesum infantem
contuendo, & prona crebro inclinatione corporis, iteratisque osculis
adorando, ruptis subinde vicibus tam teneri affectus vt adstantibus

quoque lachrimas cieret : ipso igitur quo venerat die, sacro Fonte sub noctem lustratus, postridie mane, absque alia agrotatione, vno defectæ naturæ exitu viuere desit, haud paulo maiori gaudio scælicitatis inuendæ, quàm tristitia mortalitatis exuendæ.

56.
Brachmanes
insignis cõ-
ueritur Ba-
zaini.

Tanæ trium annorum labore ad sex millia ethnicorum ex aquis vitalibus extirere, Bazaini, & vicinis ex pagis, quotannis aliquot infidelium centena, tametsi ob populum ex pessimis Indiæ concretum sectis, soli malignitas plus patientiæ colonis, quàm animarum protulerit. Sed fuit annus 1365. longe aliis memorabilior, haud tam baptismi solennibus quo in tiati magnifice septigennti, quàm aliquorum ex iis præstantia vt quos magna vel inter nobiles claritas, vel inter Brachmanes dignitas conspicuos fecerat : eorum vnus æmulatione vel auctoritate tanquam hamo, capti sunt à Deo reliqui: erat is prouectæ senectutis, specie venerandus, ordine inter Brachmanes Iogus, Procunocius nomine, in Philosophicis, mathesi, & astrologicis egregie doctus, legis vero suæ peritia tantus, vt nec parem haberet, nec secundum. Ad hæc illi vitæ ratio omnis dura & austera, vile corporis tegmen, & asperum, continuata ieiunia, rarus in publicum processus, noctes meditando peruigiles, his partibus sanctitatis fama, sic obseruabatur vt cui obrigisset pedes eius lauare, & de illuvie aliquid glutire beatum se crederet. Quare consulebatur vndequaque à Brachmanis & Ioguis, de quæstionis sectarum præsertim & ritibus, de vita in melius vertenda, perficiendaque ex eius virtute: ipse omnibus ex æquo satisfacere responsis idoneis nisi quod Brachmanis consueuerat per discipulum suum illa dare; Ioguos obscuris apud se conclusos cubiculis exercere proluxa contemplatione, sui que afflictatione durissima: illine ipsi postea prodire velut piacularibus recocti flammis, omnis maculæ expertes, ne vllius quidem iam pœnæ rei, quam alioqui fuerant post mortem luituri. Nostris Bazaini Patribus dolebat vehementer eiusmodi hominis cœcitas, tam multos excæcans, ducensque in mortem præcipites, cui si mentem afflasset radius eius lucis quam pater luminum iis infundit quos propitiis oculis intuetur, quanta foret in vno, & quam numerosa multorum victoria? quam multos secum saltem non perderet. Postquam igitur sua de Brachmane vota, ipsumque diuini Spiritus gratiæ suauissimæ ac potentissimæ Brachmanem miserum commendassent, cœpere hominẽ variis petitionibus vbi tulisset occasio adoriri, disputando, ratiocinando, stringendo, prout videretur excepturus eas libentius, & iis facilius cessurus; & audiebat principio ex placiditate congenita non ægrè, deinde perlibenter, & cum animi voluptate, vt enim magis ignorantia, quam mentis prauitate idcirco à bono exerrarat, quodd verum non cerneret, iam veri aspectu, sibi quidem relecti ad lumen insitæ rationis, sed multo splendidius ad sapientiæ æternæ radios, miris gaudiis affluebat, donec secum tandem, & cum Patribus, tam diu altercari pertæsus, nec remoram nactus vt cumque probabilem qua diuinos impul

impulsus retardaret. Vero denique manus dedit & esse oprauit Christianus : solum officiebat huic voto arcanus quidam & timidus pudor quem illi fingebat vafes hostis de sermonibus quos esset de se vbiq; gentium populis daturus, Procunioium post tantum ætatis, literarum, virtutis, laborum, ex summo legis interprete, & Sanctimonie exemplari; ex magistro Brachmanum & Iogorum supremo, decreuisset in humilem Christianorum discipulum, & tironem: profiteri se hucusque senectutis, & errasse semper, & induxisse alios in errorem: quicquid eatenus vel ipse didicisset, vel docuisset eiurare: sed hoc item Deus cum laqueo absoluit, viamque monstrauit, qua generosum Sanctumque propositum tam solerter in opus conferret vt ei de fama nihil detraheretur; ita domum se nostram recepit, de mysterijs sacris quæ nondum satis cognouerat accuratius edocendus. Sparsa per urbem facti notitia, conuolare ad illum Brachmanes, & Iogui, stupere, rogare vnde? quo? tam inopinata mutatio? quos ipse solidis rationibus dum sedat, luce collustrat ita euidenti, vt paucis diebus, vltra quinquaginta Christo pepererit, & erudiendos Patribus dederit, & hi similiter disciplina imbuti Christiana, nondum rude donati tyrones, iam magisterio, fungerentur, & fora suis ad populum concionibus impleant. Quapropter cæteri qui tot ad radios cæcutire nihilominus obstinabant, aiebant, sedes sibi necessariò mutandas, & eò migrandum, vbi parum versaretur nemo, fore alioqui, vt ferre vim tantam diu non valerent, sed cogerentur, & ipsi Christo accedere. His certaminibus subacta magno numero multitudo, & Christianis exulta principiis, ipso Procunio Brachmane signifero, ad sacros Fontes admissa est, exussuque veteri homine, in nouam rediit creaturam: lustrationis pompam eo plausu, iisque lætitiis ornauit, vniuersa Christianitas Bazaini, quales nunquam antea in vsum venerant: suppeditatæ vestes pretiosæ neophytis egentioribus, alius duobus, tribus alius suo sumptu illas emere voluit, fuit qui octo & nouem eadem elegantia vestiuit. Princeps omnium Brachmanes ex nominalibus Henrici nomen tulit, & meriti nomine id affectus est, vt in communem virtutis egregiè typum vita illi diutius profferretur. Lethali enim paulum à baptismo ex ægritudine dum iacet matrona se illi per visum obiicit regia maiestate, & puro aspersum liquore, repente perlanat, monens esse hanc aquam, quam nostri Sacerdotes suis precibus sacrarent, in vsum adhiberent fideles: eam magni faceret, & intelligeret non minus animo ad salutem, quam corpori ad valetudinem prodesset: hæc ipse narratum Patribus, die eodem venit futurus ipsemet, valetudinis receptæ testis, & aquæ illius vasculum ab iis rogauit. Fuit hic alter inflicus à Patribus capitalis ictus Bazainensi idololatriæ.

Paucis retro annis debilitata fuerat ab iisdem grauissimo vulnere: inter sacrilegos eius ritus, obseruabatur vnus maximè solennis, haud quidem splendore apparatus, sed credulitate miserorum, veniam sibi

Gg 2 omnium

57.
Iubilens
ethnicorum
qualis.

omnium scelerum ex eo spondentium; velut enim iubilæus quidam populorum concursu innumerabili feruebat: tota illuc Brachmanum, Iogorum tota fluebat colluies, hi ad vendendam deorum gratiam, & eriminum veniam, populus ad emendam coibant ad ripas lymphidali-cuius riui, placatis multa hostia simulachris, subibant in aquas sacrificulorum asperione ac precibus purgatas, in iis vbi lauissent, inde se tam puros animo, quam lotos corpore putabant emergere, occinentibus Brachmanis adulteria, rapinas, homicidia, & quæuis tandem portenta scelerum, iis aquis eluta, in altum mare sorbenda deferri. Magnæ offensionis erat hæc fabula, nouis & adhuc rudibus Christianis, exprobrabat iis ethnicus, se breui, & paruo omnes ab animo delere maculas, & earum pœnas, quas nisi longo incendio Patres negarent expiari. Amouendo huic malo, nostri ripas illorum riuorum multis crucibus conferunt, quibus sacrilegi tanquam profanis apud ipsos Bazaino procul tunc quidem pelluntur, verum septima inde leuca, incidere in locum suæ illi aptum lauatrinx. Lacus erat angusti ambitus, in speluncæ ingressu, sub rupis latere patentis, densitate arborum amœnus: illic impias figunt ædiculas, sua quamque cum ara, & idolo; lacum anabathris circumdant quibus esset commodus in aquam descensus; ex arcuato cauernæ aditu pendebat prona in lacum arbor, cruentæ catastrophi valde apposita nefarij dramatis, cuius partes claudendi, deferebantur vni, qui Sanctimonix titulo in iis excelleret. Is summam scandebat in arborem, & inter varios, variè affecti populi clamores, in subiectum lacum vltro se præfocandus mittebat: ex quo sacrilegus suimet parricida beati nomen promerebatur apud illos. Ita infelicissimis barbaris, sua quam ante felicius cedebat amentia, quod cum P. Christophorus à Costa apud Præfectum Bazainensem doleret vehementer, & Christi nomine tam intolerando sceleri remedium posceret, accepit illico ab eodem, sed quale mali vis maximè exigebat, canteriatos catapultarios quinquaginta, equites totidem, accessere his aliquot nobiles Lusitani quibus fore decori visa est, pietatis nomine suscepta excursio.

Ducebat agmen præiens Acosta, intercipiuntur ethnici eo articulo, quo sacrificia & cerimonix feruebant maximè, lacus ripam cingebant densæ illorum turbæ, quæ repentino aduentu armatorum, explosione bombardarum licet in auras fusa minis ac vocibus ad necem poscentium, disiectæ, sacris & Pagodibus omissis omnes se in fugam dedere præcipites, maximèque omnium Brachmanes: ausus ex Ioguis vnus consistere, ratus fore se venerationi nouitate habitus insolentis: huius apud suos magna erat sanctitatis existimatio, quam vitæ in eremo, asperrimæ, & ieiuniorum conciliabat opinio. Hic ergo intrepidè confidenterque se præferre, concionari Lusitanis, imitatore se iactare Ioannis Baptistæ, deserta illius exemplo incolere, incedebatque planè subornatus vt solet à nobis Baptista sanctissimus depingi, nisi quod pel-

le

le tigridis pectus solum & dorsum, nudus cœtera velabat: in ore Iogui S. Ioannis nomen, & Lusitanicum idioma suspensionem fecere omnibus, vel apostatam esse, vel transfugam, & fuerat planè mancipium nobilis Lusitani; cuius de lingua rebusque Christianis etiam tum aliquid retinebat. Apprimè igitur deprehensus, sancto posito quem assimilabat, mancipium fallus est quod dissimulabat, & spontaneas Iogorum pœnas, fugituo seruo debitis mutauit. A costa inter hæc cum alacri manu piorum militum, fana diruere, idola suis in altaribus vrere; vaccæ carnes mactatæ latè huc illuc dispergere, illarumque exta, & sanguinem in lacum proijcere, quo ab iis locis pro superstizioso suo cultu execratis in perpetuum abstinerent, & vero nec illic postea, nec longis circa Bazainum spatiis tentarunt suis illis lotionum, & iubilorum cruentis orgiis Christianorum oculos incestare.

Negotij fuit operosioris quod sibi Patres Cocinenses quocumque tandem periculo mouendum iudicarunt centum fere ab Goa leucis, ad integritatem Catholici dogmatis à lupo vindicandâ qui se ouium pelle, pastorem illis procul intruserat; erant ij quos vocant, Thomæ Apostoli Christianos, millia viginti supra centum, numero excedunt. Sparsi degunt pagis, mapalibus, oppidis per montes Malabarum, qui plana despectant occidua regnorum, Cranganoris, Cocini, Porca, & Caulani, Gaudent Thomæ appellatione, quod Thomas Apostolus Pater Indicæ Christianitatis sacro fonte illos abluerit, hodieque Nouembris vicesimum primum, mira veneratione solennem reuerentur, quod Socotora peruectus Apostolus, ad eorum littus in Paliportum appulerit duabus ab Cranganore leucis; venerantur & Iulij tertium illius anniuersarium quo sacra eius ossa translata memorant. Prodigiij loco scriptores suspiciunt, Christi fidem, ab iis per annorum centena sexdecim illibatam, in media Ethnicorum, & Saracenorum colluie hæreditatis opulentæ iure transmiffam in posteros, etsi multum abest ab ea simplici, & sincera qua Christi Apostolus illos imbuerat. Culpa videlicet immani præsulum Orientalium, qui ante annos ferme octingentos, vsque ab Syria illuc nauigantur, vt ab Sede Romana distractos, Nestorio suo, & Dioscoro funestarent; nec suo illo veteri scelere vnquam postea abstinere, quin statis annis emissarios è suis duos aut tres eo destinarent, à quibus Casenares, hoc est ministri altaris, sacrentur, inculcarentur corrupti Euangelij doctrina, instaurarentur sectæ ritus, si quæ ab traditis excidissent; quanquam ad immensæ nauigationis tentanda pericula, non tam illos agebat salutis alienæ, quam cupiditatis priuatæ ratio, etsi enim sunt omnium egeni, & rusticani, populi S. Thomæ, eoque tantum vno vitam alunt quod syluajis suppeditat, sed antiquos suos in Christo Patres, & magistros tam tenerè amabant, vt ne propriis quidem ad eos alendos parfuri carnibus, viderentur: cuius teneritatis probe gnari optimi præsules & pastores, sibi minimè decrant, nec solum mulgendo, sed & deglubendo saginati, demum in patriam remeabant.

58.
Patres Cocin. Coll. Nestoriani Epif. impugnant.

Porro niti ad coagmentandum cum Rom. & Christi Vicario populum, perinde apparebat velut in fluuium conniti. Sermo illis omnis præter Chaldaicum exosus, & barbarus, hunc vnum ad sacra, precesque publicas adhibebant, quibus sub ortum & occasum solis religiosè intererant. Fixique aded vsum Chaldaicæ deperibant, vt certò crederent non alia Deum, & veritatem lingua vti, omnemque aliam mendacio & fraudi esse obnoxiam. Pauci quidam Cocino, & Coulano confines, Lusitanorum consuetudine mitigati, & verum edocti, supremi Ecclesiæ Pastoris auctoritatem sequebantur, & professionem Ro. fidei: sed anno 1557. nihil propius abfuit quàm vt ad vomitum redirent vniuersi, Illuc aduenerat Cairo Nestorianus hæreticus, Archiepiscopum præferens vt eos in schisma eiuratum, & abiectos errores reuolueret. Procedebat belle sua sycophantæ peruersitas, quòd eam secreto premeret, quòdque modesta, & humili specie, loquacitatem suam probabilem faceret. Sed cælari diu versuti hominis dolus non potuit, moxque P. Melchior Carnerus Niceæ Episcopus suam Vicario ad eum perquirendum diligentiam obtulit, vel reuicturus aperta disputatione, vel iis Montibus, eiekturus; ac si mortem in causa tam nobili, barbarorum ferro daretur oppetere (quod ei amicorum vaticinabatur beneuolentia, auertebatque illum à proposito eundi) at si mors daretur faustum iter vocabat quo paucis diebus loco esset sistendus quem à summis orbis alterius finibus quæsisset. Hac mente confirmatus proficiscitur, & feram per montes varia indagine, vestigat; sed ea captatis effugiis viri Dei aduentum præuertebat, & aliquando deprehensam, artes sequacium ne caperetur occultarunt: dumtaxat ab vno ex illis regulis, quanquam infideli, obtinuit tamen, vt exterminaret hominem extra regni fines; ab alio vt inquireretur carcere claudendus. Tandem is Carnero cum Angamalem condixisset, fidem ei fefellit, diuque illic ab eo incassum expectatus, libertatis ac vitæ prætexto periculo, bis mille schismaticis in tutelam se dedit, qui se illi Amocos iurarunt, velut dixeris sacros, hoc est suo capite illum defensuros: quibus ad Nunnium perlatis Æthiopiæ Patriarcham, destinatum sibi adiutorem Episcopum Carnerum, obedientiæ præcepto, citatis literis Goam iussit redire, idque admodum prouidè; iam enim Carnerus omiſſa Nestoriani vestigandi sollicitudine irrita, parabat montes illos & syluas peruagari, vbicumque domos, & auditorem inuenisset de Deo, & recta credendi regula dicere, laceſſere disputatione Casanares, hæretici populi doctores, si possent in campum educi: sed obtemperandum fuit reuocanti. Rediit maiori patientiæ merito, quam operæ pretio, tametsi non fuit penitus vacua; bimestri enim duobus in oppidis pridem ab Ecclesia diuulsis prosperè desudauit, ac principio licet, agresti barbarie ab iis acceptus, ferendo tamen, & mitigandis paulatim syluicolis durando, tantum egit, vt diuturnum errorem abjicerent, Deoque & Ecclesiæ sanctæ se redderent, alios Nestorij lue intractos eatenus, constabiliuit in auita fide, quosdam sibi in sylua à se-

ne propè centenariò oblatos aquis vitalibus abluir, alibi alios, sed fere infantes, nusquam porro se in conspectum dabat, quin exciperetur probris minisque barbarorum, mortis tamen ab Christi hostibus, nullo loco discrimen præsentius subiit, quàm ubi se ab eo ratus est longius abesse. Cocinum redux ut Goam repeteret dum per urbem incedit, à tergo sagitta petitur, caput ab occipitio transfixura, nisi sua impium oculum manus fefellisset vnoque aberrans digito, telum pertuso pileo tranfuolasset: ac latuit quidem tunc scelestus homicida, post breui non ægrè coniectum est, si minus quis author; qua saltem rabie ageretur, & qua gente ortus, indicium fecit scriptura pestilens execrationibus in Christum referta immanibus, & probris in Patres à quibus prædicabatur Messias, & Dei filius, manifestum fuit ab Indæis profectam, sed Christiana specie personatis, & deprehensæ sunt non longa diligentia familiæ integræ perfructi generis: verùm Præfectus Cocinensis politicus melior quam Christianus, vetuit ulterius tendere, quod contentionis alicuius inter ipsum & Patres causam dedit, de qua nihil admodum hic refert scribere: volitabat inter hæc confidenter Nestorianus Episcopus, suorum bis mille Amocorum custodia cinctus, & Christianitatem S. Thomæ suis erroribus fœdabat.

Christum duas personas uti & naturas habere garriebat, addebat & Virginem nequaquam Dei matrem; in sacramento Eucharistiæ Christum hominem, nihil præterea; Ecclesiæ caput non esse Romanum Pontificem Christi vicarium & Petri successorem, Triumphabat impunè his sacrilegiis verborum de ignorantia simplicis populi & agrestis; nisi quod mordebat superbum animum apud suos nota recusata toties concertationis, & Carnero per montes & sylvas prouocanti, nunc fuga, nunc latebris, nunc rationum inopia, prohibita armis barbarorum more, sui copia. Reiecti ergo pudore certaminis, ne fateri se victum obstinato silentio cogeretur, animos sibi fecit ad obeundam prouocationem: conuenit de illa certis conditionibus cum Vicario Cocinensi, & Augusto mense anni proximè consequentis ibidem in stadium prodit. Potens erat dicendo, & ingenio plusquam mediocri, sed impar veritati & rationibus quibus P. Melchior Nunnius Patriarchæ frater in sacra pagina, conciliis & Theologia versatissimus, omnem eius defensionem eneruauit. Diu acriterque pugnatum est; nam erat proximè vrgendus, nec minus in eius pertinacia frangenda, quàm elidendis erroribus sudandum. Verum post omnes responsiones homini ereptas, victum denique se fassus, eò quanquam perægrè adductus est, ut scripto publico contestatus, negaret se potestate legitima sacratum Episcopum, proinde quos in Sacerdotes diaconos, & subdiaconos consecrasset, nihil accepisse ab se potestatis: qua professione nondum malo sat cautum ratus Vicarius, multumque veritus, ne sibi liberè permissum, maior quàm prius infania transuersum ageret, securo munitum præsidio Goam misit, vnde prima in Europam nauis, in Lusitaniam iussu Proregis peruectus

uectus est rationem sui redditurus. Vulgata igitur inter Christianos S. Thomæ, damnatione, & palinodia improbi deceptoris, cœptum lentissim, lentisque progressibus subiri in animos addictorum illi sequacium; & profectus ad illos nouus Cocinensis Episcopus, cum Melchioro Nunnio rem eò promouerant, vt anno 1565. populi eius vniuersi cum re-cta fide, & Ecclesia Rom. proximè integranda expectaretur consensus; at ecce hic tibi pro damnato, proscripitoque in orbis confinia creditus, portum subit Cocini Nestorianus idem Episcopus, victor, fastuosus, triumphans, literas ostentans absolutorias, & potentes commendatitias, certò vt erat insigni vafrutie, comitate, & simulatione sanctitatis, per fraudem ex Lusitania ablatas. Hic spes tantæ momento concidunt, semestris labor in nihilum abit, repetit Nestorianus suos montes, incredibili suorum gratulatione, venæna hæreseos hoc spargit licentius, quod insaniēti obstabat nemo. Quæ tamdiu pestis grassata est, dum Romam perlata rei indignitate Sanctissimus Pontifex Pius quintus mandauit hæreticum ab Archiepiscopo Goano, omni Ecclesiæ ministerio interdici, quæ ille inhibitione si premi se grauius, putaret, coram Pontifice causam suam acturus veniret. Hac edictione id vnum actum est, ne qua noua errorum semente infelix solum perderetur, sed quæ adoleuerat pridem iacta, vltra annum deinceps trigessimum pessimè viguit, post quem in regno Ediemper collecta synodo, extirpata est radicitus, & Christianorum S. Thomæ cum Ecclesia Ro. celebrata est vniuersalis communio, cui coagmentandæ in posterum, iussi sunt è Societate præesse illis Episcopi, de quibus dicitur opportunè.

59.
Ethnicis
Cocinensibus
Euangelium
inferunt PP.

Sub hæc tandem etiam aliquando ad idololatrias eius regni, mari propiores, intulit sese Christi nomen, nunquam vel admissum, vel vt sunt timidæ hominum coniecturæ admittendum. Regno enim & vrbi Cocinensi, ethnici imperabant; tenuē littus obtinent Lusitani, & in eo exilem & angustam Cocinum; sed amplam illam & veterem aliquanto in mediterranea recessu ethnici possident. Rex illi Brachman's, penes hunc diuina & humana; sacrorum ritus obibat nobilitas, certis ab æuo partitos familiis, quos vel omittere, vel diuersos ab iis profiteri, idem erat, ac publico, & legitimo probro, in perpetuum nobilitate excidere. Hoc propugnaculo Christi fidem excluderat dæmon, ne vel pedem ei regno inferret, & professioni Christianæ adiuncta quam dixi infamia etiā ab ipsa illius cogitatione ethnicos deterrebat. Vnis igitur apud Deum votis quod vnum restabat Euangelij præcones insistere, caritatis ardorem illuc totum conferre, vnde solum sperari poterant optati aditus in id regnum, qui etsi serius, aliquando tamen, tot precum compotes, difficultatem illam expugnarunt. Rex præter omnem expectationem, edictum vetus abrogauit, fecit Patribus nostris amplissimam promulgandi Christi potestatem; suis vero, eius capessendi. Tumultuari ad hæc Caimaj, qui sunt regni Barones, & proceres, arma expedire quibus Patres arcerent, absque mora opus suum aggressos vicina
loca

loca Euangelij lace collustrandi ; sed ab iis hæc arma suis armis defendit Præfectus Cocinensis Lusitanus , & Dei causam fortiter complexus vsum liberum Regiæ facultatis , & vitam incolnem Christi præconibus conferuauit. Centenos circiter , eorum quot mensibus opera Christo lucrifecit. In iis Brachmanes , Nahires , & Cechi , ex quibus triplex nobilitatis in regno gradus : accessere ad fructus cumulum Sinenfes nouemdecim , quos illuc commercij studio aduectos , excepit fors multo beator , concionibus Patrum , superstitiones perosi suas , aquis innocentiae loti sunt , sedesque ibidem in posterum stabiles fixere. Præter has in salutem infidelium perpetes , & strenuas curas , nihil prætermisum est assiduitatis , & diligentiae in iuuandis Christianorum veterum siue animis , siue corporibus , eorum maximè quos appulsæ ab Europa naues , quadringentos nonnunquam in littus depositos , nostrorum beneficæ tradebant caritati ; quàm porro secundis prouentibus , sua Deo nauarent munia , plenius breui complexus est antistes ipsemet Cocinensis , quàm possit à me prolixè diffundi. Erat is Georgius Temudius ex S. Dominici sacra familia , scribebatque ad Lainium Societatis nostræ Præpositum. [æquo , ait , & iusto moueor ad scribendum , vt inorit V. Paternitas , quam lætam ex his Indiæ tractibus frugum messem ipsius filij colligant. Eorum sollicitudine , virtute , morum exemplis , & precibus , alij ab idolis Deo se mancipant , ab suis sceleribus ad eum alij redeunt , & ad Christianam legis illius obseruationem : clarum est denique Societatem hanc à Deo profectam , nec dictu facile quantum quisque Patrum in propaganda Christi gloria hic defudet , quàm liberaliter vitam periculis obiectet : quæ quia meis ipsemet oculis video , propterea illos tantopere diligo vt arctissimam cum iis necessitudinem iunxerim , vtarque plurimum eorum prudentia in debellando , & subiugando maligno demone] hæc Episcopus Cocinensis. Feliciori quoque fructuum vbertate Coulani agrum Patres coluere vniuersumque illud Trauancoris littus : ædes illie Deo statuere nouemdecim cuique populo suam , quod celebratio baptismi crebra trecentos interdum aut quadringentos Christo adiungeret. Infantes quingentos censuit annus vnus , qui vt est ingenium eius cœli , paucos intra menses magnam partem ad Deum euolarunt.

Eadem diuinæ bonitatis prouidentissima largitate senes decrepitæ ab nonagesimo , ad annum centesimum ætatis , alius vno , altero alius postquam erant ex aquis genitalibus renati die , ductam ex iis innocentiae Sanctitatem , illibatam cœlo intulerunt : æterna illuc destinatione transcribendi eo tunc articulo transcripti , quo facti fuerant tanto bono digni. Brachmanes Iogus errore abiecto dum sacris abluitur Ignatij nomen inde sibi disertè postulauit , ob-reuerentiam vt aiebat , erga magnum Societatis Patrem , & visus ab sancto suæ huius in illum reuerentiæ præmium tulisse , tam insignes , & citos in omni virtutum genere progressus , vt veteribus Christianis admirationi fieret & pudori.

H h

Dege

60.

PP. geita in
regno Trauancoris.

Degebat nobiscum eodem sub tecto, ex quo vnum illi & vltimum iter ad sepulchrum fuit; dabat quotidie tres horas meditationi æternorum; corpus crudum in morem afflictabat, aiens fore sibi continuo, & infami opprobrio, si minus foriter defungeretur vtroneis pro Christo peffionibus, quàm olim pro dæmone cum ei famelicus, & nudus & solus in syluis militaret. Memorandus hic item in paucis adolescentis casus: initiatus sacro baptisate, aliquanto post lignatum ierat, deprehensus ab suis, domum abripitur, in cultum fictorum numinum reuoluendus: at is mediæ noctis silentio rediturus ad Patres inde se liberat. Syluam ingresso animosè, eiusque inuia peruadenti, sub exortum auroræ occurrit tigris venatu prædam querens: actum erat de illo, vt cumque armis, & viribus maxime valuillet, haud tamen vitare poterat quin discerperetur à crudeli & ieiuna fera, verum sua hunc fides crucisque fiducia tutata est, signo crucis ad eius adspectum munierat sese, cum in eum inuadens bellua repente mansuescit, accedensque propius canis more blanditur, affricu mulcet, lambit etiam tenerè, & intacto abit. Constabat ferme ex piscatoribus Christianitas recens Trauancoris, quos ipsi Macoas nominant: quamobrem Patres iis erudiendis partiebantur diem eorum commodo: Mane feminis tradebant scitu necessaria ad salutem, sub noctem viri Scaphis & retibus vxorum custodia, à piscatu permissis, conueniebant ad audiendum de rebus diuinis. Sed leucarum quinque supra viginti oram, quæ ad Comorinum Coulano tenditur, cum pauci numero non possent satis excolere, substituere sibi, docendi Vicarios iuuenes, matura, & præstanti virtute, lectos è seminarij alumnis quos Nicolaus Lancillolus incredibili patientia Coulani educabat: obibant hi mutatis vicibus tractum illum, inspiciebant, hortabantur, sacra necessaria ministrabant: ipsa quin etiam interiora continentis albebant messibus quas nostris Patribus ostentabant; ethnicorum oppida quatuor, suos ad P. Franciscum Perez legarunt Aſceos, hoc est magistratum primores, à quibus communi nomine rogabatur eò se conferret, ad eorum populos sacris vndis tingendos. Profectus est Perez, sed multitudini numerosæ, solus, & breui tempore quod illi suorum permittebat cura, cum sufficere non posset, ex quatuor millibus baptismum perentibus, legit, lustrauitque solum quadringentos; in sociorum aduentum reliquos distulit accuratius comparandos. Rex ipse Trauancoris ædem sacram Mampolini habere voluit, & oblectante quantumlibet Cirangue Regina superstitionis erga Deos pertinacissimæ, extrui illam iussit. Nam etsi ethnicus, sed propensissimo studio ferebatur in religionem Christianam, & augustissimum I E S V nomen: ducebatque hanc velut hæreditatem bonæ mentis à patruo Vnichetrenirio rege, Xauerij intimo, & post Xauerij obitum Francisci Perez cui se palam ferebat immensis nominibus obstrictum, & vero illi debebat omnia; regnum enim illius insultu sex millium subito, prædari aggressum Bisnagæ Regis armorum Præfectum, non va-

lens

lens auertere, quod ægrè ad mille suppetere quos illi opponeret P. Francisci Perez auxilia poposcit, & misso ad eum legato rogauit, habere se vellet apud Deum infimis precibus commendatum: promittit Perez, missoque interim ad eum vexillo, IESV nomen depictum præferente, mandat eo frontem exercitus muniri, cum eo armigerum agmini præire, omnes dato ad conflictum signo, IESVM magnis vocibus in opè vocare & certo confidere, Deum illum esse dandæ victoriæ præponentē nedū hostis longius amouendi. Nec sua Perem promissio, nec spes Regem fefellit. Grande illud, & augustum nomen, in ore licet Saraceni & idololatræ, quales erant ij mille qui pro rege pugnabant, tanto illos robore armauit vt hostilem exercitum funderent, & terga fugientium sagittis prementes, multa eorum strage, incruenta sibi victoria potiti urbem repeterent. Rex beneficij conscius, hanc Patri Perez reposuit gratiam vt quocumque suarum ditionum Christi fidem cum potestate amplissima propagaret: vexillum denique tanto illustre miraculo, multisque postea præliis, eodem victoriæ nobilitatum euentu mirabili, gazæ regiæ thesauro adscripsit, pro felicitatis non dubio pignore asseruandum.

Dum hæc à nostris in tractu Indiæ geruntur ad occasum vergente, alterius ei oppositi & Piscarij potissimum littoris, anceps & incerta conditio, infaustis & prosperis semper alternauit. Repentinis Maorum excursionibus, incendiis sacrarum ædium; & domorum expilationibus infesta; discordiis ciuium; secessionibus in nouas sedes; carcere ac vinculis Euangelij ministrorū, & eiusmodi calamitatibus, quæ priusquam expono, indicanda sunt summatim aliqua, de Patrum solertia in firmanda illic & fouenda Christianorum pietate. Præerat nostris Goa illuc transmitti solitis Henricus Henrichez. Leucas excolebant sexaginta oræ littoralis quæ à Pouare Ramanancorem sursum versus Piscaria dicitur. Sunt in ea vel pagi vel oppida, plura quadragenis, nonnulla capitum quinque millibus habitantur, gens dura & agrestis, anni maximam partem ad mare transgens, Paraui enim & Carai, qui maiorem populi conficiunt numerum, toti vna sunt in piscatione vnionum, alij piscium. Infelicitas soli tristis, omnia arenæ steriles; victus alimenti auari & tenuis, solis ardor intolerabilis aquas vrens & sabulum excoquens; malorum cumulus, mediterranei barbari, lege Deorum cultores; professione & arte grassatores. Torrentis instar subinde ex montibus subiecta inundant improuisi, direptisque omnibus, homines in seruos abigunt. Aptissima denique ad fingendos tyrones apostolici muneris regio, vt eam censebat Xauerius, seu vitam spectes ærumnis exercitam, seu difficiles operas, seu pericula nunquam non obuia. Versabantur in ea sex Patres, subinde octo, vt multum decem, & erat necessariò vni subeundum, quod onus plurium sat iustum fuisset. Partiebantur inter se loca, quæ sua singuli pro parte peragrabant, vt se omnium votis & necessitati commodarent. Punicali Henrichez agebat vt plurimum, quæ est

61.
Ora Piscaria:
Henrici Henrichez in ea labor.

oræ illius metropolis, inde circum inrentos in reliqua tenebat oculos; frequentabatur quotidie nuntiis variorum pagorum, septenis interdum & octonis, accipiebat ab iis datas ferme semper publicè literas, quibus de re communi interpellabatur, ipse vultu omnium pater, prompta omnibus sollicitudine succurrebat. Quicquid de solido diei opere, & noctis quiete liceret decerpere, infumebat vertendis graui molestia rudimentis & institutionibus Christianis, in maternam indigenarum linguam, quæ festis diebus, vbicumque adesse non poterat, confluenti populo legentur: magno præterea religionis sacræ compendio Casciges & Brachmanes, crebra versabat disputatione, & quem fama doctrinæ inter suos iactari, & ostentare se inaudisset anteuertebat lacescere, priusquam virulentas plantas neophytorum pagis infereret. Denunciabat illi vel nuncio vel prouocatorio syngrapho certamen disputationis, sed publicæ, solennis, luce palam, in conuentu vniuersi populi certandum. Tametsi autem mentis cæcitate, Veri splendore expugnata, suæ vt plurimum animus pertinax gratis induresceret prauitati, sed valebat maiorem in modum ad stabiliendos in proposito Christianos, quod coram cernebant externarum sectarum sapientissimos, rationibus domitos, etiam naturæ infitis sic adstringi, vt euoluere se ex iis nullo exitu possent, sed vel muti silerent, vel ea responderent, quæ pueri etiam erubissent respondere.

Horum vnus inter Brachmanes Iogus de se fabulam dedit cognitu lepidam; annos egerat aliquot in eremo solus, pœnis vt solent vltro-neis asperos; inde ad suos descendere, concionari passim de seipso; affirmare se illum qui tot pridem annis fato functus, in vitam redisset; imo antea sapius mortuus Deum gratia toties rediuiuus, vitam sibi beatam distulisset, hac in paradiso, si vellet perpetuam, fuisse sibi præmanibus, mortalem istam tantisper maluisse, vt eorum coargueret mores, hortaretur illos ad pœnitentiam, Pagodum venerationem, constantiam in auita lege, in Brachmanes & Iogos largitatem iis serio inculcaret. His tantum fidei sycophanta in plebe stolidi inuenit vt non deessent qui mortis illius certa profiterentur indicia; & locum, modum tempus obitus illius designarent, cumque annos retro complures retexeret furcifer, seque illa spectasse quæ per eos gesta memorabat, computato rerum, & temporum lapsu, pro indubitato liquere creditum, annis illum esse trecentis seniore: tam prodigiosa ostentum nouitatis, omnem statim personat regionem; concurrunt ad audiendam, & videndum populi agmina; spectatur tanquam caelo lapsus; hinc pudor atque offensio dum simplicioribus Christianis ethnici exprobrant, eum quem possent de suis monstrare hominem seculorum trium, & ex morte vicies rediuiuum? si tanti fieret ad annuntiandam Christi legem, enavigasse Patres tot Maria vsque ab Europa; quanti potius esse, sentiendi magistrum & viuendi habere, ex orbe functorum toties reducem? & aurem huic somnio dedere aliqui tam stultè credulam, vt ausus Bembarem Christianorum pagum venire Iogus, non sine honore illic exceptus sit

fit. Quod ubi primum Henriquez didicit, misit exemplo qui gratularetur homini aduentum, rogaret etiam atque etiam pergere usque Punicalem; non fore id illi quanquam breue iter & diei unius, absque insigni compendio, teneri se morbo, nec posse in viam se dare, cupere tamen vehementer virum tantum nosse, fruique illius presentia quamdiu libuisset eius se compotem facere: Inuitatio tam comis logo pecunie auido odorem fecit doni alicuius, à Christianis emungendi quos habet illic Piscaria commodè diuites, Patremque sibi hoc præmio suscepti itineris gratiam pensaturum: stipatus ergo densa populi turba viam carpit, Punicalem cum pompa ingreditur, pompam constant pueri coronati, virorum ordines, musicorum & tubicinum chori, infano strepitu aures tudentium, ipse in medio nobilium vertitur, huic quisque quo propior eò beator, nec diuinabat propheta nequissimus Punicalem se triduo, tanto pellendum ignominiosè, quanto illuc magis fastuosè intrabat. Occurrentem tùm primum hominem Henriquez provocatione salutavit magna voce, sic ut omnes audirent, ad defendendam mirabilem quam vulgauerat doctrinam; in comitio populi peragi oportere; interesse omnium ut perspicue, & liquido de prodigio docerentur nunquam ante illum in orbe edito, nec audito, quo toties fuerat ex morte suscitatus, aderatque postremum rediuius ut tanti portentum miraculi vulgaret: non posse illum causæ suæ diffisum, pugnam defugere, inuictam vim esse veritatis; eique annorum ut se ipse ferebat doctori trecentorum, non esse ab homulo vulgari timendum, Conturbatus indictione inopina Iogus, cuius falsitatem, verax conscientia obiurgabat, pudore tamen metum suum peruicit, viderique voluit in pugnam libenter assentiri. Prodeunt uterque in campum postridie; spectatores utrimque, ac testes euentus præcipui quique; absque numero reliqui arrepta omnes curiositate, in illius tantum decantatæ resurrectionis vel indubitatae approbationem, vel damnationem.

Verum Iogus infelix in multis iam falsi comprehensus, ut de illa demum coactus est dicere, animo concidit; & conditione proposita, qui vellet persuasum hominibus se toties mortuum toties suscitatum, debere ut minimum, semel coram morte oppetere, palam semel & coram resurgere; nec futuri aleam subire voluit, nec defensionem præteriti quod tandiu iactauerat: sed explicuit se ex illo concertationis tristi examine cum hoc ad P. Henrichez oppidò illustri epiphonemate, mirari se aiens, Henrichem, ut erat, sapientem non intelligere, quàm nihil referret, falsò aliquid dici aut fieri, modo tibi hoc profit, noceat nemini, non paucis meriti materiam suggerat: innuebat nempe sacrilegus captata suis dolis, & fraude donaria, quibus & ipse commodè viueret, & dantibus meritum conciliaretur. Hac falsi turpissimi defensione falsa impudentissimè perfunctus abscessit; Henrichez in gradu constitit, vsusque armis quæ ultro Iogus ipsi concesserat, fallacem Brachmanum & Iogorum doctrinam insectatus est acriter, quos non recti & veri, sed lucri, & commo-

di ratio ad spargenda in homines portentosa quædam, & arcana, eò magis creditu indigna, quò plus crassæ præferrent admirationis: de quo appositè copiosèque ita dixit, vt irrumperent ethnici, & magno consensu faterentur, Christianam legem re ipsa solam syncere agere, agi lumine rationis omnibus innata, nixamque indubitatis principiis, ad agnitionem rerum æternarum suos euehere. Hoc euentu disputationis triumphare Christiani; erubescere Brachmanes; Iogus clam solus absque tubicine, hominum oculos quantocyùs fugere, quòdque iam factas nulla supererat fingendi rediuium, eremo se deinceps occultare.

62.
Oram Pisc.
Badagæ va-
stant. Hen-
richez cap-
prus, deinde
liberatur.

Longe alia fuere P. Henrichez eiusque sociis in ora Piscariæ cum fidei hostibus prælia, nec vnus fuit confligendum linguis, & subtilitate rationum cum Cascigibus, & Brachmanis; sed ferro aduersus armatos Badagarum, & Saracenorum exercitus. Cum ergo armis, & viribus rerum summa ferretur; habiliores remis, & retibus in mari; quam hastis & iaculis in terra Christianos, necesse erat victos succumbere, & Patres eadem cum iis fortuna inuolui. Sic anno 1553. multa millia Parauorum quos ad Manaram piscatus collegerat deprehensa sunt ab Turcis: Raifius Ali famosus pirata Calecutio soluerat, agmen agens nauium Turcicarum; cursum tenens incidit in Parauos; imparatos nullo negotio disiecit, eorum nauigia viginti capit; multos in mancipia abducit. Præfectus Piscarij littoris Emanuël Rodriguez Cotignus, vir integerrimus, & Xauerio peramicus, exercitui tanto impar, sine mora Cocinum mittit qui suo nomine à Præfecto auxilia posceret: verum interea flectens Saracenus, ad Punicalem exscendit, acieque in urbem directæ, ea idcirco facile potitur, quòd eam mari dum impetit; Badagæ quos afflaue- rat prædæ odor, terra illam aggressi premerent; vtrunque occupata propè funditus delata est: Turcæ prædam tulerunt; à Badagis homines abacti, atque in iis Præfectus cum vxore, liberis, & Lusitanis quinquaginta; è nostris adiutor trium miliarium natatu euasit; Henrichez à barbaris tentus est, qui decem millibus pardaorum, redimendam taxarunt captorum libertatem, quòd fictè submissus ab iisdem Turca, tantundem pretij ab Ali suo dace ijs emendis obtulisset: hac clade bona pars illius Christianitatis sortem adiit extremam, vitæ aut fidei paucis diebus amittendæ. Punicalis, quòd illic oppidorum caput habebatur, expugnatione elati Saraceni, per feciales populis edicunt conclamatas esse Lusitanorum res; desperandas ex iis suppetias; Maium inuentem principium hyemi dedisse; clausa in menses quatuor maria, optarent igitur ex duobus vnum aut legem Mahometis, aut hostilia victorum arma, dies quinque ad optandam ijs dari. At enim afflictissimam hanc Christianitatem, primigenios fetus suarum ærumnarum respexit de cælo Xauerius; interpellatum iam tribus nuntiis ab Henriche Franciscum Peres ad festinandam Parauis opem adedè inflammavit vt à Præfecto Cocinensi negatam, ab Ægidio Fernandes Caruallio impetrarit. Erat hic inter nobiles clarus; Regis quidem obsequiis ingenti animo addictus

dictus, sed multo diuinis addictior. Hic Patri Perez cum lachrimis supplicij, vt animarum tot millia, in æternam mortem alioqui præcipitantia suo sumptu seruaret, nec defuturam condigna mercede illius merito numinis largitatem; mollitus animo amanterque complectens; sumptu inquit meo, & rei domesticæ parum est; iniqua foret emptio rei tantæ; in eam quicquid habeo sanguinis conferam moxque urgente negotio, quod in numerato argentum non esset ad conducendos stipendiarios, & naues armandas, oppignerata re omni sua, tantum æris confecit quantum opus erat ad faciendum instruendumque exercitum; classe igitur egregie parata, priusquam conscenderet, sacro apud nos interfuit, & augustissimo relictus epulo, contestatus est, audientibus qui aderant, coram Deo, vni se ipsius gloriæ illam suscipere arduam licet expeditionem; si suos conatus fauore, & victoria dignaretur, totam eius fore victoriæ gratiam & decus; si mallet se victum, & ab hoste casum, libenti, pronoque animo vitam se ipsius altaribus deuouere. Hæc piè nec sine lacrimis professus ad vela contendit: classẽ eius naues constabant quatuor præter aliam minorem; earum vna illum in cursu deseruit, in flexu Comorini tam atrox illam deprehendit procella, vt dissilus arti, & viribus Nauarchus; ventorum furori se daret, eoque raperetur vbi hostium naues stabant in anchoris, sic mortem quam vitabat inter fluctus, inter gladios hostium incurrit: ad arma illico ventum est, sed in tantos tam pauci quid possent, nisi quam tuendo non erant, vitam poscentibus carò amittere. Pugnatum ab iis fortiter magna hostium cæde; suorum vero tanta vt tres ægre superstites fuerint qui mari natando euasere. Quibus nihilo turbatior Fernandez, nauigijs quatuor ad paruam insulam applicuit, vbi magno labore nauim nouam suis illis tumultuario adiunxit, perindeque vt nihil iacturæ fecisset, in hostem contendit, & patebat prorsus Deo incitum ire, militis sui pectus inusitatis animis obarmante, aliàs omnino futurum fuisse magnæ temeritatis reum, ob prælium Marte tentatum tam iniquo: stratas duodecim habebat Maurus, triremem vnã, phafelos quadraginta leues & exiles, sed qui aliis iuncti classẽ componerent grandem, & validam, quam præterea Maurorum bis mille ex littore in armis propugnabant, aduenientem Fernandium excepturi: at is ad primos contra hostem remorum impulsus, clamore Iesum in opem vocat, succlamant alacres nomenque repetunt milites, quibus id pro tessera dederat confisi suis ad victoriam manibus vsurum cuius gloriæ præliatum ibant. Huius præclaræ confidentiæ sensere illico virtutem insolitam, velut enim victores ante pugnam, in confertos hostes, tam securo impetu irruerunt, vt ruptis confestim eorum ordinibus, nec fugæ nec pugnæ compotes, pro victis cæderent, eaque in illos strage defæuissent vt euasurus esset nemo nisi armis proiectis, naues Fernandio in prædam, seipos in mancipia dedidissent; Badagæ in prælij exitum suspensi, oblata Mauris auxilia in prodicionem eorum vertunt; atque hinc ipsi, inde exscensione celerrima Lusitani multa cæde in illos grassantur.

Restabat

Restabat Præfecti Manuelis, & P. Henrichez libertas redimenda; hos Badagæ negabant amissuros nisi numeratis vt pactum fuerat millibus pardaïorum, decem. Hic dum Fernandez deliberat argento an ferro agendum sit, cum captiuis Badagæ in interiora littoris se abdunt: premit eorum terga sine mora Fernandez, oblessoque illorum castro, ignem iis & ferrum minatur nili quantocyus captos reddant; verum in promptu reperiunt barbari, quo illum atrocius terreant: decernunt Henrichem tranfacto per medium hominem palo induere, atque in specimen excogitatæ ab se crudelitatis in alios quinquaginta, ita dirè confixum ad Fernandem remittere: horum maturè præmonitus Fernandez certandi consilio superfedît, & redemptionis pecuniariæ videri voluit denovo negotium mouere; interim clam misit ad Regem Bisnagæ (cuius erant clientes Badagæ) qui captos sibi ab eo donari humaniter peteret: sed inhiantes auro Badagæ truculenti, catena Henrichem vinciunt visitata in eos barbarie quorum fugæ maximè cautum volunt; morti tamen iis inferendæ quam inhibendæ fugæ magis idonea; retorta in dorsum cervice ita eos ligant, vt à collo in pedes catenæ vix palmus intercedat: durauit tormentum hoc Dei seruis integro trimestri, & accedente corporis tumore aliisque à victu famelico, miseris & cruda quæ tunc rigebat hyeme, mirum fuit tot malis viuentem defungi: impetratum tandem à Rege Bisnagæ vt dimitteretur, haud tamen ita gratuito quin Pardais mille redimenda eius & comitum libertas fuerit ex Badagis.

63.
Gesta PP. in
Piscaria, &
P. Henrich.
vexatio.

Cerè viri tam insignis vita, nullo fati emi valebat pretio & Piscariæ incolæ à quibus ille pro communi parente amabatur, illam suo quoque seruari sanguine optassent: ab exhaustis demum tot miseris libero, nullum fuit dulcius leuamen, quàm sollicita & velox oræ illius inspectio, calamitosi gregis confirmatio & instauratio sacrarum ædium quas igni aut ruina Mauri euerterant. Eadem illius socios, nec absimili fructu occupatio agebat; sex centos quot annis, vel octingentos ex adultis Christo adscribebant; continui erant in concionibus ad viros; doctrinæ rudimentis ad pueros, ministrandis tam numerofo populo Sacramentis vt multis locis videretur annus solidus iubileo coli: nosocomium Punicali statutum, apertus in illud Christianis iuxta & infidelibus aditus, vnde cumque illuc è littoribus vicinis reciperent sese: pharmacis, omnique alio curabantur, & recreabantur subsidio, & quidem tam liberaliter, & benigne, vt nulla ægrè res tantum nomen religioni Christianæ pepererit: singularis tamen eorum exitit in iuandis miseris caritas, pestilentia interdum, oram illam maritimam populante, vbi solicum essent animorum & corporum medici; attulere vtrisque opem omnem quam & poscebat duplex necessitas, & præstare illorum tenuitas poterat, quosdam enim contagio afflatos, alios onere ministerij oppressos, tantum non mors abstulit, priusquam sua regioni sanitas rediret. Sed lata per id tempus animorum messis locupletauit Ecclesiæ horrea:

rea:

rea: nam illa demum fiducia beatitudinis, paucas intra horas potiundæ, idololatrias moribundos facile inducebat, vt Christi esse vellent, & c. Christi fontibus renasci; & accessere his magno numero empti ex partibus ethnicis vilissimo pretio infantes, qui vix gratiæ vitam, casto innocentia balneo adepti, in æternam vt plurimum transibant. Hac Apostolicæ largitatis profusione multiplici in utilitates alienas, nusquam animi sui priuatis officiebant profectibus, etsi enim illorum vita omnis gymnasium erat virtutis perpetuum, & meriti titulus, sed religiosum professi nomen & Ordinem certis illic regulis tenebantur quibus ad sanctimoniam propriam maiori nisu fructuque contenderent, & in aliis iuuandis cautius, & efficacius versarentur: tertio quoque mense ex littoralibus Piscariæ conueniebant omnes Punicalem & horam quotidie vnã constanti more, meditationi diuinorum tribuere soliti, ternas illic & quaternas dabant. Patri Henrichez præsidii suo euoluebant animi sui intimas rationes, pœnis seipso priuatim & palam macerabant, & confessione delictorum generali præmissa, religiosa ritè instaurabant vota. Paucis inde diebus confidebant omnes inuicem audituri de vario gestorum & diligentia successu quem in locis sibi concreditis singuli nacti essent; de numero initiatorum sacro Baptismate; de præsidiiis atque industria quæ per se quisque expertus fuisset in lucrum animarum vberiori prouentu adhiberi; consultabatur ad hæc inter illos de Christi regno vterius in mediterranea dilatando, & iis quæ parta fuerant conseruandis: mutuis demum instructi consiliis, & experimentis; auctique nouo animorum, & virium robore, post sanctos amplexus salutationum, suam quisque in Prouinciam redibant, & his Ecclesia Piscariæ affluebat secundis, & beneficis flatibus, cum repentinus ab inferis turbo pænè omnia disiecit ac perdidit, huius augur non fallax Noronia, cum successuro sibi Proregi lococedens, vt renauigaret in Europam, significauit Patri Henrichez, Cotigno Piscariæ Præfecto datum ex aulâ successorem, qui esset illam Christianitatem breui euersurus, quo certe nihil fuit propius; mox enim homo pecuniæ fame insaniens, vexare miseros piscatores intolerandis modis: ius illis metiri, & dicere ex marsupij sui compendio, sententias licitari; cumque vnionum illic piscatio (quæ vnum illarum nationum patrimonium est) multa necessario inuehat inter diuersos populos dissidia, & lites, de limitibus cuique ad piscandum præfixis, pronuntiare Præfectus venali ore ab eius partibus, qui plus apud se iuris & gratiæ pecuniã parasset; pars aduersaria iniuriam quæta infremere, indignataque ferociter, ius suum armis repossidere, nihilque iam erat procliuus quam vt cruento certamine res dirimeretur, nisi pacis Henrichez intercessor venisset: fregit illius deprecantis, & dissuadentis auctoritas furorem ruentium in reciproca exitia, & clades; in sancienda vero certa pace cœpit esse vtrimque barbaris suspectus, creditusque parti plus iusto contrariæ fauere, quod litem componere satagens, ex æquo & bono, damnum & vtile inter litigantes

partiretur, pars vero vtraque deberi sibi contenderet omnia, aduersanti nihil. His apud barbaros suspicionibus laborans versisque, vt fit tumultuate vulgo in opiniones non dubias, post in calumnias; insimulatus est iniqui in partes alteras fauoris quasi factiosus, tantoque apud illos, flagrauit odio vt coactus sit Cocinum recedere; fuitque prodigio simile hostilibus inter se animis dissidentes, conuenisse tamen vnus in odium quem tot annis parentem, & præceptorem coluerant; oblitosque reuerentiam & amorem quibus, eatenus virtutem eius emeritam fuerant profecuti, & exhausta pro se ab eo pericula. Sed enim Deus suorum merita sic solet excoquere, & exaggerare, cauens item eorum gestis illustribus, ne qua innascatur inanis gloriolæ scoria. Inuisum tres annos habuere, quibus identidem ad eos reuisens, paterno dolore filiorum in Christo, apud Deum lamentabatur furorem cæcum, cruciabatque se vlronea pro illis suimet afflictatione, ex quo factum vt mœror animi, & attenuati debilitas corporis, in morbos illum coniceret diuturnos, & tædio graues: at ij ad ista immoti, hostilitate pertinaci populus aduersus populum armati furere, trucidare, familias integras delere; ex quibus Prorex ne quid funestus sequeretur, legauit illuc extraordinarium iudicem, cui procul affabilitate agendum fuit velut cum belluis, exterminandi alij extra regionem, alij bonis vniuersis, bonorum parte multandi reliqui, sed his exasperata magis quam domita quæ plus armis pollebat factio, ex coniuratis secum pagis Rectores populi in consilium vocat, de prælio in aduersam partem decernendo; quæ numero & viribus longè inferior, sibi metuens nutabat essetne hanc belli aleam expertura, an sedes alibi securas relictiis patriis quæsitura. Id vbi rescit Henricus Punicali tunc æger à P. Sylueria Prouinciæ præside per certum hominem petiit calamitosæ illi Christianitati succurreret, & conniteretur quantum posset eius perniciem remedio aliquo potenti, & festinato præuerrere: distentus negotiis sacri quæsiturum tribunalis Sylueria, Francisco Perez negotium mandat, operario in paucis strenuo, sed suauitatis in agendo miræ, proin rei præsentis maxime opportuno: duplici Perez Cocino in Piscariam nauigatione (iter ducentorum, & quinquaginta milliarium est) quod oræ pars altera semper hyeme vexaretur, crebrum qua mari ab tempestatibus qua terra ab ethnicis barbaris vitæ periculum adiit: verum ad Piscariæ salutem eò demum saluus applicuit, & tam habili modo negotium lubricum versauit, vt ante omnia Rectorum de bello qui conuocatus fuerat Senatum soluerit; inde primariis capitibus partium in templum coactis, persuaserit mutæ pacis sanctissimum sempiternumque iurandum, & instaurationem obsequij Rom. Ecclesiæ deuoti: conciliauerit denique inter se vniuersos, sepultaque omni præteritarum iniuriarum memoria perpulerit etiam filios, occisorum vindictam parentum inimicis donare, qui nodus in hoc negotio erat summè inextricabilis, sancita est ambarum partium gratulationibus miris hæc integratio concordiæ præsentis;

stinæ; sed Patris Henrichez voluptate incomparabili, cum ic̄ti fœderis peracto ritu Pantagatinos illos seu populi Rectores vidit salubrioriam sapere, sibi que accidere supplices, & molestiarum rogare veniam, quibus illum toto triennio vexassent: at is rebus illorum persanatis gaudebat tantopere, vt suis dolere non posset: flets ergo & benignè complectens, illum sibi spondentes filiorum amorem veterem & obsequentiam, in paterna vicissim recondidit viscera; & difficultates, quanquam grauissimas, iucunde suscepit quæ illi fuerunt deuorandæ in reuiscendis vicatim locis oræ illius singulis, instaurandaque illic diuinæ legis obseruatione sacrorum vsu, & Christianis operibus, præcedentium turbarum occasione diu flocci habitis. Ad hoc illi venere suppetias socij, ex quibus Iacobus Soueræius lethalius recens vinculis ereptus: Christianorum enim coloniam atroci Principis ethnici oppressam tyrannide, in sedes quietas deduxerat, quamobrem tentus, à barbaro Christiani nominis inimicissimo dirè habebatur seruabaturque ad longam, & crudelissimam laniam si apud tyrannum minax Lusitanorum metus quam irati furor minus potuisset, sibi ergo malè ab iis timens liberum dimisit.

At contra toties iam dictam Badagorum gentem, nulla fatis miseros Piscariæ accolæ Christianos vis & cautio tuebatur, excursionibus repentinis ingenti numero armati profuebant, priusque ad muros conspiciebantur, quam nuntiarentur moturi ex montibus, & improuisis rei, libertatis, & vitæ cladibus dilacerabant infelices. Quibus fracti & fessi tandem deliberant, agitantque inter se communi consilio oppidorum primores de mutando solo, migrandoque illuc vbi foret gemmarum piscatio commoda, & habitatio à Badagis tuta: visa illis pars quædam littoris Zeilanensis è regione Piscariæ omnium ad hoc aptissima; verum ad eos illuc transferendos, præstandamquè illis possessionem littoris securam, Constantini Proregis expetebantur arma, & animus; ijs impetrandis, nostrorum preces interponunt Parau, & Pardaos ad tricies mille in partem aliquam sumptuum. Non egebat Proregis misericors pectus vlla prece ad subleuandas Christianorum molestias; & commodum: voluebat tunc animo expeditionem, quam si Deus euentu secundo dignaretur, & conducebat magnopere desiderio Parauorum, futura erat rei Lusitanæ perutilis. Iafanapatanum à nobis non semel, antehac nominatum, pars est insulæ Zeilani longæ in mare procurrens acumine, septentrioni obuersa, ipsaque aded & regnum, & insula; quoties maris restagnatione depressioribus inundatis à Zeilano diuiditur. Leucas ab occasu obrinet quadraginta, sexque insuper ab ortu, ad austrum quæ latior quatuordecim, ad septentrionem quæ definit tres tantum, molle spirat, & beatum cœlum, abundat solum palmis, & aromaticis fruteris & iugi perennium fontium irrigatione; & quanquam vix nono subtrionibus situm gradu, gaudet tamen frigore peramœno. Verum tot naturæ delitiis locuples, parere cogitur iniquissimo, & crudelissimo tyranno,

64.
Parau, metu Badagoram parant sedes mutare.

ranno, is est qui Manare sexcentos martyres cum necasset; ne filij quidem abstinuit sanguine, sed optimum principem vnus apud patrem Christianismi reum impius pater interfecit, & nondum salutaribus ablutum vndis proprio cruore baptizauit; is idem tyrannus est qui Regem Trichenamalæ puerum regno spoliauit; qui regem Tricheuabandarem, ex tumultibus intestinis in ditionem suam fidemque susceptum, perfidus prodidit & de medio sustulit, vt auro quod secum tulerat potiretur, (erat vero is Tricheuabandar Zeilani regum successor legitimus, qui se sole videlicet prognatos, excellentia singulari inter alios reges iactant) Nauis præterea Lusitanorum nulla, tyranni littus præteruehebatur, subitura in sinum difficilem qui à vadis Cailai, ad oras insulæ pertingit, quin ei statim scelerosus latro prædabundus instaret, maximè si aduerso mari allisa in littus solueretur. Visus igitur est ferri diutius non posse tantus, tam vicinus, tam potens hostis, & nouis se in dies viribus, & regnis efferens, quibus paulatim Zeilani totius imperium affectabat: decreta in regio Indiarum Senatu aduersus illum classe, bis mille quingentos in eam Prorex legit, florem militiæ & auso cuius arduo suffectorum, nisi melior pugnando fuisset quàm parendo. Proregem comitabatur P. Quadrius, & culta regio Trichenamalæ Dominus quem ducebat Prorex ab se restituendum in regnum insulæ, quod nouum iam annum Iafanapatani rex vsurpabat, interea vero in seminario S. Pauli educatus ab nostris optimus iuuenis certam spem fecerat regni sui ad Christum perducendi, si foret in illud repositus. Primum Goa Prorex anni 1560. Octobris duodecimo soluit expectaturus Anchediæ dum classis reliqua sequeretur quadragesimo ab Goa milliari. Est vero Anchediua insularum duodecim velut quidam glomus (quod significare vox indica dicitur) harum vnã commendat amplitudo atque amœnitas, sed multo illustrius Gamæ memoria indagatoris Indiarum, qui enauigato per vndecim menses Oceano, fessam classem illuc applicuit, & aliquantisper cum suis recreatus, vela in Lusitaniam conuertit. Eius insulæ habitator anachoretæ quidam Iogus, quanquam senex vitam octo illic annos exigebat pœnis voluntariis crudelẽ. Nihil præter se suum possidebat; domus illi cauerna; lectus silex; vestis propemodum nuditas; victus quantum pugnus orizæ caperet demensum; ac ne quotidianum quidem; potus de saxo cauernæ frigida. Quæ illi vitæ norma ingentem latè famam exciuerat, inuisebatur tanquam miraculum longinquo piorum ambitu, tangebatur, etiam à Brachmanis, adibatur quoque in speluncam ea opinione ducendæ ex illa sanctitatis, vt inde progressi expiatis se ad purum à labe omni somnarent. Voluit & Prorex dum staret in anchoris hominem videre: cernensque senem incanum, seminudum, squallidum, macilentum, sed ore alacrem, modestè humilem, nihil de Iogorum supercilio ferentem, indoluit scilicet misertus infelicis tam ærumnolos labores, dæmoni sudantis per quos fieri, sanctus potuisset, adiectoque pro sua eximia pietate

65.
Mira Iogui
in signis cõ-
uersio.

ad.

ad eum sanandum animo, bene multa eum commonuit, quibus suas ad tenebras utcumque aduerteret, easque si minus agnosceret, suspiraretur saltem inciperetque de religione quam conlectabatur apud se dubitare. Nec iere in vanum monita; persuasus est vir bonus Goam proficisci, & in seminario S. Pauli de summa religionis Christianæ audire ex Patribus, quam ubi percepisset, tum fore in eius arbitrio eam si probasset amplecti; si minus placeret, in suam speluncam regredi: conditione admissa defertur Goam logus, commendaturque à Prorege datis ad P. Cannerum Niceæ Episcopum, & P. Franciscum Rodriguez literis exceptus à nostris omni benevolentia caritatis; prodit mox specimen familiaris sibi victus, & asperitatis, triduum ieiunus nec cibum vidit; quarto, & consequentibus diebus tres ægre vncias vstitati sumpsit alimenti, famem satis festiuè triplicem distinguens, primam fallacem, cui nec aures dandæ, probabilem alteram quæ spe bona lanctado: tertiam extremam, quæ necessario pabulo fulcienda. In tractando religionis, & Dei negotio talem comperit Rodriguez, ut fateretur in Brachmanis cum quibus millies in pugnam descenderat, expertum se neminem, vel acutiorem ingenio vel iudicio firmiorem: suspiciebant itaque inuicem, & admirabantur. Iogus sapientiam in Rodrigue, Rogriguez in Iogo singularem Theologiæ Pagodum reconditæ intelligentiam, & versatissimam in libris Gita octodecim peritiam, quem auctorem Brachmanes pro suo Mose venerantur. Quare ex illo ferè quotidiana dissertatio ducebatur, visusque sibi Rodriguez aliquando tenere hominem inextricabili argumento. Nam quæsiuit de Gita, ecquid eum pro sancto, & vate veridico haberet: annuentem vltro, captumque autumans Rodriguez, ut quid ergo, infert, libris duodecim simulachra Pagodum fingere, & sacrificiis victimarum, ritumque vario placare docuit; voluminibus sex consequentibus opposita omnia, primisque pugnantia, imaginosi cerebri figmenta Pagodes esse, commenta mera, nec diuini cultus capacia. Hæc tam manifestò impudenterque se euertertia qui suis posteris tradidisset, quo pacto non esset aut vates fraudulentus; aut sacrilegus magister & impius, qui diuinos honores præcepisset mutis deferri simulachris: subridens Iogus tranquille respondit, nudaturum se Patri abstrusissimum arcanum, & Brachmanum quoque perpaucis cognitum. Gita scilicet libros duodecim, popularitatis studio ab eo conscriptos, ad instituendum populum, crassiorum rudemque cœlestium, nec alterius nisi quod caderet sub sensum capacem, proinde idolis fuisse & ceremoniis occupandum: prudentes vero, & subtilioris ingenij, auullam à concreatione formarum, & sensilibus mentem attollere ad intelligendum Deum uti reipsa est, seiunctum ab omni corpore, omnis materiæ expertem, pureque spiritum, nec vlla satis imagine aut figmento formarum, oculis exhibendum.

Hoc autem à Gita libris posterioribus traditum, ex quo ipse volebat confici Gitam specie quadam, re vera nequaquam pugnantia locutum:

fic prophetam suum tuebatur Iogus à nota doctrinæ vacillantis defensione acuta magis quàm verè solida. Nec tamen licet veloci & prompto semper ad manum suppetebat quo se ab argumentis explicaret quibus inuoluebatur à Patre pressius, ductis porissimum ab insita homini ratione eiusque principiis: quæ cum nullo posset effugio exire, memorabat Patri ante annos octo, cum in Anchediæ insulæ secessu cauerna se abderet, erasisse ex animo penitus omnia proculque ablegasse, præter fixam certamque voluntatem, Dei nunquam in posterum lædendi, & expetendæ pœnis quàm posset asperrimis eorum satisfactionis quæ in illum iuuenis peccasset, dicto fidem addebant carnes quas circumfererat emortuas diuturna maceratione, quamobrem tot annos agendo magis patiendoque ad meritum; quam ad victoriam disputationis argutando attentum, non pollere qua olim celeritate ingenij ad concertandum, & indagatrices scientias expediti. Longa sanè obseruatione compertus est eò virtutum moralium pertigisse, ægrè plus aliquid vt posset in viro sapiente, aut (venia verbo sit) in sancto ethnico optari. Quæ causa opinor fuerit ob quam illum Deus propitio aspectu dignatus est, & veri boni perfudit luce, à quo inuitus aberrabat, solaque illius ignoratione: fuit nihilominus ad baptismum haud ita facilis, & prona eius accessio. Duplex illi viam interclusit diu terror: Alter, quis enim aiebat securum me faxit, non incursum me processu temporis in doctiorem te magistrum, & secta tibi oppositum; qui vt religionem quam teneo damnas, damnandam pariter mihi persuadeat Christianam. Alter priori formidolosior, quod mente recolens exhaustas molestias, & accisum immodicis in solitudine vexationibus, corporis cadauer, non sustineret annorum nouem, vt nominabat tot merita, puncto temporis perdere; & nouis quærendis tunc initium facere, cum iam vitæ metam præ oculis cerneret. Duo hæc terriculamenta menses trës anxium agitarunt, sui que incertum; & secum miserabiliter, alternantibus vincendi, & succumbendi vicibus certantem, stupenti vero interim similem, obstipum, & cernuum, donec illi Deus misericors, beatæ lucis infudit radium, quo illas tenebras, omnemque ab eius animo nebulam discussit. Monstranti dat, & iuuanti manus; Brachmanum ponit, & abiicit notas, Lusitanorum vestitu induitur; de communi nobiscum patella edit, quod apud Brachmanes æternæ genus est exaugurationis, & eiurati in perpetuum Brachmanismi, quod autem nihilo lentius festinandum Patres iudicant; in concedendo illi baptisate, causa fuit experientia quæ cum hominibus cuiusmodi fuerat is Iogus agendum cautiùs nimis suaserat, & morosa magis probatione quàm celeritate. Tria in illum conuenerant quæ solebant infidam conuersionem illorum efficere, in quibus iuncta notarentur, vixque nisi prodigio vel profitebantur ex animo Christum, vel eam professionem constanter tenebant. Erat ortu Brachmanes, erat gente Baraa, hoc est inter Brachmanes concionator (quod apud illos est, prærogatiuum familiæ munus) erat professione Iogus. Quo genere, nullum
vsquam

vsquam putidius arrogans & superbum, sed quem gratiæ suæ firmamento stabilierit Deus, frustra vel naturæ impugnet prauitas, vel assuetudo indita vitiorum. Huc certè quo baptisimi tempus ampliabatur cunctantius, eò illum petebat ardentius, adeptusque est tandem, & P. Melchioris Carneri Episcopi manu solemniter ablatus, nomen quoque ab eo accepit, exin quasi præcius æui breuis quod sibi supererat bonus senex, dici non potest quam auarè illud occuparet, nec pateretur punctum eius vllum merito vacuum sibi effluere. Ex quo fonte prodiit salutari, domo pedem nunquam efferre voluit, aiens quando in suam heremum iam nefas esset concedere, & specum repetere, habiturum se pro specu in Patrum Collegio angustum conclaue, & pro heremo Collegium, in quo paucis annis, precando, vexandoque asperimè corpore, tractatis, sanctè vitam clausit.

Gaudens nobili præda celeberrimi Iogui Constantinus ex deserto insulæ Anchidiuæ capta, vela Zeilanum cum classe iam appulsa intendit: quo tempore Parau mutationem sedium tacitè instruebant, & de sterili littore moliebantur transitum in Maxaram insulam, habitaturi postea in regno Iafanapatani, vbi deuenisset in Lusitanorum potestatem: congreganda, regenda, deducendaque Manaram colonia Patrum caritati, & prudentiæ credita, panè illis exitio fuit. Hanc subodorati Badagæ Mediterranei, viginti millium numero armantur, dux illis Vizuu Naichez & reguli duo; elephantorum, & equorum non parua copia, Punicalem inuasionem repentina petunt, idque multitudine tam facili & tanta, quod prædabundi magis, quam pugnaturi accurrerent, & spoliaturi Parauos re omni sua, priusquam illam aliò transferrent. Recepta Manuèl Cortignus præfectura, quinquaginta solum Punicali habebat præsidarios Lusitanos; è nostris vero Henricum Henrichez, & Ioannem Mefchitam Goa recens aduectum, vbi philosophiam docebat: rumor imminentium Badagarum, de media nocte in urbem perlatus, consternatione, & tumultu omnia confudit: cum pueris femina ad mare procurrere, & piscatoriis lembis quos habent semper in littore, libertatem & vitam periculo eripere, virorum pars melior, Lusitanorum inuitatu, & exemplo arma capessere; & primam cum illis hostium aciem præmaturè in campum prouectam, excipere tam fortiter, vt eorum interfecto duce dirimeretur pugna; verum vt illuxit, & acies media cum tot elephantis, & equitibus in conspectum indigenis venit, non futuri modo euentus desperatione, sed vna hostis adeo numerosi præsentia territi, ad mare fuga illico flexere, tam effusè tantoque impetu, vt multi corripendis scaphis, ab iis deserti, alij post illas natatu secuti, in aquis perierint.

Sustinuere hostem in diem proximum soli Lusitani cum P. Mefchita; hinc decreto inter se receptu, quòd nouæ barbaris semper accederent copiarum nauim onerant gaza quam quisque habebat maxime pretiosam, sed tam imprudenti & impari mole, vt contra vim omnem molientium, fixa fundo hæreret carina, & expectandus esset quo subleua-

retur

66.

P. Mefchita
vulneratus,
abducitur
captiuus.

retur maris reflui accessus: inter quæ totas dum vires exerunt, non ad eam, vt decuit, iactura aliqua leuandam; sed incassum mouendam, conspicata inanes ad fugam conatus Badagarum turma in eam profilit, Christianis mortem voce ac manu ferens mare subit, cinctam vndique nauim expugnat, & capit, magna Lusitanorum strage; dux ipse Cotignus cum decem aliis in seruitutem euadunt superstites. Meschitam de veste agnitum impacto barbarus inuadit acinace, caputque illius plaga immani findit; præcipitatum in aquas ab aliis, prensoque nihilominus transtro in hærentem alius lethali vulnere læua sub mamilla hastili petit, gladioque insuper inflicto iam septies, pergebat absoluere, nisi vnus cuiuspiam clamore inhibitus redempturo viuum seruare maluisset, quàm perdere mortuum: sic difficile spirantem, & semimortuum Nacchi suo sistunt, vbi copiosi tor ex vulneribus iactura sanguinis, viribus, & animo linquitur, reuocato inde spiritu, labra vulnerum consuuntur, quorum tria lini traiectu duodecimo singula connecti oportuit aded late & immaniter hiabant: nudatus vt erat ad indusium intimum in urbem trahitur duorum itinere dierum nouis semper aliquot à barbarie ducentium vexationibus, & plagis; illic Regi oblatum cum Præfecto eiusque decem militibus, proscribuntur; redimendis pretium ponitur Pardalorum supra septem millia quingenti, ad conficiendam summam dimissis reliquis, Melchita obses retinetur aded constabat barbaris veneratio nostrorum apud Lusitanos, vt eorum vel vno ac propè moribundo pignus fidei ac lucri tenere se certius crederent, quam si ora totius Piscariæ Præfectum eiusque decem milites tenerent Lusitanos, quorum tamen singuli multis Indis solent ab iis pretio æquari.

67.
Rex Iafanaparan bello victus, Melchita vinculis elapsus.

Dum vincetus, & seruus inter barbaros Meschita, libertatis pretium expectat, Parauorum colonia in Manaram transit, classè Prorex ad Iafanapatanum applicita Regi bellum infert haudquaquam imparato: stabat in procinctu ad defensionem eximie munitus, & regni totius militia septus campum ante urbem regiam obtinebat: magnus vtrimque initio pugnae ardor, & ingentibus animis commissum, sustentantibus se fortiter partibus, Rege quidem suorum numero; Prorege Lusitanorum robore, & virtute, qua per conflictus iteratos breui hostes fusi, in urbem retruduntur, hæc naturæ ingenio, quàm arte munitior, tormentorum muralium coronabatur immenso numero (ferè nauium ex præda eò illifarum aut in Cilai arenis hærentium) & difficultate expugnandi, retundebat animos agredientium nisi præter omnem expectationem, obsessorum errore iis periisset. Decumanam portam qua vna patebat aditus prodigialis modi machina tuebatur, Bazaracchis ore tenuis facta, hoc est vili ex ferro, plumbo, & similibus conflata in vnum moneta: huic ad staturam medij hominis libratae machinae propugnatorum spes tota incumbibat, huius confidentia urbem versus, facilem accessum præbebant Lusitanis, quos vbi aduertunt intra ictum stare, vociferantur insano strepitu, simul ignem machinae admovent, sed hæc vel

vel imperitia libratoris, collineantis tantillo altius, ictu pæne vacuo aborrit, & quas mortes claudebat in auras euomit, Lusitanis ægrè duodecim sublatis: inexpectato balistæ errore percussus barbarus, de se actum conclamat, amensquæ propugnacula deserit, Lusitanus perrupto leui pugna ingressu, fit vrbs Dominus; Rex cum suis sylvarum in auia refugit, maiori periculo indagandus, quàm difficile superandus quanquam suis ob crudelitatem maximè inuisum procliue fuit Lusitanis per eosdem in sua habere potestate, aut tora saltem insula pellere, sed huius exitus expeditionis (cuius culpa historici disputent) malignè principiis respondit, vt fiet narrandis perspicuum. Verum Parauis solum mutantibus; præliantibus Lusitanis ibant dies; libertatis pretium Meschita in vinculis diu frustra expectabat; Bisnagæ rex probrosè se ludi arbitratus incipiebat infontem cruciare, certus in illo Christianis sæuum & atrox supplicij exemplum edere, nisi eo quem signabat die, condicta pecunia representaretur: languebat interim fossa magis demersus quàm carcere, manica & compede onustus; sed rege pretij numerandi suspectas moras indignante, reortis in tergum ceruicibus, resupini collum, catena sic pedibus nexum est, vt vno tantum distarent, palmo (quod idem de P. Henriche superius dictum est) ac ne sic quidem satis immobilis, obseruabatur tamen armata custodia, vicissim ad eum excubante, porrigenteque tantulum id cibi quod arcendæ morti sufficeret: tot nihilominus arctatus vinculis, suspitionibus, oculis, modum reperit quò se expediret, industria pueri Christiani quem cum eo captiuum Badagæ detinebant; qui modus explicari aliter non potest nisi si præsens præsentium, & intuentium oculis subduxerit sese, medios enim, custodes pertransit; egressus est extra urbem nudus, fursum deorsum quo tenderet nesciens, per inaccessa & aspera noctes septem errauit, (sylvarum condensis interdium & cauernis se tegens) lacer pedes, ferarum rabiem & Badagarum incursum perpetuo expectans, eius enim deprehensa fuga, viarum transitus alij occupare, alij tractu illo, itineris biduum ad mare obtinente, monere per nuncios vt retraheretur, ipse Deo duce omnem illam crudelè eorum & auaram diligentiam frustratus, in littus denique incidit, vnde amica cimba soluebat in Manaram: incredibili acceptus gratulatione, diuturna tantisper ex fame reficitur, operiturque pro inopia præsentis, & Manaram vehitur: illic eius aspectu Lusitani, vestituque tam inusitato, fuga item mirà, & sæuis, pronisque ancipiti casibus, ita sunt animo afflictis, vt inter brachia sublimem velut in triumpho ad Proregem portarèt, qui repetitis complexibus congratulatus est reduci salutem. Nec puer, eius artifex libertatis, fugæ, discriminum, & ærumnarum comes condigno præmio caruit, torque aureo ab nonnullis, veste ab aliis, à quibusdam, vnionibus est donatus, & de piscationis proximè futuræ pretio, fanois bis mille.

Sub idem hoc tempus naues duæ cõparuere in sinu Piscariæ, in certum naufragiũ eò ex Lusitania delatæ nisi ab iis Deus clementer illud auertis-

68.

Infelicitas
duarum na-
uium ex
Lusitan.

K κ

set.

set. Vlyssipone April. 20. & hoc ipso 1560. anno exierant, cum aliis quatuor inuicem fœderatis, vnâque Indiam petebant; inde pro modo velorum cuiusque, ventique mensura, in diuersum actæ, non omnes portum tenuerunt. Duarum quas dico altera Draco dicebatur, Castilio altera, qua P. Petrus Arboreda, & F. Franciscus Viera ferebantur. Hi quam salutarî emolumento iuuerint vectores, ne superuacaneè prolixus edisseram, facit testimonium duplex duorum nauibus Præfectorum: qui medio in mari honoris gratia visentes, & suæ cuiusque conditionem nauis familiariter comparantes; Draconem, vbi non erant Patres, videri aiebant ferarum caueam, reciprocis inimicitiiis, & rixis quotidie fœuentibus discordem: Castilionem vero cœnobium religiosæ familiæ, consensione animorum placida tranquillum, & vsu vario Christianorum operum alacre: flexum Bonæ spei priusquam hæ naues molirentur, horrendam passæ sunt tempestatem ad insulas Tristani, & Acugnæ: tam certam illic sibi quisque putauit adesse perniciem, vt abiecta nauis gubernatione, ipsi nauæ, raperent tigna & tabulas, quibus vitam supremum committerent. Post hæc fluenta torrentia subeunt ad maldiua à quibus idcirco exteriores nauigabant, quod eas nauarchi esse affirmarent Iacobi Rodriguez insulas: iis torrentibus vitandis, tanto ad ortum spatio recessere, vt rati se rectâ Cocinum pergere, qua sorte nescio, in formidolosam sinus maritimi fossam inciderent quæ Piscariam seiungit à Zeilano, promouerentque tantopere vix vt sesquileuca distarent à plagis infamibus Iafanapatani; suum tamen adhuc infortunium ignorabant, etsi quod magna pars infortunij erat, non possent diuinare cuiusmodi in loca, & quam funesta deuenissent: sensere id denique cum sicco temone Cilai arenas cœpit Castilio fulcare. Draconem vero altera ex parte tam plena & vehemens in eas egit velificatio, vt iis infingeretur penitus essetque succidendus illico princeps malus, ne puppi fluctuante ferienteque fundum immani, & crebro recussu, nauis soluta dissiliret. Nox erat nubibus obscura, & frustra nauæ per tenebras, significationibus solitis opem sociam implorabant, cum nec mutuo audirent nec cernerent. Inde tamen hanc opem Deus misericors acciuit vnde minus potuit expectari. Ecce tibi prouecto iam die, nauigia duo, auris afflantibus nihilominus immota, ex Manara insula conspici. F. Ludouicus Gouea qui migrantes è Piscaria Christianos illuc fuerat comitatus; statim conijcere has esse aut Vlyssipone aut Goa naues; tonoque celerrimè instructo (quod est maris illius nauigium) exploraturus certius ad eas contendere; vbi esse agnouit Lusitanas, animaduerso exitio cui Draco imminebat, paucis vectores consolatur, indicat Manaram ad quam starent & Iafanapatanum vbi exercitum Constantinus Prorex in castris haberet, mox absque alia mora regressus Manaram magna cymbarum cum caterua statim reuertitur, ad leuandum quanto cyus suo pondere Draconem, detractis tamdiu carina mercibus, dum emerisus in salo liberè nataret. Prorex inter hæc Arboredam, adesse vt

audiit,

audiit, misit qui ad se in castra deducerent. Quod gestantium humeris necessario factum est, cum insistere pedibus non posset, exhaustus calamitoso ministerio, nauis suæ agrotis per semestrem illam nauigationem exhibito. Ex eo Prorex vt didicit multitudo quanta ægrotorum in iis nauibus iaceret, (quæ fere semper eadem est cum exteriora S. Laurentij insulæ tenentur) extemplo illis medicum, pharmaca, ministros curauit; corporum quidem fratres nostros Goueam, Goetz, Duranum, & alios; animorum vero PP. Henrichen, Soueralium, Meschitam, Coëlium, & Perez, qui cum Prouinciali Quadrio pars tunc in Manara verfabantur, pars in exercitu cum Proregē. Hos dum molestus, & strenuus labor diu noctuque in ægrotos exercet, recreauit Deus curioso quodam Sirenarum quas vocant spectaculo, & quæ profus non totæ fabula sunt: de his ab testibus oculatis cum literas habeam, non erit opinor iniucundum lectori, me breuiter digredi, recitandis solum quæ ad vnum ex nostris Patribus scripsit doctor Dimas Boscheus Valentinas, hoc potissimum quod eius epistola laudes misceat duorum è nostris, virorum insignium, peculiari titulo memorandas.

Dimas ergo Proregis medicus ad curationem eorum quos dixi ægrotorum ab eo transmissus; iacebant, inquit, tam grandi numero, suo quisque morbo aded afflicti, vt præuertenda fuerint remedia omnia, exemptione illorum extra naues, vt adhiberentur in terra commodius, Pentere igitur, & Scaphis duabus meo iussu in Manaram portantur: est hæc insula quam inhabitandam Christianorum delegit colonia, quos in Piscaria Christo adiunxerat, alueratque studiis pietatis P. M. Franciscus Xauerius, ante annos octo feliciter defunctus, dignus plane vir immortalitate memoriæ; vltimoque hoc Oriente & insulis longè in Septentrionem euntibus, Apostolicæ virtutis admiratione celebratus, quod eas auara salutis alienæ, & inexpleta siti, peragrarit immensis laboribus, incredibili ardore diuinæ gloriæ, & perpessione aduersorum continua, dum innumerabiles populos ab idolis, ad agnitionem veri Dei, amoremque conuertit: quare apud Brachmanes, Sinas, & Iapones summa colitur veneratione. Nunc huius in Manara Christianæ coloniæ, pietatem fouet & promouet P. Henricus Henrichez, Sacerdos eadem ex Societate, singularis admodum exempli. Susceperat is cum sociis Patribus ministerium ægrotorum, quos dixi transuectos in insulam, & iis mecum indefessam operam adhibebant; mihi quidem vix punctum temporis dabatur liberum; si quæ tamen eius restaret particula suauissime illam cum Henriche viro mirè candido conterebam, cuius plane diuinis sermonibus incundissime capiebar, & fateor dum lætam mercedis mihi ob oculos referret imaginem, qua meam hanc operam repensurus esset æternum Deus, corroboratum me ab eo vehementer, ab durandam circa miseris ægrotos fastidiosi muneris nauseam. Sic dum aliquando in ambulamus in littore, & de maris accessionibus inter nos fabulamur; en ad est cursu piscatorum turba; qui lingua patria, inuitabant Patrem cim-
bam

69.
Syrenes se-
decim ad
Manaram
captæ.

bam suam tantisper conscenderet, ad spectandum naturæ miraculum.

Pisces erant humana specie quos reti ceperant; nouem feminas; ma-
res septem, quos propterea marinos homines, marinas nominant femi-
nas: imus & commodum exponebantur in littore; illis membratim ex
anatomes regula recensendis dum totus inhæreo, non possum satis ad-
mirari cernens humanis corporibus esse per omnia similes. Caput rotun-
dum, sed trunco insitum nullo colli mediij interiecto, auriculæ vt nobis
extantes, cartilagineæ, leui carne obductæ; suis muniti palpebris oculi,
nec more piscium, inuicem abiuncti, sibi que oppositi, sed in fronte vt
nostri, eiusdemque nobiscum & coloris, & formæ: nares tantum in eo
absimiles, quod diuisæ, neque eminentes, sed omnino depressæ. Os, la-
bræ, dentes (non acuti & rari, sed densim æqualiter commissi) ab ho-
minibus nihil discrepantia, ad hæc amplum pectus, cute vestitum præ-
candida, sparsum ramis venarum subtilibus, & mamillis tumens quæ in
feminis rotundæ, & turgentes, non vero pendentes & flaccidæ; sic vt
vna digitis à me pressa lac candidissimum magna copia redderet. Longa
duos cubitos brachia, nostris erant multo planiora; nec torosa, nec
quantum apparebat iuncturis apta, cubito manum necitentibus; sed du-
ctu æquabili distenta. Subalacres quoque pili molles, & tenues; con-
formatio denique tum exterior partium; tum interior viscerum, & va-
forum ad vsum naturæ cuiusvis facultatis accuratione diligenti anatomi-
cæ amussis à me explorata, comperta est perinde in feminis, sicut in ma-
ribus, ab humanis corporibus vix in vilo diuersa. Deorsum à ventre, pro
coxendicibus, & tibiis scindebat se cauda piscium gemina, qualis sireni-
bus appingi solet: nec illud etiam mares inter & feminas deerat quod Ari-
stoteles notauit in piscibus discrimen, vt hæc sint maribus corpulen-
tiores.] Hactenus medicus, & prodigij spectator. Absoluamus nunc de
Parauis transgressis in Iapanapanum, longè alium transmigratio hæc
sortita est finem ab eo quem fausta spondebant eius initia, quod paulo
superius notaram. Hoste profligato, Rege in fugam sylualque com-
pulsio, vrbe regia victori militi in prædam data, post incendio etiam de-
leta; arcem Constantinus obsessam premebat; cum Princeps, Regis fu-
gitiui, natu maximus liberorum legatus de pace & venia ad eum venit.
Regem vltro Manara insula celsurum; fidam iuraturum Lusitanæ Regi
clientelam; Iapanapanum tributo perpetuo illi obstructurum. Nauibus
vel fauces illius aluei inituris, vel hæsuris ad syrtes arenarum; vel fran-
gendis, vt sæpe, ad ea littora; nihil vnquam molestiæ illaturum, sed
nec iis quicumque tunc profiterentur, aut professuri deinceps Chri-
stum essent: hæc Regis nomine delata, dum vtrobique expenduntur,
rixarum aliquid, & dissidiorum in castris oritur; deficit commeatus non
modo bellicus, sed etiã escarius; hostis horum fortassis indicio aliquo ex-
citus, suis erumpit ex latebris & quotquot inuenit palantes, sparsosque
Lusitanos ferro necat. Quibus idcirco consultius visum obsidione omi-
ssa reuerti Goam, tribus postquam ex ea soluerant mensibus. Immensum

ex præda quantas secum opes abstulerint, vel vno certè qui erat inæstimabilis pretij, thesauro regio locupletari potuerunt. Sed nec Regem, nec omnem Zeilanum iactura vlla tristius sideravit, vt dentis vnus ex albo quodam simio deprompti de quo narrat illa barbaries, fabulositates antiquiores omni æuo; risu quidem lato, sed miseratione digniores; ad eò miseris dæmon exsculpserat oculos etiam innatæ rationis vt eo simio diuinitatem nullam superiorem agnoscerent, nullas eius dente Sacratiores reliquias. Dentem illum templo, Sacerdotibus, & victimis colebant, non ea modo in insula, sed magna in parte Orientis, nam ex regno Pegu trans sinum Bengalæ iacente aderat quotannis solennis legatio, magno donorum ingentium ambitu, hoc solum deposcens vt dentis illius tam beati figuram conflata ex moscho, & ambaro massæ, impressam referret, pretiosissimo inclusam scrinio, idque summæ gratiæ habebat loco. Hunc ergo dentem tam famosum postquam vulgatum est cessisse quoque in prædam Lusitanis, misere barbari qui ducentis, trecentis vt scribunt alij) Pardaorum millibus eum redimerent, adiunctis etiam pretio muneribus non vulgaris æstimationis. Celebrabantur hæc in aula cupidum multorum sermonibus, qui partem hinc sibi velut ex spoliis statuebant iurè obtingere, foreque hanc planè optimam; quod exaggeratam pretij indicationem barbari non dubitarentur, millione aureo admisuri. Fuit quin etiam ex nobilitate primaria qui magnis precibus ambiuit dentem sibi Goa in regnum Pegu portandum committi, ratus, nec frustra thesauris ingentibus se ditandum, eius solum visendi copia, quacumque transisset obiter facienda: verum enimvero Constantini Proregis excelstitas animi, rationes exosa quæcumque abiectum aliquid olerent, nedum impias, vt re ipsa hæc erat; ad præuertendam apud minus peritos erroris accusationem, disputari voluit à Theologorum doctissimis, antistite coram, & nobilitate vniuersa, rea sceleris foret, an licita dentis illius venditio; vbi vero multo doctorum vtrinque examine, post longam denique agitationem inter sapientissimos homines constitit, venditionem illam fore nefariam; iussum Constantinus proferri dentem, explorandum attente, & recognoscendum omnibus obtulit quibus esset antea perspectus, ne posset ambigi ab eo diuersus. Inde aureo exemptum loculo, saphiris, & pyropis graui, cunctorum oculis curiosè in exitum intentis; illum in mortarium demittit: iubet teri pistillo, in tenuissimum puluerem redigi; inspergi accensis carbonibus eundem puluerem, iamque in cinerem solutum, eo cum ipsis carbonibus projici, vbi reperiri, nullius mortalis valerent indagatione. Hoc sepulchri honore condecoratus est dens albæ Simiæ Zeilanæ, condignis reseruatus exequiis religiosa eius manu fortiter exsoluendis, qui millionis aurei lubenti iactura, infame illud diuini nominis, & vile probrum ex rerum natura sustulit. Iam Christiani Piscariæ, incolendi regni Iafanapatani spe amissa, sedes in Manara fixerant, cui ad arcendam ab

70.
De dente
simij albi
Zeilanen. à
Prorege
combusti.

ijs iniuriam Praefectus est Georgius Mellius de Castro cum praesidiariis Lusitanis centum quinquaginta, & decem nauibus; arx quoque postea praesidio adiuncta, & sexennio elapso additum Societatis Collegium. Illic item manus operariorum selecta remanserat, quae partim Parauis partim ad laborabat militibus, de P. quidem Hieronymo Vasio, praecleara memorantur in Lusitanorum emendandis moribus edita, praeter hominum plus mille capita quos à simulachris ad Christum traductos sua ipse lustrauit manu: fueratque profecto tum nouis, tum veteribus Christianis conducibilis ad salutem, vnum in Manara iunctim populum constare: quam passim per illa Piscariae infelicissima littoralia diuisos ut ante habitare, cum possent ijs Patres commodius, citius, opportunius praesto esse; sed enim praeter ingenitum soli natalis cacohetes, nunquam sic radicatus euulsus quin fibra tenui haereat, vel sero in lucem exitura; pestilentem morbum, corruptus caeli eius tractus, per se iam satis insalubris, toti insulae afflauit anno 1563. & hominum millia quatuor extinxit, quibus Patres quamuis, & ipsi aegrotarent strenua opera adfuerunt. Et hoc ad vltimum pestis & stragis argumento, nutantes antea Parauis, persuasi sunt relicta Manara in solum patrium redire.

71.
Vita & mors
Nicolai
Lancilloti.

Supereft, postrema haec libri pars vitae mortisque reliquias colligat, quibus insignius nonnulli suum ministerium honorarunt, quos descriptionis huc usque temporibus, & locis, vocauit Deus ad praemium apostolici muneris bene gesti. Reddam tamen aptius alibi de Melchione Carnero, Francisco Perez, Melchione Nunnio, vbi mihi eorum & memoriam & nomen, & facta referent Sinenses & Iaponiae missiones. Nunc tantum memoro, nunquam mihi sub stylum redituros; atque imprimis P. Nicolaum Lancillotum patria Urbinatem, S. Ignatio in paucis carum, eoque ductore diuinis primum aeternorum imbutum studiis, & eodem postea mittente in Orientem destinatum cum P. Antonio Criminali: ibant Roma in Lusitaniam pedites, absque viatico, tectum, victumque mendicatio quotidie rogantes. Verum sua illa tam laeti paupertate, austeroque illius molestiarum comitatu, ut cum possent oblato largiter comiteu iter illud percommode agere, constanter omnia recusarent; sua illa inter se abunde contenti mutua caritate, precandi delitijs, & pia de Deo colloquutione, qua interpunctus itinerum labor iucunde fallebatur. In Lusitaniam venerant; fuitque in Indiam breui post nauigandum, cum Ioanne Beira; dignos tam heroica prouincia tres viros, elegerat Deus, mittebatque, in pugnas virtuti quam iis contulerat non inferiores, criminales in Badagas ethnicos, eorum ferro pro Christo necandum. Beiram in naufragia, pericula, crucesque varij generis inter Molucarum barbaros deuorandas. Lancillotum in longam annorum duodecim mortem, ex valetudine sic perpetuo afflictam, ut (quod ipse testatur) semper animam agens cum morte luctaretur; sic obsequiosa caritati, ut negotiis diuinæ gloriae, & iuuandorum animorum nunquam non adesset. Goam mense Septembri applicuit anno 1545. adhibitusque

bitusque ad erudiendos pietate ac literis adolescentes eius urbis, mensis vix decimum in eo exegit, cum secretione sanguinis in phthysim delapsus, nunquam postea satis reualuit.

[Ego (inquit ad Ignatium scribens) quot annis morior, & nunquam morior: laudetur sempiternum Deus: subditque summam hanc ægritudinis suæ grauitatem, ex quo, ait, in isto vitæ mortisque conflictu verfor, obiere tam multi viri fortes, diuini honoris & animorum rationibus tam fructuosa opera insudantes, ego arbor sicca, & caudex sterilis, frustra solum occupo, & nihil ago] talis sibi idcirco videbatur, quòd esset alijs ab eo, qui esse maluisset: qui vero illinc eum laudant, operarium describunt, quo nemo vtilior, nemo ardentior, accisis omnino viribus, cum prohiberetur itineribus longinquis, ab continente Coulani & confiniis regni Trauancoris non recessit: vbi cum nullus præter illum Sacerdos esset, onus concionum apud Lusitanos; Christianæ legis explicandæ apud ethnicos & Mauros; pietatis alendæ apud neophytos, vnus sustinuit; ad hæc illis quos superfuit annis duodecim seminarium rexit Indorum iuuenum quinquaginta, S. Xauerij erectum institutione, & Regis Lusitanæ sumptibus fundatum; eò ex ora Piscaria non paucos mittere solitus Henricus Henrichez, eius in iis docendis tum patientiam singularem, tum eorum virtutem egregiam mirificè laudat: redibant ex illa pietatis schola, ita probe diuina edocti, & tam castigato exemplo conspicui, vt possent grandioribus proponi pro credendi regula & viuendi: confessionis Sacræ, & quibus licebat per ætatem, Eucharistiæ mysteria sic obibant, vt sensum animi lacrimæ proderent, quod in pueris barbaris, & è duritie quercuum exsculptis iure miraculo habeatur: illius nempe tam felicitis prouentus sanctæque educationis qua seminarium illud suum, diuinorum sapore imbuerat Lancillotus vt religiosæ familia tyrocinium crederes, iam quibus illos cicuraret artes sibi que addiceret, rudes, primum & syluis crudos; ita illorum ætati aprabat, & ægenio; vt à parentibus domum reuocati, non possent adigi ad discessum, sed flentes orarent retineri, & paulo vterius (sic ipsi loquebantur) in Dei obsequium, & cognitionem promoueri: neque vero hæc eius religiosa prudentia in angusto hæsit puerilis huius gymnasij. Goæ se in nostros dum iis præisset, & in Piscaria prodidit, eique Ignatius absente Xauerio mandabat, vt plurimum, quæ vellent in opus conferri, desiderabat quin etiam illum Romæ habere, si sustinisset eo carere Xauerius. At sancti Patris epistola neque Xauerium in viuis reperit, nec Lancillotum iis viribus vt posset ex Indiis in Europam tam longa & ærumnosa pericula remetiri: exsecratione præsertim sanguinis exhauriente quod supererat virium; & se aliquando Goam transuehi iuberet, inter postrema suorum solatia & preces, quod sibi proximè instare putauerat, religiosius moriturus: quanquam etiam ex illo morbi & vitæ ambiguo cum se paululum recepisset, suam in Coulano repetierit stationem vbi anno 1558. quantum potest ex certionibus conici, patre familias accersitus

fitus est ad mercedem inflammatae suae in Deum & homines caritatis, quae collapsa ipsius fractaque naturae suppeditaret semper nervos, & spiritus ad agendum.

72.
Virtutes &
obitus Al-
phonfi Cy-
priani.

P. Alphonsum Cypriani excepit Romae Societas inter primos qui se illi adiungere optarunt, postquam religiosi ordinis & nominis & formam adepta est. Mihi quidem sit valde credibile annis iam triginta maiorem, Barcinone familiarem fuisse Ignatio, atque inde forsitan oriundum: ad illum enim ex India nunquam scribit, quin roget illam ab se salutari olim viri Sancti beneficam hospitem Barcinone, postea de illo ubique optimè meritam: quae necessitudo Cypriani cum Ignatio vetus, facile multum contulerit, ut maior licet quinquagenario admitteretur in Societatem: iis tamen illa etiam aetate, animi & corporis pollebat viribus, ut ex praebito illarum in Italia, & Lusitania experimento egregio, pat judicatus sit, cui expeditio Indica suo arumnarum cum omni pondere crederetur: illuc igitur profectus anno 1546. post Apostolici feruoris nobile rudimentum in ora Piscaria positum, vbi socius fuit imitatorque Antonij Criminalis; ab Xauiero iussus est in Socotoram transire, infauftam illam & destitutam pridem Euangelico cultore insulam; sed intercepto in eam aditu, ab eodem Meliaporem destinatur, alias Vrben S. Thomae in Choromandelo, in qua quod vitæ superfuit, annos duodecim exegit. Nec vero alium ab eo poscebat ea vrbs, fœx, & sentina flagitiorum, & scelerum, omni ex India confluentium in vnam illam gentem: ardebat in ea Alphonfus velut Elias alter, nescius aut metu aut ciuilitate palpare flagitia: quod palam tunc fecit cum tentatis in cassum lenioribus in ea remediis, strinxit verbi Dei potentem gladium quem humilitatis studio caelarat eatenus velut in vagina reconditum. Porro statu quam lachrimabili tunc esset Meliapora & quænam origo vitæ quæ illic viuebatur aded profligata, necesse est ex eo discamus, ad eorum quæ dicam perspicuitatem. Scribens ergo ad Sanctum suum (ut iam tum compellabat) Patrem Ignatium, & dolens, cum eo, suo illic sudori tam auarè messem respondere; ait æquè sibi ad fidem proferendam nihil obstare, ut flagitiosos veterum Christinorum mores, quorum infamia tam graui laborabat religio, ut cognomentum Christiani ab ethnicis pro conuicio iactaretur: qui ex Europa Indiam peterent (nam de iis loquitur) & in ea obirent, quartam vix partem saluam esse; quod pessimam vitam morte peiori absoluere alij bello, naufragiis alij; quidam singulari certamine; popularium inuidia nonnulli; rari Sacrorum praesidio, & gratia muniti: ex quo tritum illud hominum religiosorum inde in Europam scribentium, portis Indiarum inferos repleri ob hoc P. Franciscum Xauiarium (quod sanè in eius hodièque literis legitur) quæsiisse procul ab Indiis solum, verbo Dei suscipiendo idoneum, ab Europæorum si minus commercio, at semotum saltem habitatione, ne illi viuendo, satis ruinam inferrent quæ multo conatu Apostolici sudoris ad messem promouerat: mihi, addit, hic vnus dum lucrifit quatuor pereunt;

pereunt; nec aliud crebrius exprobrant ethnici, nisi hos homines ex orbe opposito aduectos ridiculè sibi exclusis ethnicis hereditatem cæli asserere, cum sint terrenis cumulandis tam solliciti, & acres; responsiones omnes hoc verbo mihi eripiunt, & deest quo illis sic faciam satis vt mihi acquiescant: scripturarum sacrarum prædicatio in Europa; hic vitæ probitas causam fidei perorat: gens agrestis, & barbara, cuiusmodi hæc est, aliam non capit nisi operum & exempli linguam: de Christianorum moribus, religionem illorum æstimat: claudit autem epistolam vindictæ metu & vastationis quam tunc Meliapore timebat, reque ipsa spectauit. Quoad se vero sortem ait beatam iis inuidere qui pro campo laborum Æthiopiam aut Iaponiam accepissent.] Hæc ille de Meliapore, generatimque de Indiis; quod à me idcirco omitti non debuit, ne inuicta simul strenui hominis patientia nos lateret in colendis annos duodecim arenis sterilibus; & defensione quadam vel ipse careret tacita feruidioris interdum operæ; vel nos reuerentiæ disciplina quam volebat nostris, Xauerius esse penitus impressam erga magistratus Ecclesiarum & urbium, qualescumque tandem ij forent, & quibusuis moribus viuerent; vt inhibito demissione sui, & prudentia, feruore pietatis, nunquam ad eorum emendationem, reprehensione descenderent, quod à me libris superioribus notatum memini: agebat Vicarius agebat Præfectus, & ex primariis nonnulli licentius, cum offensione graui ethnicorum: erumpebat interdum Alfonso ex pulpito ad coarguenda tam graphicè illorum vitia, vt nemo non intelligeret eos carpi; veniunt de illo ad Xauerium querelæ, & ab Xauerio ad Alfonso obiurgatoria vehemens quam libro quarto Goa scriptam recensui: in quo si fuit violentior Alfonso, capitalibus malis, postrema iudicans deberi remedia (nec enim absoluero quem damnat vir sanctus, tametsi fortassis plura re ipsa promeritum, quam commeritum euentu) sed fuere illius virtutes eiusmodi, vt earum ad lucem hic næuus euanescat. [Erat Alfonso Cypriani, ait Melchior Nunnus Patriarchæ frater vir summè integer, ardensque caritate, quamuis aliquantulum acriori, verum eo splendore probitatis, gestorumque in hominum bonum, vt defunctum flerent & Christiani, & ethnici.] quin & de illo adhuc superstitè, habemus, inquit P. Henriches, hic in vicinia Patrem Cypriani, de quo mira narrant qui ad nos huc inde comitant, nec satis capiunt ætate tam grandem tot sudores durare, aiunt nunquam interquiescere, magna præstare in Dei gloriam, ob id Patrem sanctum vulgo nominari: valet experientia, doctrina, linguarum peritia, concionatur Lusitanis, neophytos excolit, pueros, erudit, ægrotis ministrat, in operibus piis perpetuus in quiete nunquam: senex iuuenis explet vices; vnusque multorum, scribitque ipsemet, optandum sibi posse decuplum esse, ne opera sua egentibus deesse cogeret: quo pertinacius auertebant à Deo animum scelerati, hoc eos ad illum efficacius pertrahebat, ac suis licet obstupefactos malis, pro concionibus fulminaret vt aliquem iis faceret sui sensum;

sum; & quàm ij effrontes peccabant, tam ipse liberè illos increparet: sed reuerentur illum, & multum redamabant, velut vni suarum animarum adlaborantem bono: fidorum affectu medicorum, qui inueteratis vlceribus, & carcinodem minantibus, igni & ferro irascuntur, aguntque tunc summa lenitate vbi videntur sauire crudelius. Accedebat item viro Dei auctoritatis pondus ab extraordinaria potestate qua illum Deus subinde ornabat: rogauit ethnicum aliquando vt se in alteram fluuij ripam transmitteret, & nauo carens, promisit se illi petiturum à Deo lumen aeternæ salutis ineundæ, à qua idola consecretando miserè exerebat: libenter annuit ethnicus siue humanitate ingenita, seu suæ non prorsus salutis incurius; sterit promisso Pater; supplex hanc animam donari sibi à Deo poposcit; & ecce ethnicus, efficientia diuini spiritus suauissima & profusissima, illectus baptissimum flagitauit, & Christianis accensus est. Præceptione quoque futurorum Alfonsi mentem illustrauit Deus, vna maximè in causa totis Indiis celebratissima. Appulerat Meliaporem oneraria suo cum Præfecto, & nauclero, vtroque pessimo, & ipsis etiam corporis vitiis nihil boni ominante; altero coclitate, & blâso altero: consecretis negotiis nauarchus, rapta indignæ vxore quam deperierat, nauique iniecta, discessum festinat, frustra maritus iura implorare, apud iudices surdos; frustra & Alphonsus supplicare, arguere, iram Dei, nunc prædoni adultero, nunc Præfecto minari vecordissimo, dissimulanti tantam iniuriam ab impurissimo latrone, ne illi displiceret: ludente vtroque Patris postulata, dum alter ea in alterum reiicit. Portu exierant scelesti, nec Deum nec homines veriti, & offensione nefaria, querelisque ingentibus urbem illam implerant; cum aliquanto post Alfonsus in pulpitum scandens, frequentissima concione aggressus dicere de atrocitate illius criminis eiusque auctoribus, præuidit animo cœlitus, prædixitque contentis vocibus illorum supplicia. Ergo, inquit, abscedunt triumphantes adulteri, & communem prædam iniucem gratulantur, nec intelligunt miseri, quanta & quàm celeri pœna luituri sint tantum nefas: finite abeant, eoque pertingant, vbi eos vindicta operitur; vbi mare illis & venti tempestatis seuæ struunt insidias, cui tu lignum infame! de tuis mercibus ludibrium, & exitium debes: at raptoribus quid fiet? calamitati suæ supererunt, impij; ne indignissimi sceleris, & iræ illius vindicis, tam cito funere extingatur cum illis memoria vitam diu trahent infelicem, nauarchus in tenebris cæcus: præfectus sine voce mutus exemplum vterque probitatis improbis futurus. Hæc ita vt dico eueniēt, nec vos etiam latebunt Putarat auditor Ecclesiastem sanctum acerbo diuinæ iniuriæ rectum sensu, imprecari reis potius has pœnas quàm vaticinari, sed breui euentus vaticinium fuisse docuit, naui altum prosperè tenente, turbati cœlum, reflare venti, densari tempestas, & mare subruere, sed eo impetu, cui se impares nauæ coguntur permittere, ne cæto pereant dum quò ventus raptabat vicinam in oram illæsi tentant euadere, Præfectus clamoribus

moribus improbis ad suarum quemque momenta partium properanda
voeiferando vrgens voce amissa æternum obmutescit; nauis ad litus
contracta soluitur, & saluis ægrè vectoribus, suo cum onere sorbetur.
Hic dum Præfectus è littore cladis suæ spectator, rei suæ omnis lamen-
tatur iacturam, nauarchum propius conspicatur & recurrunt minæ quas
Meliapore soluenti Alfonso graues intentarat, certòque sed serò per-
suasus, amissam eius causa & scelere nauim, desperabundus in eum ir-
ruit, & quo primum fors manum eius armarat, plagam intulit designa-
tæ à Deo prædictæque ab Dei famulo pœnæ aptam, qua illi alterum
qui restabat oculum eruit: ita vnus videndi, loquendi vsu multatus alius,
médici ambo, terrori omnibus & ostento, nimitiù probarunt, vates quàm
verax Alfonso extitisset, qui etiam sibi præfixum vitæ diem supremum
agnouit, prænuntiauitque ministranti, erat is F. Ioannes Lopez qui
curam gerebat ægotantis. Huic dura, inquit mi frater! ad finem men-
sis patienter, (& erat Iulius anni 1559.) tunc vinculorum S. Petri ho-
nore annuo vertente, exsoluar his vinculis, expediemurque ambo ego
ab ergastulo corporis, tu à molestia mihi ministrandi. Sepulturæ locum
in sacelli aditu sibi postulauit Thomæ Apostolo dicati, cuius vicinis re-
liquiis magnos sibi subdi aculeos senserat ad eius imitationem, ad eun-
dis effusè perferendisque laboribus in Dei obsequium, & emolumen-
tum animorum, obiit Iulij vltimo, sub horam officij vespertinarum
precum vt prædixerat. Solenni officio funus eius ornarunt Patres Fran-
ciscani pro sua in eum veneratione, laudaruntque funebri concione,
qua dixit orator, viri sancti iactura quàm esset populo acerbe dolenda:
quanquam erant eius in publicum, eiusmodi merita, & virtutes, vt
esset consolatione potius leniendus populi dolor, quàm augendus; man-
sitque multorum animis impressus erga illum hic sensus vt vellent mor-
tui propè illum humari tanquam sanctum; quoad anno demum 1580.
in ædem sacram Societatis translatus est. De illius ætate non satis con-
ueniunt scriptores, constat annos vnde septuaginta implese ex auto-
graphis literis, quas non semel ad Ignatium dedit, absit vero hic illud
omittam vnus illarum quam scripsit ad eum vltimam fragmen-
tum ad sancti gloriam illustre, nec non ad reuerentiam qua illum Al-
fonso, eiusque olim Romæ sibi notos, prosequeretur discipulos: reddo
epistolæ mentem ingenuam, & verba ex hispanico sermone. [Vestra, in-
quit, Paternitatis diues animus, & potens, interdum mei, vel obiter
saltem meminerit, tametsi arbitror sustentari me communibus quæ
nobis præstat auxiliis; id ego habeo pro indubitato, eiusque Deo, &
tibi ô Pater grates ago: indignum me video, qui sim tuus, tuum me ta-
men tibi asserere quaeso, & hanc petitionem meam sancta illa mens tua
ratam faxit. Curet obsecro V. P. qui istic sunt omnes, noti mihi quan-
doque vel ignoti à me salutentur, illi potissimum primogeniti tui ter
beati M. Laines, Salmero, Iaius, Bobadilla vbicumque versentur, & de
me resciant, seruum sibi me esse quantumuis indignum multo mi-

nus me fratris apud illos nomen mihi arrogare, nisi indigno, atque immerenti. Scire cupio vehementer de optimo sene Stephano Eghuia, & sancto eius fratre Iacobo: memini etiam (nec mihi dum viam excidet, vt mei quoque ipse recordetur) memini, inquam, magni & sancti Petri Codacij, quem ad fundandam domum illam selectissimum lapidem P. vestrae Deus misit: quondam istic & gesta, & omnes quos nouerā Pater! iucundè recolo. Hoc agat V. P. pro me vel semel Domino supplicent, vt in eius obsequio moriar, & quicquid in eum peccaui hæcenus condonet: vnum est P. V. quod postremum dicam; iis me videlicet plurimum inuidere quibus Iaponia, vel Æthiopia obtingit. Fœlix quem pia fors huc mittit, & suam hic operam Deo locat, infortunati & miseri, quos mundus in otium, in auaritiam, in literarum studia protrudit vna opum mercede pellectos! ô Pater, quanta te manent in cœlo præmia?] hæc ad Ignatium Alfonso.

73.
Pauli Cameris
vita
& obitus.

Paulus cognomento Camers, Patriæ nomen sibi proprium fecit, vt scribit ex India qui ex eo didicit Lancillotus, etsi non desit qui facile putet humili latendi studio suppressum ab eo familiæ nomen; in Societatem sacerdos venit, nondum rite formatam in Ordinem, animo iam tum ita comparato ad summam virtutem, ad quam illum exegit Magister & parens Ignatius, vt eidem circumspectanti quem Xauerio ad Indos iungeret socium, iudicatus sit inter multos, tam nobili dignus occupatione. At is ad parendum, nullo dum titulo obstrictus, quod nec Ignatio potestas esset ad iubendum, ingenti animo delatum munus amplexus est; Imo pridie quam Roma in Lusitaniam abiret, hoc est Martij 5. anni, vt suo loco dictum, 1540. proiectus in genua, viro sancto Donationem sui integram obtulit suo munitam chirographo spontaneam & irreuocabilem, qua se Deo & Patribus deuouebat vt in Orientem comitaretur nauigantes, & spiritalis adiutoris ministerio subleuaret, quem gradum postea iam tum animo designatum fundator sanctissimus in Societate stabilivit. Aiebat Paulus ea in formula, præter Deum nihil ab se spectari cuius obsequio pauperatis, & castimonie lege perpetua se dicaret; seruumque se duobus Patribus stabilem manciparet quos summus Pontifex Lusitaniæ Regi ad conuersionem Indorum concesserat. Se quidem passu longe impari eos sequi, nempe vt seruum, auxiliariam operam in vtilitatem animorum iis daturum, multumque confidere futurum vt non grauarentur ea vt in solatium aliquod calamitosæ illius, & abiectæ idololatriæ: sic ipse cõsimili caritatis & demissionis sui laude, quæ duo velut diues viaticum cum detulisset secum in Indiam, eorum præsidio assecutus est meritum illinc præstantium, operum, hinc vero intimæ sanctitatis. Retento in Lusitania Simone Roderico ad Societatem in ea propagandam, Paulum Xauerius, & Franciscum Mansillam, comites assumpsit in Indiam, fœlices planè vel tanti viri consuetudine, vel prærogatiua Ordinis in India primum statuendi, sed non pari vterque principiis exitu. Mansillam regi difficilem, ad iussa indo-

cilem,

eilem, & durum, post annos aliquot operæ non profus inutilis, Xauerius missum fecit è Societate: reponamus tamen viro bono qualiscumque huius mercedem aliquam operæ, & testimonij quod publicè dixit pro Xauerij sanctitate, paucisque lineis obitum eius sane optabilem perstringamus qui anno 1565. Cocini contigit. Magnæ nobis fuit consolationi scribit Hieronymus Rodericus, Sacerdotis cuiusdam pia mors: Franciscus Mansilla dicebatur, cum P.M. Francisco, & P. Paulo ex Lusitania venerat, vt teneri se morbo sensit, statim vitam omnem apud vnum è nostris confessione expiauit, rogauitque illum infimis precibus illo in agone ne se desereret, in quo ita illi prolixè mos gestus est, vt de nostris semper ei aliquis adesset, nec quenquam dum iacuit, qui cum loqueretur alium admisit, nec vlla sæcularium visentium officia, nec alios præterquam de Deo sermones, tam constanter, vt vocem ad vltimū formate non valens à nobis peteret Christi patientis sibi mysteria suggeri, fuit certe nobis magno pietatis & patientiæ documento: ad repetita sibi de Christo moriente loca, soluebatur in lachrimas, manu pectus pulsabat, & similibus insistens animam efflauit: ista de illo Rodericus. Funestam Paulus in Asiam, nauigationem habuit ex Europa. Vlyssipone mense Aprili soluens anno 1541. sequenti, multis iam mensibus prouecto ægre Indiam attigit: hibernauit apud Mozambicum in conferta ægrotorum turba ex classis totius collecta nauibus, quorum afflictissimis animis atque corporibus tam indefessum, & arduum ministerium impendit, vt illum eius fama Goam præcurreret: illuc appulit & iam notissimus, & multum optatus, salutatusque est reuerenti simul, & studiosa gratulatione, quod aliquot mensibus eius aduentum præcessisset nauis quæ Gubernatori successorem cum Xauerio vehebat, & anteuertisset mira de illo nunciare: maturauerat discessum in maritima Piscariæ Xauerius, & primis ignibus Apostolicæ suæ caritatis cæcam gentem, afflabat; ad hoc socium laboris præstolabatur Paulum, quem gubernator sanctè promiserat se illi missurum, mox vt portum legisset, verum iis precibus fractus est à Michaële Vazio Vicario, Iacobo Borbano, & Francisco Annesio, viris publico bono natis, vt prope coactus sit fidem Xauerio fallere, interpretatus illum si adesset haud aliud facturum: fuitque sapiens gubernatoris iudicium tam consentaneum operi quod Paulo credebatur, vt inde per decem & octo annos quibus superfuit, neque Xauerius quantumuis egens hominibus ad opus diuinum strenuis, nec post Xauerium alius, ab eo munere illum amouerit. Præpositus ergo est seminario Indorum, recens ab tribus quos nomine censui erecto, sed ita tum debili, vt videretur casui proximum, nisi eius viri humeris fulciretur, nec spem boni successus faceret, nisi sub eximiæ virtutis & prudentiæ gubernatione. Regendi erant, & instituendi iuuenes interdum centum, ætate intra vigesimum & decimum media; ortu barbari; patria educatione sæpe belluini; linguis pro multitudine regionum ex quibus venerant diuersis, ex Canara nempe,

Malabare, Piscaria, Pegu, Zeilano Iaponia, Molucensibus, & Mauro: erat iis vertenda indoles, eruderandum sensim ingenium, mansuetudo inferenda; corrigendi mores sed non proritandi; ferenda viria patienter, sed vt fringerentur in alios ab iis qui primùm fuerant. Munus laboris, & tædij plenum, nec tolerabile, nisi constantissimæ caritati, absque nausea præsertim, absque induciis, & vsque ad vitæ supremum halitum; sed enim suaue, nedum tolerabile viro Dei fiebat, expectatione ingentis boni ex eo in Sacræ fidei vtilitates redituri. Prodibant subinde per medios nostro in templo ciues, inopinato supplicum ordine, flagris in se acriter sæuientes, & voce manuque populum ad pœnitentiam vocantes, interdum etiam publica allocutione quam priuatis suis ex meditationibus concinnatam ij habebant qui erant diuinis cultiores, & adhibebatur tam efficaciter à Spiritu sancto proborum iuuenum simplex lingua, vt auditorio lachrimas cierent, diuidebantur in confines pagos, alij docturi neophytos, alij Patribus ex Europa aduëctis, & linguæ adhuc vernaculæ rudibus futuri interpretes: attribuebantur nonnulli ducibus Lusitanis vel commissuris cum hoste prælium, vel ad proferendam ditionem mouentibus, vt essent militi velut genij tutelares, cumque à vocibus aduersus Deum sacrilegis, periuris, & infamibus prohiberent, & obseruabantur tam religiose, vt eorum præsentia censura fieret insolentiæ militaris, nec inflictam ab iis in peccantis reprehensionem quisquam in deterius caperet: vbicumque Deo sacraetur ædes, vel cruces ponerentur, ipsi vt erant cantus Ecclesiæ apprime edocti, magna pars fiebant solennis ritus: inaugurati sunt etiã ex iis Sacerdotio nonnulli, tam exquisitæ probitatis, & scientiæ vt in occasiones quoque valdè difficiles non dubitanter mitterentur, suas vero demum in patrias reduces, publici earum euadebant magistri, adorsique rem à proprio lare, suos ad Christum conuertebant, inde simulachra deiicere; subruere pagodes; Calciges, & Brachmanes disputatione lacessere, quodque suspiciendum præ omnibus eorum aliqui, modo ab ethnicis, modo ab saracenis tenti, quanquam ætate admodum tenera, nec promissis, nec minis, nec cruciatibus à Christo auelli potuere, certi vitam cirtius perdere quàm fidem, quod re ipsa nonnulli fortiter peregere: multiplex scilicet, & præclarum collocatæ in ipsis à Paulo industriæ pretium, à quo Ecclesiis Orientis quoad in ipso erat, vniuersi effingebantur in Christi præcones vel martyres; cuius eximij conatus singulares fructus primis inde ab annis prodire, cum eius potissimum admiratione, desiderari cœpta, postmodum petita, statuta denique in vrbe Principe Indiarum Societas, quem proinde lapidem foundationis suæ primarium, S. Pauli collegium agnoscit, alios deinceps Apostolicæ laudis viros egregios cœtera huic inædificasse. Nec fuit palmaris, nec vna Pauli dos, educatio hæc Indicæ iuuentutis: nosocomium proiectis in omnem iniuriam miseræ paupertatis, ægrotantibus aperuit; eos ipsemet per urbem requirebat, tollebat è publico, interdum à Dominis abiectos, delatis

latis aut ductis in nosocomium sedulitate materna ministrabat, sui que tam nobili contemptu, ut nostri iuvenes, qui consimilis caritatis & vincendi sui studio illum adiuuabant, eius aspectu afficerentur incredibiliter: nec pudebat hominem id ætatis & meriti; Collegij olim, & Prouinciæ Indicæ insignem præfectura, suis pauperibus stipem ostiatim corrogare, quod iis alendis prouentus alios haberet nullos præter Lusitanorum misericordiam, quam nota hominis, & venerabilis sanctitas, præstabat ad omnia quæcumque posceret liberalem: accedebat his institutio Christianorum recentium; & in illustranda infidelium cæcitate, ferax labor, eaque solitus fortunari diuini spiritus munificentia, ut vel anno solum quo ægrè animam ex valetudine trahebat, ethnicos sua manu tinxerit octingentos, hinc fiat de cæteris coniectura: virtutum denique quæ possunt hominem locare in summo vocationis nostræ & perfecto gradu, Paulo Camerti sic nulla defuit, ut posset nostris in exemplar imitationis absolutissimæ proponi. [pauper spitu, (scribit Melchior Nunnus) pauperum amicus; vestitus detriti, & laceri tenax; sui domitor constans; nosodochij & ægotantium minister assiduus; obseruantia, & opinione extraordinariæ sanctitatis clarus.] alius item cum amico de eodem in Europam loquens [possum, ait, certò de P. Paulo affirmare, illum Societatis in India columnam esse. Ex quo P. M. Francisco comes venit, Goa excessit nunquam, sed late diffusa virtutum suarum & operum fama mirificè claret, nec fiet cuiquam satis credibile quantas iam tot annis molestias quam constanter ferat, nisi qui suis ipsemet oculis viderit: prorsus quidem animum induxi, agentem in terris, & communicantem animi sui opes cum hominibus, ab iis procul in cælo & cum Deo mente tota versari] iam ad illa quod spectat pietatis & prudentiæ ornamenta, quæ præfecturam religiosam perficunt, quanta in eo eminent, è Xauerij delectu paruit; etsi enim illum mediocritas doctrinæ in adiutorum spiritalium ordine reliquisset, suas tamen vices optime illi committi censuit profecturus in Iaponiam Xauerius; & postpositis quibusuis aliis, nostros omnes qui erant in India eius subdidit gubernationi, Goano dumtaxat excepto Collegio, cui Antonium Gomecium præesse sustinuit, obseruantia magis ductus Simonis Rodrici à quo fuerat ex Lusitania ad hoc missus, quam quod ei muneri gerendo esset idoneus: significauit enim haud obscure quod prospiciebat ausurum Gomecium, nempe hominem ventosum arrogaturum sibi Prouinciæ clauum hoc prudenter nisi præcauere, admonitione sapienti Paulum in discessu communiuit cui ad faustum Collegij regimen deberet insistere. Huius initio compellans Paulum (qui certè iis monitis minimè omnium egebat) Gomecij indolem tacitè conuenit, eaque illi diserte inculcat quorum neglectu infelix periit: vobis, inquit duobus mutuam caritatem cupio maximè cordi esse; dehinc erga ceteros tum huius Collegij Goani & reliquarum per Indiam stationum nostrarum Patres, fratresque carissimos; tum erga illos qui venturi sunt ex Lusitania. Ego
quan

quantum & ipse perspexi, & intelligere potui tantum iis confido quicumque sunt in Societate, vt egere rectore arbitrer neminem; verum ad meriti cumulum, rerumque ordinem constantem & ratum, præerit Goano Collegio Gomez, tu dempto Collegio, toti Prouinciæ: quo in munere vobis mutua vices beneuolentiæ etiam atque etiam denuò commendo, ac ne se omnino alter alterius in officium ingerat, amobus vero sollicitæ curæ sint, quotquot è nostris Indiam excolunt, iis quantum in vobis fuerit necessaria videtote, inita eorum quæ tolerant diligenti miseratione. Quicquid à vobis aut sibi petierint, aut Christianorum bono; diuinum id fiet, vel temporarium, sed animum spectans, id illis quantocyus sedulitate omni curate, & mittite. Quas dabitis ad eos literas qui ad Dei opus hinc ad varia sparguntur, melle diffuât intimo paterni amoris, nec verbum vobis asperius excidat, quo possit eorum animus perstringi, & contrahi: quæ postulauerint pietati conducibilia, vel etiam corpori, sed in commodum animi opportuna, omnia illis indulgete, memores quam multis in Dei obsequio perpeffionibus agitentur, in Moluco præsertim, & promontorio Comorino, vbi crucem profecto veram ferunt; quod autem nostrarum extra urbem Goam stationum ingenia, & statum nulla vos satis docuerit experientia, ex iis reuocabitis neminem, nisi de illius qui ei præsit consilio, & assensu; ne quantum quisque in iis promoueat incij, strenuis amouendis, loca illa in operarum penuriam redigatis. Porro quos huc necessitas, vel eorum qui præsunt imperium miserit ad animi sui peculiare aliquod leuamentum; modis omnibus operam dabitis, vt recipiant sese ex titubatione, & infirmitate, in pristinum statum. Scribite sapius de vobis, de hoc Collegio, de iis qui aderunt ex Lusitania, de quibus scire auco distincte, & particulatim quinam, cuiusmodi, & quanti, quot sacerdotes numero, quot fratres, & an etiam concionatores, qui si venerint in arces mittite, vbi pridem desunt qui concionentur, Cocinensi maxime, & Diuensi. Facite me semper accuratè de rebus omnibus certiozem, ad hoc literas ad me bis quotannis, Malaca & Sunda in Iaponiam date. De cæteris item qui passim insudant vtilitatibus animorum, volo, sigillatim à vobis moneri, nominatim de PP.M. Gaspare Ormuzij, de Melchiorre Gonzale Bazaini, Nicolao Lancilloto Coulani, Antonio Criminale ad caput Comorinum, Cypriano in vrbe S. Thomæ; Malacæ de Francisco Perez. Ioanne Beira in Moluco: addite quoque illorum de focis, & minutim, qui valeant, quid agant, quo fructu perscribite. Hæc à me vobis in discessu relicta monita, quæso hebdomadis singulis legendo recolite, partim quidem ne illorum neglectum inducat obliuio, sed probum de vobis vt facitis, exemplum dare, & nouis perpetuo virtutum lucris augeri pergatis; partim etiam mei vt memineritis apud Deum, & vestros in Christo filios & filias memores pariter mei apud eundem faciatis, nostri denique qui domi sunt curate vt Deo me suis precibus commendent, quem opto vobis indiuiduum hospitem.

&

& mihi comitem. Goæ mense Aprili anno 1549. ita rebus nostris prouisione sapientissima ordinatis, nauigauit Malacam Xauerius, post in Iaponiam ex qua illum India non recuperauit nisi quarto, & tricesimo post mense: at enim Gomez uehementer dolens quod solus omnia non esset, & prælati sibi consortis impatiens, externi præferim, utque Paulum vocabat, simplicis; eius sibi sensim potestatem & munus arrogare, omnique tandem cum priuata, tum publica administratione illum excludere. Quæ illi origo calamitosi exitus demum fuit, abundè superius enarrati; sed Paulo modestiæ humilis luculenter edendæ, tamen si difficilis, & perplexa, uerum præclara occasio. Dignitatis gradum nullius patrocinio tueri uoluit; neminem appellauit; litem intendit nemini de auctoritatis suæ iure; quod etsi iure aliquando, raro tamen ad eò cautè sit, ut inde non plus offensionis in publicum existat, quàm honoris in potestatis suæ assertorem. Recepit se igitur in seminarium luuenum priuatus, & domum pauperum hospitalem, nihiloque deinceps regendi officia attigit, quàm si eorum iniquus usurpator, legitimè illa obtineret. Annos egit in India octodecim Paulus, tam perseveranti infracti operis æquabilitate, ut nouus quotidie illud aggredi uideretur, & quamuis diu & sæpius ægotans, sed eo usque nunquam morbo cessit, ut agendo ualentium quemlibet labore saltem non æquaret. Quo tandem potius quam ætate oppressus Goæ uiuendi finem fecit ad Ianuarij 21. anno 1560. eodem tranquilli adhaerentisque Deo animi affectu quo semper uiguerat.

Sacerdotes duos eiusdem nominis, eiusdemque ardoris infidelium conuersio habuit eodem tempore occupatos, Ludouicum Goes in India, & Ludouicum Goes in Molucis. Goæ diem supremum is obiit anno 1567. hunc in Amboino, tertio post anno fuisse superstitem datæ illinc ab eo testantur literæ, nec est deinceps quoddam apud scriptores, confusis temporibus & gestis vnus coagmentetur ex duobus, cū post narratam eius morem reperiatur diu inter uiuos: priori illi quem habuit India suam in Christo fidem debent, cuncta fere ad Raciolum oppidæ, quæ Lusitanorum arx est in ditione Salfetana. Illic paucis ab Goa leucis hoc etiam ultimo uitæ anno Christianis diuina ministrabat, & cum arcis Præfecto Iacobo Fernandez, viro cultus diuini egregio vindice ad subuertendos Pagodes progrediebatur, templa subiectis ignibus mutabat in rudera, nihilque non agebat ad reuellendam stirpium idololatriam, ex omni ditione Lusitana. In iis quanto triumpharet gaudio ad amicos scripsit, cum sparsa cerneret circumquaque superstitionis lacera membra emortua, & simulachrorum passim ruinis impostam, calcantemque dæmones Christ i crucem. Habuit quidem laudis huius Socios è nostris alios; illud eius peculiare, & proprium quod cæli Regina morientem conspectu suo dignata est. Rem scribit vnus ex iis qui aderant in hæc verba. [Deus ad se hoc anno, inquit, P. Ludouicum Goes euocauit, Iacobi Apostoli Sacro dic. Huic statio erat ad ædem Deiparæ, leucis pro-

74.
Ludouici
Goes obitus.

pè ab Goa quatuor illic morbo prostratus, in hoc Collegium defertur, ubi paucis diebus conualuit; sed annum prouectus ad sexagesimum, & diuturna pridem exhaustus ægrotatione, nunquam in vires pristinas rediit; quin & in peius ab se quotidie defluens, ubi defectionem persensit imminere, postremo sacrorum præsidio muniri voluit. Paulo quam spiritum efflaret, adstant lateri è Patribus nostris & fratribus, ipse vultu ut erat ab iis auerso rogatus est ne grauaretur ad illos tantisper conuertere; respondit sinerent modo se hoc situ iacere, sibi enim Virginem Dei matrem illinc adspectabilem adesse. Nec erat tamen vlla colloco de qua intelligi posset eius effigies: tam impensio illam studio coluerat viuens, ut credibile sit, voluisse solari moriturum] sic ille: & quidem haud temerè; supræmum enim, & quasi palmare vitæ suæ opus, Regina Virginum dedicarat Ludouicus, quo peracto Goam æger venit mortem obiturus. Conatus omnes pridem intenderat ad Deæ magoræ flagitiosos cultus abolendos, inter quos narrauimus, sumptu publici pudoris ali solitas meretrices quæ gratuita corpora poscenti cuilibet in Deæ turpissimæ prostituerent honorem. Euicit tandem Ludouicus ut simulachrum, & templum, & quantum erat infamis illius prostibuli deleretur, primusque manum operi admouens simulachrum confregit & dispuluerat; templum vero quod esset amplitudine, & magnificentia sumptuosum, situmque loco, si quod vsquam in Europa, & Asia peramceno, atque conspicuo; meliori consilio seruandum putauit, impetrauitque Goa fortibus literis ab iis qui præerat, ut ritè purgatum ab omni turpitudinis veteris graueolentia, & umbra, Conceptæ Virginis integritati sacraretur, sapienter præfagus illibatam Deiparæ splendorem coruscaturum inde magnificentius, vnde meretrix Dea propudiosis honoribus ab insano populo culta fuerat flagitiosus.

75.
Francisci
Lopez mors.

Francisco Lopez martyrij titulus primas debet, ubicumque ipsum locauero; sed sequor ordinem temporum, quem suus cuique obitus assignauit. Lopez gente Lusitanus, annorum vndequadraginta, viginti ex iis egerat in Societate, duodecim vero in Indiis; vir doctrina quidem mediocri, sed multo vberius virtutis efficientia, missionum Orientalium magno vsui par: in ijs concionando fere versatus est, melle ingenti animorum; eaque vi pœnitentiæ, & doloris sensum, sceleratorum pectoribus infigendi, ut raro diceret quin auditorium in apertos fletus vndique rumperetur. Cocini degentem offenderunt naues è Lusitania quatuor Octobri medio anno 1568, quibus Ludouicus Ataiides nouus Indiæ Prorex vehebatur: quinta iis adiuncta mox Goam perrexit Apostolorum Simonis, & Iudæ festo die. Naui cum imperio præerat Ludouicus Mello vehebatque centum quinquaginta ex Europa, demptis paucis nobiles Lusitanos: de nostris vero P. Franciscum Lopez, cum tribus fratribus Antonio Dionysio, Ioanne Caruallio, Manuele Lobo & adolescente, qui Societatem initurus petebat Goam, ubi cum aliis expectabatur à Provinciali: cursum læti tenebant postridiè haud procul à littore; & Ciamlem

lem præteruehebantur, cum ex insidiis biremes quindecim Maurorum & trieris in eos inuadunt: ij Calecutio egressi, armis velis, & remigio habiles pugnam cantu barbaro cientes velut præda iam iam potituri adoriuntur nauim, & alis conclusam duabus cominus, eminus quatunt, & impugnant. At hæc omni bellico instrumeto, & milite valida impressione illam hostis primam, non fregit modo animose, & fortiter, sed aliquot ictibus liburnas eorum depressit binas, tertiam obruto latere altero mutilauit, instantique nihilo segnius in pugnam, pertinaciæ barbarorum exitium aliquod perniciosius imminebat, nisi vel incuria vel casus in nostros illud reuoluisset, scintilla haud scitur unde aut quo modo, correptum sulphurarij pulueris commearum in flammam rapuit, quæ puppim primum & ex ea certantes magno fragore in auras excussit, tum nauim reliquam multis locis incendit. Lusitanorum plus centum in mare desiliunt; parique à Mauris suorum eade iratis necantur; redemptioni pars reseruatur. Nostros quatuor, cum paucis aliis extrema in prora, mortem operientes, & parantes, cum inde quoque incendium pelleret, in mare adigit suprema necessitas, si quid spei fors daret experturos. Lopez obesitate corporis, natando inhabilis, ad trierim Maurorum à qua propius aberat enititur cum adolescente, qui post elapsus à barbaris, quæ ipse spectauerat retulit; Patrem uidelicet ex tonli verticis recenti corona, pro sacerdote agnitum fuisse, humaniter sublatum in trierim, interrogatum admodum comiter, an uellet nomen Mahometi dare, vitamque hac lege redimere; execratum vultu ipso tam impium nefas, & professum clarè se nunquam facturum. Hic uero Mauris intentantibus hastas in aduersum pectus, & vibratos in caput acinaces, nisi Christum negaret, stetit intrepidum, eademque constantia respondisse, Christianus sum, mortemque pro Christo libenter oppetam. Nec uerbis ulterius acta res; in illa professionis Christianæ illustri generositate Saracenus medias costas transadigit; alius caput ingenti uulnere diuidit; in mare prouoluunt cæteri, & extantem pergunt conficere lanceis, donec mortuus mergeretur. Rescitum ex iis qui prælium spectarant, complures etiam à Mauris, conditione mortis deuittandæ sollicitatos ad cultum Mahometis; quos uero, quàm multos robur sapiens inuicti pectoris, vitæ huius fluxæ ac mileræ pro beata fecerit contemptores, nouit vnus qui cælo assertos, inter martyres coronauit. Religioso quidem viro ex Sancti Francisci ordine: optio eadem quæ Patri Lopez posita memoratur, morsque propterea illata quod Christo inhærens eam reijceret; quod idem refertur de nostris duobus Caruallio, & Lobo, quanquam de his nihil admodum liquet, nisi eorum alteri, & incertum cui nam, biremem prehendenti caput ferro demessum. Quarti denique prodigiosa planè tot ex mortibus vita & incolumitas inter ignes, & aquas, & gladios, primum illic in mari deinde hostium manibus.

Fuit is Antonius Dionysius annos natus duos, & triginta, Theologiae studia etiam tum pertexens, & initiatus diaconi gradu. Quo pacto

M m 2 mari

76.

Dionysij
ærumnæ
constantes.

mari emerferit, quas exegerit ærumnas in seruitute barbarorum, simplici stylo referamus. P. Organtini Gnechij Brixiani qui audita illius iam liberi ex ore, datis ad Franciscum Borgiam Generalem literis perscripsit. Hodie, inquit, F. Antonius Dionysius appulit, quem tenebant captiuum Mauri, recensuitque nobis suos casus, P. Francisci Lopez, & aliorum necem. Ac de se quidem narrat, sibi iuxta nauim fune prehensopendentine mari mergeretur, malum anticum in caput ruisse; semimortuum eo ictu à Mauris tentum, quibus cum aliud ex naui nihil prædæ flamma reliquisset, in littus regressos; illic à conferta ipsorum turba quæ littus compleuerat, se cum eiusdem fortunæ sociis ut est gentis crudelissimæ mos, omni conuitorum genere salutatum, cunctis ad necem, omnes poscentibus excepto nemine. Spoliatos deinde vestibus, & prorsus nudos, in varia sparsos, & abactos loca, prout cuique quis in partem prædæ obrigerat. Se in pagum abductum, vocabulo Capocatum secumque plus triginta Lusitanos; fuisse illic nudum in compede, summisque miseris cum alio quodam, ac dum ibi moratur agnitum pro religioso, Maurique indicio, à quo visus olim Cocini fuerat, domino proditum; seruatum nihilominus abhero in viuis, è illi cum eo redemptionis pretium interiret, sed peius quadrupede tractatum. Occupari solitum purganda domorum quatuor oriza (qua fere gens illa vescitur) quod opus cum probè & commode obiret, ventitasse ad illum Mauras anus cum oriza, & purga orizam meam pater; imperasse, sputisque interim faciem scedasse, cœcidisse pugnis, & omni contumelia vexasse. Herum pueros missitasse qui bufones, & ranas è lacunis & paludibus ducerent, iisque comedentis, & quiescentis os verberarent. Dormienti quoque subditum iisdem à pueris gladiolum aliquem, post vero malignè velut ab insciis resectum, concurrentibus & proclamantibus, se à Patre ad necem designatos, pugnisque calcibus, & aliis quæ longum sit scribere, confictam calumniâ vleiscentibus iniuriam. Vnum id misericordiæ afflictio concessum, palmaris tela qua pudorem velaret. Diebus aliquot elapsis, cum ad alium transisset herum, bis enim venierat, in conferuum incidit iuuenem, cui ex inopia redemptionem desperanti, Mauri persuaserant Mahometem. Iamque ad solennem circumcidendi ritum dictus erat dies, comparataque vniuersa: cum illum Dionysius accersit, noctemque in eo erigendo, & corroborando solidam, insumit tam prospere, ut assurgeret miser, & in gradu fidei Christianæ firmus consisteret. Die postero Mauri frequentes adsunt deducturi iuuenem in fanum ad iurandam Mahometi fidem. At is liberè Christianum se, falsus Mahometem eiurat, suas de cœtero sibi res haberent, denuntiat; fixum sibi esse in Christo viuere & mori. Quo frustra modis omnibus impugnato, in Dionysium denique iram vertunt, velut mutationis eius tam subitæ auctorem, eique mortem propterea intentant. Quibus ille constanter; sibi vero mortem ex voto venturam, quæ tali de causa inferretur: Sedauit tamen furentes Deus, & ab eo atque à iuvene, abstinere cruentas.

cruentas manus. Non tacebo quanta vi egerint sacrificuli sanorum Castigales, ut Lusitanorum aliquem impetrarent Dionysium nominatum, Mahometi suo immolandum, sponcione data victoriæ, si concederetur, in perpetuum obtinenda: tandem placuit Deo tot malis eum eripere, aureis centum quinquaginta eius libertas redempta est, nec tamen prius amissus à barbaris, quam eius capiti, clerici coronam igne inurerent. hæc nobis Dionysius retulit in quibus multa coactus omitto nauis ad discessum iam vela explicante. Hæc de Dionysio Organtinus: alios è nostris fato prospero functos in India post pauca subiungam.

Nullum in rebus Orientis horum historici temporum annum habent hoc anno 1573, illustri memoria digniorem. Mouere arma contra Lusitanos potentissimi quinque Reges, coniurati gentem excindere, ac ne vnum quidem vel ad præteriti monumentum vel ad spem futuri in viuis relinquere. Has pridem animo fouebant iras, sed nec mol. tollendæ tam immensæ sufficiebant soli; nec ad suas cuiusque rationes priuatas, accommodabant facile commune fœdus, donec illos ad hoc adigeret præsentis damni necessitas, & futuri merus ab Ludouico Ataide Prorege iis incubuit. Nam ex Europa vir fortis & præstans, ad regendam Indiam appellens, miratus est Regem totius pœnæ Malabaris Zamorinum imperitare mari vniuerso, percurfare illud grandi birenniũ numero turmatim diuisarum, totis oris grassari prædæque ducere nauium etiam onerariarum, & Lusitanorum quorum haud parua multitudo ab eo capta seruicbat; eratque continua hæc clades, & probrum clade longè acerbius, Classem itaque regiam strenuo milite, apparatuque omni eximie armatam in duos partitus iustos exercitus, alterum iubet oras boreales; australes alterum lustrare, vtrumque ducibus experientissimis, nempe cis, & trans Goam ad Comorinum ab vsque Cambaia. Nec longum, & australis dux classis Menesius, bello clarissimus, maritima obiens tractus Malabaris, naues Zamorini multis præliis laceffitas, alias cepit, nonnullas depressit, vniuersas disiecit. Inde in posterum ne quis restaret prædonibus receptui nidus, quas arces sibi statuerant in variis portibus, vnde prodibant ad latrocinia, & quò raptâ in tutum conferebant; omnes cepit, omnes solo æquavit Prorex; alias vero inædificauit fluminum faucibus quæ portus illos efformabant, sed nouo ex canone ac stylo præclarè firmatas quibus demum rebus tanta confidentia patratæ, acriter ic̃ti sunt Reges illi, quorum erat ad mare ditio, & Lusitanicæ confinis. Sibi ergo quisque dum timent grauiter, pro se quisque in fœdus clandestinum, secretò conspirant: iurantque internecinum exterminando Lusitano communi hosti bellum: & erat proflus Lusitanorum, & Christianismi conclamata res in Oriente, nisi defensionis suorum Deus, miris modis, & supra morem potentibus adfuisset. Instructu enim barbarorum ex multitudine innumerabili constante, nostrorum paucitas erat penitus obruenda, quantacumque ij fortitudine pugnaissent. Idalcanus militum habebat millia nonaginta, præter promif-

77.
Lusitani tota India bello appetuntur, & vincunt.

cuam aliorum turbam qui victoriæ securi ad legenda spolia conuolarant. Regis Guzarates, exercitus millia excedebat sexaginta, Zamorino demum sexta parte inferior numerus militabat, quam ego summam bel-latorum, earum infimam quascumque scriptores referunt, collegi vt suspicionem tumoris ab hac narratione auerterem: sunt enim qui peditu-m ponant ducenta quadraginta quinque millia; equitum sexaginta nouem. Accedebant docti ad bellum elephantes trecenti sexaginta cum Izamaluco: cum Idalcano ad bis mille, & vltra tormentarium instru-mentum qua minoris modi qua maioris ad cannas prope modum trecē-tas: sic pulchrè comparati, arces quisque suis impositas finibus susci-pit expugnandas, Goam Idalcanus, Izamalucus Chiaulum, & Bazainum, Cialem, Zamorinus totumque simul tractum maritimum qua triremi-bus qua longis nauibus octoginta, præter multitudinem scapharum con-uehendæ annonæ, aliisque vlibus expeditam: Paulo ante Aceni, qui suas & ipsi in hac coniuratione agebant partes, aduersum Malacam classē duxerant nauium sexaginta; eodemque tempore Madunius Zeilanam ditionem armis parabat appetere, & de Goa quidem actum erat, si eam potius constanter aggredi quàm cautè cœpisset Idalcanus, adeo illam Prorex necessariis ad defensionem exhauserat, vt illum conflaret exer-citum duplicem quem ad oram vtramque Indiæ mittebat, quorum alter quingentos, octingentos alter inde auexerat milites. Sed moras terente Idalcano legendis ad machinas librandas idoneis sedibus, & diruendis leuioribus propugnaculis quæ sinum obtinebant inter continentem, & Insulam medium, tempus dedit ad reditum, & opem ferendam exerci-tui vtrique: extra meas lineas iero si velim clades barbaris inflictas me-morare, siue hoc ad Goam, siue aliis terra marique præliis, & obsidio-nibus Ciales & Chiauli; facinora item Lusitanorum nobilium gloriosa quæ ab historicis iure celebrantur: quin & auxiliij diuini aperta mira-cula quibus sui magis imperij ptopriam quam Lusitani causam propu-gnauit, cum armis in Christum quam in Lusitanos haud paulo infe-stioribus barbari furerent. Naues septem Malacæ subsidio venere, die Virginum vndecim millium anniuersario, quarum vnus in nostro Col-legio seruabatur colebaturque sacrum caput, ab his nauibus hostiles ad septuaginta, captæ, demeritæ, dissipatæ. Nec multo post Iacobus Me-nesius exigua classe nauigiorum varij generis Zamorinum fregit, eius-que potentem exercitum profligauit. Exinde Ciali opitulaturus in il-lius portum, per fulminantia hinc inde hostium tormenta subiit, testan-turque complures explosos iis globos nostrorum qua pectori, qua dor-so incussos, ictu imbelli concidisse, vno illorum attractu emortuos. Ad Chaulum vero octingenti, qui arci præsidio erant Lusitani, prouocati ad pugnam ab Izamaluco ethnicorum militum septuaginta millibus su-perbo; die BB. Apostolis sacro, tantam cædem eorum edidere vix vt me-dia pars multitudinis tantæ euaserit. Deum nempe, ac cœli Reginam interfuisse prælio confirmant prodigia quibus victoriam sunt adepti.

Accu

Accumulatis retro in aggerem undis, refluxum mare per tres horas accessum sustinuit, ne sicci littoris oram barbaris nudaret ex qua debilitatem arcis aggredierentur partem. Ad hæc omnes eorum machinas repentinus extinxit imber, cum ex præcedenti eorum iaculatione glandium quadragies mille coaceruassent Lusitani. Postremo aciem Lusitanorum primam quæ prælium iniiit, præcessit ad spectabilis matrona, ornata regio, & terribili specie, quæ subinde respectans, suos animabat; hostibus minabatur: qui pacis postea impetratæ conditionibus acceptis, videndæ matronæ vehementer petebant sibi copiam fieri, maioremque humana prædicabant quæ tot arma & tela incolumis, & intacta spreuisset, iis vero imago Deiparæ cum esset exhibitæ, velut eandem quam viderant, profecuti sunt adoratione, muneribus, & quidam etiam superstitionis patriæ eiuratione. Octingentos istos generosam manum ducebat Franciscus Mascaregnas vir bello inclitus, virtute illustrior, nactusque tunc milites haudquaquam sibi dissimiles.

Ad nostros redeo qui religiosis accincti armis nunquam non & ipsi sterere in acie, maximè cum essent barbari exscensione prohibendi ut ad Arguinum, ad Passum-siccum, ad Benefarinum, vbi & sæpius, & cruento Marte certatum est. Præibant in pugnam Lusitanis, incendiabantque illos verbis, & obiecta quam manu prætendebant Christi pendentes effigie, præsto erant lethaliter faucis, ut eos supremum absoluerent, & ad mortem iuarent Christianam: nec omnes redibant ex illo præliorum æsta salui, & illæsi, ut enim ad Goam nihil grauius passi sint, quam ut tenti à barbaris aliqui, liberarentur à suis eodem die; verum ad Chaulum P. Petrus Colatus dum in sauo flagrantique conflictu Lusitanos ad pugnam ingenti animo inflammat, aduerso pectore glade perfossus est catapultaria & post octiduum fortiter obiit. Goæ sex alios ex quibus quatuor sacerdotes, causa dissimilis abstulit: ibat obsidio in mensem iam decimum, cum media hieme, quam illic non frigora sed imbres metiuntur, tentant barbari postremis conatibus locisque variis irruptionem in insulam, & magna suorum repulsi strage, de expugnanda Goa desperarunt, quare rabie retorta in Salsetanam continentem, vbi sacrilegio immani ædes sacras quinque, in suorum equorum stabula deformassent; nihil in eam sceleris omiserunt; eisdemque Choramo calamitates illaturi, eorum manipuli aliquot eò transiere. At enim Patres penes quos eius loci cura, vallo, & aggere Dei domum validè munierant, & Christianorum intrepida feruensque alacritas hosti barbaro in armis occurrens, adeo illum exterruit, ut ne moto quidem certamine, pedem retro, & audaciam verteret. Atque in hos tandem euentus vanuit fœderatorum bellum, qui sibi denique consultum putarunt, si ad pacem petendam confugerent; eaque opimis ad rem Lusitanam, & honorificis conditionibus vtriusque sancita est. Verum antehac dum bellum arderet, in eam amona difficultatem reciderat, ut nihilo mitius in vrbe fames, quam foris gladius, sauiret, interceptis enim ex Idalcani regno

78.

Mortes nostri in militibus & ægrotis iuuantis.

commea

commeatibus Goam conuictis, non sinebat hiberna tempestate clausum mare, aliunde illos conuehere. Hoc rerum angusto, Patres suo partim, partimque corrogato, quadringentos alebant, tum nostros, tum pueros, tum aegrotos, in Collegio, seminario, & nosocomio; cumque iis trecentos alios, è plebe militum præsertim egente, & misera; nec vero illorum caritatem, vna ista exhausit beneficentia; vulgata in populum lue, ab iis statim ad opem accursum est, animosque Christianis officiis iuuandos, & quidem studio, sui aded non parco, vt Collegium quoque lues inuoluerit, & de centum, & eo pluribus collegios aegre quinque aut sex intactos omiserit. Successit morbo, deterior alius febris dira, & pestilens, inauditis affecta, & contrariis impressionibus, cum velut igni alios vreret, frigote alios congelaret, emorerentur omnibus cum pedibus manus, demumque cassis remediis omnibus interirent. Continuus igitur, & immensus labor, in subleuandis animorum, & corporum tot malis, addo quod & morbi popularis afflatus communis sex illos nobis quos dixi eripuit; inter quos dignus peculiari laude P. Melchior Nunnus, & P. Baltazar Diazus. Sed de illo nobis libri sequentis initium, & narrationis ordo, eius in Iaponiam iter, & gesta subiiciet totusque in rebus Christianorum, & Societatis per ea regna is liber versabitur: de aliis breuiter quod literæ Indicæ suggerunt indicabo.

Fuit Baltazar Diazus vir magnis dotibus ad concionandum, sed eius muneris partes primarias agebat pietas, diuinæ gloriæ studio inflammata, non eloquentia meditata concepta regulis, nec multæ literæ, quibus, si demas Thologiæ de moribus quantum sufficere poterat, leuiter fuerat aspersus. Nauiganit ad Indos ex Lusitania anno 1553. & proximè sequenti. Huic Melchior Nunnus in Iaponiam profecturus vices credidit suas in gubernatione Prouinciæ Indicæ, sed electione Paulo post collatis Patrum sententiis prudenter improbata, vitioque damnata usurpatæ præter ius potestatis; cessit vltro Nunnus illorum iudiciis, & quem ad eam admittendam obedientia impulerat; ad omittendam libenti animo modestia induxit. Deinceps igitur concionibus habendis se dedit penitus, in quibus quantus, & cuiusmodi esset docuere mox populi, & nobilitatis, concursus ad eum audiendum, quibus omnis temporum angusta esset amplitudo, cogereturque sub dio, & per hebdomadam sæpius; interdum etiam in die bis dicere: ferebatur vero eius oratio, pietatis impetu ita vehementi, vt subinde viribus lingueretur, essetque de pulpito, brachiis aliorum in cubiculum reportandus: quam porro mirabili sementis vbertimæ prouentu, vel hoc vno probetur, quod Goæ ingenti ex multitudine, vix vlla fuerit residua meretrix; aliæ maritis collocatæ; traductæ vltro in pagos aliæ, ab amansis procul, & periculo turpitudinis recidivæ: fuit inter maximè famosas formaque & diuitiis pestilentes, quæ vitæ præteritæ horrorem non ferens, è media surgeret populi concionæ, multaque cum acerbitate lachrimarum & doloris,

loris, magna voce execraretur sua probra, sponderetque Deo emendationem, quam & mox præstitit, ciuitatem egressa, multis cum aliis, quæ olim publicè sceleratam secuta, æmulatæ sunt pœnitentem. Quin & ipsis ex infidelibus erumpebant subinde qui Diazio dicente, palam sua detestarentur simulachra, & Christianis baptismo adiungi flagitarent: ex eiusdem vero familiari consuetudine haudquaquam parcius Dei cultus & animorum crescebat utilitas, erat enim omni hominum generi tam grata & accepta vt nihil non ab iis auferret, quod eorum bono fieri suauisset, tanta erat efficacia spiritus in eo loquentis, & auctoritatis qua summe venerabili pollebat. Restituta in melius per biennium Goa, censuit Quadrius Prouinciæ præses, egentissimam diuinorum, Malacam, non posse ab ullo fel cius quam à Diazio iuari; quare illum sub diem Christi resurgentis anno 1556, illuc eum misit, cum potestate procurandi res nostras in Iaponia & Moluco, quas inde propius spectaret. Carebat pridem nostris hominibus Malaca; ex quo enim lucrifames sacrilega Aluarum Ataidem transuersum egerat, ad intercludendam legationem Xauerij in Sinas, iusserat sanctus nostros omnes urbem deserere vindictæ ream quam postea luit, nec redierat dinceps in eam Societas, quamuis illac nonnulli petentes Iaponiam obiter transirent. Eò aduenit Diazus incredibili omnium voluptate; prodeuntis foras viri & pueri cerratim manus ad osculum prendere, isti Patrè sanctum vocare; rogare illi vt istis beneprecaretur, ita solitis olim cum Apostolo Indorum Xauerio, cuius amorem, & reuerentiam eius in posterum fratribus quasi hæreditate debitam conseruarant. Quæ res Diazio acres stimulos, sapienter putanti eadem se illa honoris compellatione qua quondam Xauerius à populo afficiebatur, vehementer obstringi vt illi se quam simillimum exhiberet, viuendi Sanctimonia, & agendi; etsi vel sola urbis profligatissimæ facies fat erat ad caritatem Diazij igne insolito vrendam: hæc tanquam patria communis, seu melius dixerò, nationum Orientalium commune hospitium, omnis generis sectas, omnis cæli & Soli trahebat mercatores, suorum non minus diribitores flagitiorum, quàm mercium, & mutatione incolarum perpetua damnata videbatur ad improbitatem quam nuper exuerat resumendam. Scio & lego Diazium insimulatum apud Borgiam Generalem inconfulti ex pulpito ardoris, & licentiæ in carpendis apertius vitiiis, & curatione acriori, quàm ferret eorum mollities qui malis suis lethaliibus gaudebant. Sed enim urbem tam inuerecundè facinorosam, & perditam, alius dicendi non decebat character, nisi quem amico Basilio magno Nazianzenus attribuit, cuius in consimili argumento, eloquentiam nominat, flammaram imbrem ab inhibenda vlcera, quæ scelerato vsu in grangranam ducta, nisi ferro, & igni sanabilia non essent. Vt cumque vero priuatam aliquem, iure an locus pupugerit, publico certè mirabiliter, profuit.

Fræquentissimus est & longinquus Malaca in Siamum, in Iapo

N

Iapo

79.

Conuert.
animorum
factæ à P.
Diaz. & c. u
obitus.

Iapones, & Molucenses commeatu, isque per maria tempestatibus, & ventis si alibi vsquam formidabilia, & nauigantium cladibus naufragiisque infamia, maxime vbi typhones regnant quorum violentiam explicuimus suo loco; ruebat in ea pericula cæcus hominum stupor, animo non tantum criminibus, pœnisque obnoxio sempiternis, verum etiam nouo insanix auso iram numinis proritabat, sublatis secum in easdem naues concubinis. Egit aduersus hunc stuporem è pulpito ea contentione Diazus, vt cum denique ad sui, & Dei cogitationem metumque excitaret, aboleretque tantam dementiam: ventis itaque ad vela vocantibus, tam multi ad eum mercatores, nauæ, milites confluebant, vt expiandis illorum animis, nox esset diei coniungenda. Illud singulare, summiq; ad religionis integritatem, & prouectionem momenti, quod legem ferendam persuasit qua clauderetur aditus Saracenis, potissimum vero Cascigibus ad Mahometem ethnicis inferendum. Exspirabat hæc lues hominum, multis procul ex locis Meca, Cairo, etiam Constanti-nopoli, & Lusitanorum nauibus uehebatur ignaris quam pestem ueherent quod mercatorum ornatu & specie venæna tegerent transmissique in Siamum, in Iauas, in Molucum, insinuabant se regibus ethnicis, promulgabant solennes criminum omnium condonationes; datis syn-graphis pollicebantur mira suo illo in turpi, & probroso præstanda paradiso; profeminati denique Alcoranni stabiliabant obseruationem. Queruntur, & desent literæ quæ à Patribus in Europam ex Molucensibus insulis scribebantur, partem earum præcipuam ab impiis illis Saraceno-rum Apostolis, impuro Mahometis fœdatam dogmate; eam vero nomi-ni Christiano, & Lusitanis conflatam inuidiam, vt qui eos antea legatio-nibus frequentabant ad impetrandos homines per quos à cultu fallorum Deorum perducerentur ad Christi fontem; postea induti Mahometem, armarentur ad eorum interneccionem: refert Diazus recens in Siamum appulso Casciges tam auidè à populo audito, vt hianti ore ex dicen-tibus penderent, dicerentque illorum hauriendis verbis tanquam aura cœlesti se refici & interius consecrari. Quod magno subdit pudori mihi est, quoties aliquid de diuinis scripturis audio, quibus inest re ipsa virtus vitæ æternæ. Eidem Diazio Malacam nauiganti comitem se de-dit ex iis Cascigibus qui se legitimo Mahometis sanguine iactabat, hunc nauis præfectus Baticalæ leucis Goa viginti exceperat; multo armato-rum satellitio cingebatur qui diuinis illum colebant obsequiis; Malacam autem petentis mens erat, illinc traiciendi in Borneum, vbi familiaris illius symmsta, concionum suarum cantu pestilenti amplissimam insu-lam dementauerat Mahometi, eratque in tanta veneratione, vt occur-renti Rex Sumbaia exhiberet, hoc est humum fronte tangendo cum salutarer, quod solia filijs patres, reges à clientibus exigunt: ab hoc igitur exorsus Diazus cum Præfecto sic egit Malacensi, vt promissione magnis cautionibus firmata adstringeret hominem ad relegendum ma-re in Indiam cum venti primum adspirarent. Post hæc erumpens in
sugge

suggestum, quo solebat dicendi fulmine, legem ferri expressit perpetuam ne quis Saracenus, aut Arabs, aut vndecumque Maurus, palmo ultra Malacam Lusitani vllius nauigio ferretur.

Iam contractus ibidem, & commercia negotiatorum vna lucri regebat, non conscientia amissis, & in meras fraudes dolosque descuerant: ipsimet clerici, forte iuris ignari, iniquo scenori palam dabant; quam item Diazus partem operæ suæ fecit, reductis ad æquitatem commercii, & mercatoribus ad rectam Christianamque mentem. Quod non sola pro concionibus damnatione auaritiæ affectus est, sed iuris, & rectæ explicatione, qua stans diebus æquas contrahendi tradebat regulas, quæ mercatoribus ita placuere, vt scripta conuenta ad eum deferrent expendenda, exigendaque ad iustam optati lucri moderationem: impudicitia præterea iniecit franos, Malacæ proiectus quàm totis Indiis volitanti ob deliciarum immensas illecebras, & lenitatem cœli mollioris. Ornatu femina incedebant, sic incomposito, & lasciuo, agebantque palam adeò licenter vt bacchanal perpetuum annus totus referret; & aiebant maritos ita velle, quamuis essent fortassis concubinae plures quàm vxores; quare nec sacris in ædibus nisi raro admodum comparebant, multo minus ad audiendum Dei verbum. Verum vt cœpit Diazus tonare ex pulpito & fragorem exerere minarum cœlestium, quo ciuitatem succuti oportebat dilo corporis, & animi lethargo captam, eam mox ad se traxit frequentiam quam templum non caperet; sed partiri hebdomadam diuersis cœtibus oporteret diemque vnum viris, alterum feminis, mancipiis tertium, tribui; quin & tenti podagra, membrisque aliis, ad eum audiendum, aliorum humeris ferebantur: dicendi porro argumentum, auditoris dictatis necessitas. De horrenda peccati grauitate, pœnisque illius temporariis, & æternis. Cumque ad effrænis & inueteratæ luxuriæ medicationem nihil sit aditu crebro Sacramentorum potentius suadere illa tam feliciter aggressus est, vt persuaserit, cœperintque adiri octauo quoque die, cum prius annuo Ecclesiæ præcepto rari essent qui satisfacerent. Atque hinc illico matrimonia honesta, concubinarum expulsio, Christiana cultus, habitus, oris & agendi modestia. Diuersam tamen ab hac inuit viam, ad eximendum morte, luto suo incoctum notumque concubinarium. Valebat is opibus, & subtilitate ingenij, eratque assiduus Diazij auditor, nec tamen extricabat sese à feminis quatuor suæ turpitudini mancipatis, ex dicentis ore id solum adnotans quod ingenium oblectabat: ex quo factum subinde vt etiam ex Patre quæreret de locis obscurioribus S. Pauli; & pater ignarus quid animantis esset quantoque illi potius expediret salutem in sacris paginis, quam acutas feruari expositiones, dabat quærenti operam libenter, & difficultates explanabat; quarum solutione mirè gaudens pergebat nouis Patrem occupare dum tandem admonitus cui discipulo magisterium suum commodaret, fingentem aliquando quædam S. Pauli se minus assequi, aliis eiusdem Apostoli acriter conuenit, quibus negat hominem

animalem quæ sunt Spiritus Dei percipere; interrogansque vitam cuiusmodi duceret? quales feminæ quatuor quas domi haberet? quàm indigna sentiret de Spiritu sancto, quem sibi suo in cœno putrescenti afflaturum fingeret radios ad introspectanda Apostoli arcana de quibus scitabatur. Hanc vero dissimulantis laruam, probique personam quid aliud esse nisi propriæ conscientiæ pudorem, & alienæ metum, reprehensuræ alioqui, publicè impudicum? qui Pauli occulta mysteria tam curiosè indagaret, cæcutire ad lumen naturæ ipsius docentis nihil Deum latere, non vereri homines præ Deo? verecundiæ timore non affici grauius quàm ignis æterni? Iam si tantum aueret inrelligere Pauli sensus, æquum esse ne prius animum obscurioribus fatigaret, quàm comprehendisset perspicuos & disertos; quale id quod eum spectabat tantoperè *neque fornicarij, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt.* De his ipse quid tandem sentiret? secutusque interpretari ea verba, tam appositis hominem rationibus expugnauit vt Paulus quem antea curioso solum libabat ingenio, totus in eum descenderet. Sui ergo iam non falsus inspector, suæque infelicitatis non fictè conscius, Patri se integre docilem obtulit; concubinas, eiecit, confessione vitam eluit vniuersam, & alius denique ab eo qui fuerat totus vixit. Protulit quoque se erga infideles Diazij virtus vbique frugifera. Festis de meridie per urbem incedebat, multitudinem secum puerorum trahens, palmarum ramos subinde gestantium, à quibus mysteria fidei, & præcepta legis Christianæ concinebantur modulate, quod inuentum ciues ita delectauit, vt senes ipsi ac nobiles Lusitani, clauderent illud agmen sequerenturque pueros & cantus cum iis iungerent. Sub hæc aliquo in foro, vel vbicumque commodius consistebant; illic Diazius, sermonem habebat ad ethnicos quos magno numero adlegebat cæteris vel oblectatio, vel curiositas: illic diuites Lusitani, singuli seruos quorum interdum ad centum alebant ex nationibus variis; mittebant ad Patrem audiendum, cuius tum doctrina, tum recitatione puerorum quos instituerat ad mysteria fidei explicanda, nunquam vacuum rete ducebatur, sed semper aliquid fiebat prædæ, captique mox plenius eruditi, piscationi aliorum insistebant, nec vnquam Dominicus exhibat dies baptismis solennibus vacuus. Verum huic Deus latiore spondebat in regionibus longinquis, segetem animarum, si licuisset eò proficisci. Solor insula est nono fere ad antarcticum gradu, milliariibus Malaca mille, Sandaracha diues. Hanc è regione, amplior alia respicit, tribus vix leucis ab ea seiuncta; tertiam denique vocabulo Timor, leucis quadraginta negotiatores commerciis frequentant: incolæ alij alijs ægre magis de homine retinentes, feri, sine Deo, ex leges, nisi quæ illarum maximam Casciges quatuor, ex Bengala duo, ex Calecutio, totidem, Alcoranno suo deprauarant, & in ea populum constarant Mahometo, fanumque dedicarant. Reliquarum duarum incolæ, huiusque ad eò bona pars, in religionem Christianam mire proni & cupidè illam complexuri, si ad manum fuisset à quo illam audirent. Nam

&

Lusitani quos illuc egerat Mercatura, multos passim persuaserant Christi iugum, & nominabatur Ioannes quidam Soares cum honore, qui Regem Libonamæ, vrbis primariæ cum proceribus ducentis, Christo addixerat; & siue is ipse, siue ab hoc diuersus quod certo conijci ex locitabulis non potest, nobilis inter Lusitanos miles, Regem Soloris, & Reginam, multosque eiusdem insulæ fonte abluerat Christiano, institutus præclaris initiis latius, nisi mors illa præcidisset, Regi tamen de P. Diazio, eiusque Malacæ gestis rebus existimationem reliquit magnam, foreque si posset illum accersere, aut eius ex sociis quempiam, vt non modo id regnum, sed vicina omnia Christo nomen darent. His præoccupatus iudiciis Rex pius, primis ventis Malacam mouentibus (& oriuntur Ianio & Octobri) dat ad P. Diazium literas, quibus illum orabat plurimum ne grauaretur id iter suscipere, spondebarque itineris pretium conuersionem multorum populorum; quæ cum literæ responsum aliud non tulissent, quam quod potest à religioso viro dari ex nutu obedientiæ suspensio; stare se scilicet accinctum ad iter, & Regis obsequium; tantum vt ijannuerent quorum arbitrio regebatur, se primis Goam ituris nauibus, ad eos scripturum; Rex suorum salutem, regni que proprii, quoad licuit firmaturus, ad eum Malacam ex fratre filium transmisit, optimæ indolis adolescentulum, vt imbueretur Christiana institutione, possetque redax toti regno eius magister auctorque fieri, cuius illum iam tum, quod filiis careret, designauerat successorem. Accepit iuuenem Diazium, ea significatione animi, & sensu quem personæ, causæque dignitas postulabat, & quasi eius luero staret regni vniuersi conuersio, incredibile studium in eius contulit educationem, vt reuersus ad suos populos magistrum se illis credendi exhiberet, & viuendi normam; sed aliquanto post prudenter coniciens fore vt Goæ in Seminario, maiores ederet profectus consuetudine mutua, & æmulatione iuuenum Principum, qui ab nostris ibidem in spes easdem formabantur, baptismo illustratum Laurentij nomine, Goam misit. Pergebat iuterea ardentem ab iis qui præerant, illam prouinciam ambire, & multos secum ducere socios, quibus iam tum secures institit quarere, cædendis ad fabricam arboribus; & ornatum altaris omnem ac suppellectilem ædis sacræ. Sed non tulit Malaca orbari homine tam necessario, ingenij esto non nihil austeri, at hoc etiam nomine illi vrbi optando, quæ non erat sensus ad eum vegeti vt leniori stylo moueretur, nec alium sperabat, qui eius vires adæq; impletet. Re ipsa difficile dictu est ex illa eius immota statione quantum in commune redundaret bonorum: ex iis illud iure magni habetur, quod alendos suscepit, & instituendos pueros, vel morte parentum orphanos, vel infelicitate abiectos. Crescebat ingens eorum numerus, Indi, Lusitani, hybrides, qui parentum cura, & victus quærendi præsidio arteque destituti, adigebantur ad illum quoquo tandem modo exculpendum, constabantque iam corpus sceleratissimum, & maxime insolens: bimestre nondum exierat post eius Malacam aduen-

tum, & huic operi manum ante omnia admouit, nullum aded necessarium arbitratu.

Die igitur quodam è sacro suggestu ad populum de illo egit, ea contentione, & ardore quem argumento subdebat ratio; monuitque perorans, PP. Ioannem Beira, & Nicolaum Nunnium, recentes ex Moluco, vt Goam pergerent, illic substitutos, & calamitosos pueris tùm primas literas tradituros, tùm vero potissimum Christianam qua essent victuri pietatem. Nec plura die statim consequenti ex iis domi habuit sexaginta; post paulum centum & viginti: cuiusmodi vero diligentiam adhiberet, ad eradendas primùm vitiorum sordēs quas secum attulerant; augendamque illorum emendationem, & eò promouendam, vt virtutem præferrent plusquam puerilem, breui vidit & demirata est ciuitas: obseruare fixas orandi, studendique horas, & sacra mysteria obeundi; ædes adire locupletum, & eorum mancipia Christianis præceptis informare; nonnumquam in foro ethnicos; noctibus propè singulis vrbe totam; decantandis per eam iisdem præceptis choro multiplici; ministerium famulare nosocomiis duobus impendere Lusitanorum, & indigenarum; iurantes, & licentius aliquid locutos arguere, nobiles perinde vt plebeios, quæ munera cum semel Diazius denunciaffet palam sua vice se illis committere, probabant omnes; offendebatur nemo: ludentes præterea seruare, ne in rixas, verbaque erumperent impia; irreuerentiam à templis arcere, ac si quem illic aduerterent minus modestum, minusque compositum, diuinæ præsentiae admonere sed profus admirandum, quod eorum nonnulli, cum à petulantibus, & flagitiosis, præmium liberæ reprehensionis colaphos referrent, tantum abest vt quererentur & dolerent quin imo domum alacres recurrerant, bonam illam sortem gratulaturi sibi apud Patrem: vulgo tamen erant in magna veneratione, vocabanturque Angeli Patris Diaz, & Dei nuncios; nec latet eorum quæ monitis, quæ morum candore, multos vitam mutasse in melius. Malacæ Diaz quadriennium dederat, cum Goam à Sociis ad suppetias accitus, annos illic transegit vndecim, pari semper fructu actuosissima, & feruidissima pietatis; donec ad mercedem tot annorum vocatus, octodecim maxime, quos Indorum impendebat saluti, obiit Augusti. 21. anno 1571. elatusque est celebri funere, ciuibus vniversis tanti viri iacturam lugentibus, de illius ætate tam sunt inter se diuersi qui Goa scripsere vt certi nihil ausim affirmare; nisi quod pluribus placuit ad annum sexagesimum tertium peruenisse. Sed in eo conueniant omnes, si sibi fortius imperasset, & in cohercendæ igneæ indolis quadam licentia fuisset constanter, nullis non arduis & heroicis gerendis futurum fuisse idoneum & parem.

80.
Ant. Quadrij gesta, &
Tobitus.

Superest hunc librum elaudamus Antonij Quadrij illustri memoria quem nobis annus 1572. abstulit, iactura Indorum incomparabili; vbi tredecim annos Prouincialis munere nostris præfuerat: nihil potest virtutis omni ex parte absolutæ religioso ex homine optari, qua non esset eximie

eximiè ornatus; sed præfidiis, & dotibus ad regendum tantis, vt ægrè similem inuentura sit India, maiorem neminem. Natus est patre Andrea Quadrio, nobili Lusitano, procuratore regio Santarem, quæ fuit ipsius patria, ad Tagum sita. Fratrem habuit Manuelem, Episcopum Guardia, annum ducebat vix decimum quintum cum accessit ad Societatem, & innocentem ætatum diuinis in ea obsequiis deuouit: inde anno haud amplius nono decursis cum laude excellentissimi ingenij studiis Philosophiæ naturalis, & diuinæ, quatuor vota professus est admittente Hieronymo Natali, quem gradum Ignatius tunc viuens, nisi paucis, & magno delectu ætatis maturæ, probatæque diu virtutis & doctrinæ, non consueuerat deferre: incidit ea professio in calendæ Octobris anni. 1553. quo die domus Professorum, à S. Rocco nuncupata, Vlyssipone nobis fundata est. Tam longe vero aberat Quadrius ab honoris huius expectatione, vt multo prius quam de illo audiret, palam Prouinciali Roderico paratum se sifteret, ad ministeria laici adiutoris dum viueret Societati exhibenda, quippe cui de luce scientiæ, sanguinis, opibusque naturæ reliquis, nihil erat in pretio, nisi quo possent Dei causa sperni: ex quo illa sui despicientia, quam vilissimi homuli captasse memoratur obscundis Conimbricæ vicis & compitis, cruenta suimet flagellatione, tanquam publicè pœnitentis: adornabatur per id tempus in Æthiopiam, diu expectata nostrorum missio, legebantur ad eam deducendam præstantissimi quique Lusitanæ Prouinciæ Patres; huius auctor Ignatius apud Regem Ioannem tertium; Rex apud Paulum tertium summum Ecclesiæ pastorem, qui multum laudato Ignatij studio; & Serenissimi Regis voluntate, huic annuit Ioannem Nunnium Barretum, in Æthiopiæ Patriarcham, qui frustra consumptis conatibus vt amoliretur ab se id honoris etfi grauitèr onerosi; rogauit Ignatium duos sibi adiungi, tum Apostolica virtute laborum socios; tum doctrinæ & prudentiæ merito, consulenti sibi responsuros, & arbitratos in perplexis rebus grauissimæ illius expeditionis. Horum quos indicabat Ignatio alter fuit Antonius Quadrius, qui concessu Ignatij gestiens, perinde vt Deo vocante cum aliis nouem eodem destinatis Vlyssipone soluit; & mensium quinque, ac dierum decem navigatione perpetua Goam denique attigit, Septembris decimo, anno 1555. quod autem viuus, quin & sanus & valens appelleret, hoc naui Prætoria cum eo aduecti, assignauere virtutis miraculo cum multis mensibus impensæ diu notuque ægrotis operæ fuisset id pondus cui succumbere robustissimus quisque debuisset, nedum Quadrij gracilis, & delicata constitutio. Nam solido ex die, ne punctum quidem adimere poterat ad pensum officij diuini exsoluendum; noctu atque in lateribus præstare cogebatur, tantillo spatio quod interquiescentes præbebant ægroti: totum de cætero se iis dabat, nullo discrimine famularium operarum quæcumque possunt à vilissimis serualis ægroti exsolui, concionabatur dominicis, & festis; nulla vt plurimum ad dicen-

dum.

dum comparatione præter illam quam ardor caritatis, hominibus suggerit Deo plenis; hac tamen & sibi, & auditoribus experiebatur, cumulatius se satisfacere quam si longo paratu temporis, & studio improbo dicenda eliquasset. At ne illam quidem dicendi horam, habebat sollicitudine vacuam; dum iucundè à sanis audiretur, interpellabatur ab ægrotis opem rogantibus; eratque vel intermittenda, vel abrumpenda oratio; sed eam continuabat tacens, cum è pulpito recta, humilitatis benefica munera repetebat quibus eò validius mouebat auditorem, quo dictis exempla plus valent. Miserati vectores conficientem se infatigabili actuositate, rogabant plurimum, sibi quoque vt veller consulere, viuum alioqui minimè Indias visurum; nec esse operæ quam sibi imponeret, tolerabilem grauitatem, si communibus ærumnis nauigantium iungeretur. Ad hæc ipse, aiebat, æquè se nihil metuere, nisi ne sui esset amantior, & ab hoc sui asperè tractandi seueriori more remittendo tam erat alienus vt subsidia corporis deferri sibi à viris nobilibus mæstus acciperet. Verum has qualescumque forent, quibus se vltro vexabat molestias, vincebant intimæ voluptates, quæ suspensum de cælo animum recreabant, vt est Deo solenne, gerere illorum peculiarem curam, qui pro Deo seipsum neglexerint; & susceptis absque modo ærumnis sua causa, sui amoris delicias nullo fine, ac modo rependere, præter quas fatetur aliis quoque solatiis diluta sibi fuisse tædia calamitosæ nauigationis. [Inter oræ Guineæ intoleranda fastidia, inquit scribens ad nostros Conimbricam, magno mihi Patres carissimi leuamento erat, & vestrum omnium perpes memoria, & virtus singulorum distinctè animo versata, præ omnibus tamen desiderium ardens quo flagrare vos noui multa magnaque perferendi pro Christo, & agendi, hæc mei pudorem mihi plurimum ingerebant ex nimium curia, & tenui virtutis meæ supellectili, & erubescbam tot mihi vacuas occasiones elabi meritorum, quot ærumnarum, & perpeffionum: recurrebant eæ quoque animi voluptates quibus inter vos reficiebar sapius à Deo, & consuetudinis vobiscum diuturnæ iucundissima imago; nec possum negare, me vestri desiderio abreptum vix potuisse illud inhibere; sed enim animo reputantem me Dei amore (quod vnum est, ac summum in vita solatium) vestra præsentia carere; iamque illas mihi in prospectu adstare molestias, quas tranquillo in otio multis meis votis vocaueram, fuisse me prorsus consolatione maxima delibutum. Sic mente vobiscum perpetuo habitans, experiebar tritum illud, magis animum esse vbi amat quam vbi animat; & dum in naui corpore versabar; errabam animo per vestra cubicula curiosus omnium explorator, vestram cuiusque sigillatim obedientiam, precandi tempora, humilitatem, modestiam, alacritatem pietatis, sedulo obseruans.] hæctenus Quadrius ad Conimbricenses.

Menses in India quatuor nondum exegerat, cum à Patribus Goæ congregatis in Prouincialis locum suffectus est annis iunior; virtute & pruden

prudencia senex ; cuius etiam nonnulla Conimbricæ experimenta ediderat, constitutiones explicans, ab Hieronymo Natali vniuersa prope Societate promulgatas, ex cuius ipse disciplina, germanam illarum sententiam hauserat. Visa est homini iuueni hæc inopinata sui electio, tam longè ab omni officio abesse, vt abhorreret ab ea cogitanda, multo minus probanda ; quin & litis etiam aliquid super ea moueret. Quoad videns se frustra contendere, cessit denique, sed hac lege, vt se Deo & Virgini matri audientibus cunctis voto obstringeret abdicaturum se id munus, & cuius alteri cessurum, si se illi ferendo minus parem, cuiusquam iudicio moneretur : etsi nisi ad tempus aliquod supplemento sibi mandatum aduerteret. Nono enim post mense aduenit ex Europa Gonzalus Sylueria, Prouinciæ Indicæ ab S. Ignatio præfectus quo ipse onere defunctus illud in Quadrij humeros reuoluit, nec valuit deinceps Quadrius tredecim per annos à Præpositis duobus Lainio & Borgia vilis aut precibus, aut rationibus extorquere, vt eo se vellent absolvere ; nimirum vnâ aut alterâ qua Romam quotannis illos interpellabat epistolam, obliterabant centum aliâ ab iis missâ qui ei suberant, quibus obtestabantur Præpositos, ne si per Indiam, rem Societatis saluam vellent, de amouendo à gubernatione Quadrio cogitarent. Nunnius Patriarcha laudationem eius bene longam ad Lainium Generalem concludit hac assertione, tantis ad regendum præditum dotibus nec vsquam in India, nec in Lusitania vllum esse, dempto forte Doctore Turriano, subditque ad liberandam scrupulo conscientiam, compellendum esse quamdiu foret in viuis ad regendum. Iam si æquum censetur hæc à me probari distinctiori virtutum explicatione quæ illum tantopere in gubernandi munere commendarunt, fidiorem nullam inuenero quam epistola comprehensam, haud quidem iis prolixiori quas multas eiusdem argumenti dedere qui annis compluribus eum obseruarant ; sed quæ plus ponderis accipit ab auctore ; est enim is Pater Melchior Carnerus Episcopus qui ex officio Generalem docturus, quicquid boni, aut secus in Quadrio notasset, summa fide vtrumque præstitit. Ego, inquit, semper illum animaduerti in vocationis proposito firmum, & magnos gerentem spiritus ad ea quæ Dei gloriam spectarent, seu cum nostris forent siue cum extraneis tractanda, nullo cuiusquam, ne principum quidem discrimine, cuius animi excelsi & magnitudinis, multis magnisque occasionibus in India specimen edidit : habet præterea cœlitus hoc donum vt diligatur ab omnibus ; metuatur vero ab iis tantum, qui Societatis genuino spiritu non ducuntur : intimè Deo coniunctus est mihi que priuatim certò constat, Deum familiaritatis suæ delitiis, sæpe illius animum dignari ; Precationi maximè addictus ; iuuandis attamen proximis punctum temporis haudquaquam detrahit ; verba facit ad populum ; confitentes audit ; sibi, suoque affectui, partem prorsus nullam sui officij tribuit. Magnus sui contemptor, & ab iis alienissimus, quæcumque subolent aliquid vanitatis : cumque mentis perspicacitate, &

prudencia singulari plurimum valeat, sibi tamen diffusus, aliorum iudiciis facile acquiescit; quamuis dono consilij abundet eximio, & in discernendis animi motibus sagacitate mirabili. De ingenio & doctrina quod addam famæ non suppetit; notum est olim Comibricensi in Academia excelluisse præ omnibus & cum tanta rerum humanarum, & diuinarum perspicacia simplicitatem miram copulauit. Paternum planè suis animum exhibet; grauitatem vero non aliam nisi qua opus est ad exigendam obedientiam, nequaquam tamen pronus est ad iubendum: ad nauos eiusdem quod attinet, hoc possum ex veris affirmare; nullam inuenio in eo causam, nisi forte illa cum sibi subiectis profusa fuisset communicatio, interdum possit videri nimia; sed ego neque hanc reprehendo, quòd cum sit verborum parcissimus, & multis virtutibus locuples, eò quisque vberius proficit quo diutius cum illo agit.] Huc vsque Carneri epistola, & quidem etiam in laudibus parca.

Nam illa cum Deo familiaritas eiusmodi fuit, vt existens in Lusitania vbi nondum audita fuerant Constitutiones, sæpe horas octo vel diu, vel noctu poneret meditando: mente vero exinde ad eò collecta incederet vt videretur continuò in rerum cœlestium cogitatione habitare. Sui bono publico seruandi tam fuit negligens vt accersendum Roma præpositi fuerit mandatum, quòd metas vexandi corporis feruori eius præfigeret; iuberetque labores extenuitate valetudinis metiri. Nam Prouinciæ dum præesset, aures confitentibus dabat quam plurimis, præsertim ex nobilitate; dicebat ad populum ea naturæ facultate, pietatisque sensu vt æqualem haberet neminem. Theologiam & artes publicè docebat, accedebant subinde responsa de conscientia dubiis quæ multa illic necessario occurrunt, in communibus regni, & priuatis mercatorum negotiis, perplexa nec facile extricabilia. Porro hæc munia complectebatur accuratione tam acri singula, vt si nihil haberet agendum præterea; ita se cuique commodabat, velut esset ad quauis alia ineptus; & inops temporis. Erat tunc Prouinciæ gubernatio valde operosa & lubrica; quod ait ipsemet, ex trienni mutatione Proregum extitisse, cum quibus tota vertebatur scena, ac velut alter se prodebat mundus, & si alias vsquam solerti prudentia opus erat, vt nauigaretur citra periculum, maximè si venti reflarent inimici; quales expertus est in Ludouico Ataide Prorege, iurato Societatis hoste: ad hæc multæ quæ nunc à nobis illic distinctæ sunt vnam efficiebant Prouinciam, Goam, Malabares, & Iapones complexam, hoc est Ormuzio ad vsque vltimum Orientem; inde ab austro ad Molucum. Quare ob diuersa, nec raro pugnantia locorum, & nationum ingenia, mansueta, barbara, Christo infensa, & Christum edocta, Prouincialium multorum sapientia, moderatione vigilantia, Prouincialem vnum præditum esse oportebat. In constituendis rebus hoc animaduersum singulare; valde difficiles decreuisse adeò fidenter vt si forent maximè faciles; faciliores contra cunctanter adeo vt si forent summæ difficiles, Similiter coram & in oculis sita, perinde seruatuna

tatum, velut essent semota orbe toto; de longuis perinde statuisse, velut illa in conspectu haberet. Verum hic in hominis capite tertius prudentiæ oculus cum de rebus certius decernat, si assessores adiungat corporis oculos, orbis eius tractus quos excolebant nostri, per se ipse omnes adire, & cognoscere voluit, vt breui saltem experimento incommoda disceret quæ sui annis integris perferrent; subiretque illorum discriminum aliquod quibus nunquam non periclitabantur; redux autem fingendis eorum molestiis ad miserendum non egeret; nec diuinandis ad eas leuamento idoneo leniendas. Qua responsione, Archiepiscopo Goano Proregi, & populo auertentibus ab eo itinere, satisfecit: ergo tabe laborans lenta, quæ febri languida eum absunebat, immensis illis & ancipitibus itineribus se commisit, illasque tantopere formidatas nauigationes, quas vltro quidem & cupidè nostri suscipiunt, verum ad subdendas Euangelio Christi prouincias, & regna; glorioso, etiam hominum æstimatione, consilio; ipse hoc solum paucos illos quos passim, & procul curæ suæ habebat cõcreditos vt inspiceret, & nosset penitius suauisq; ac tutius regeret; illas, inquam, suscepit easdem nauigationes, ratione omni valetudinis, & vitæ posthabita. In quo illud profecto cumulatissimè reddidit quod de se Lainio Genelali anno 1591. pollicitus fuerat. [Ego, aiebat, puer annorum quindecim, Societatem ingressus sum, decimum octauum in ea nunc ago, nec mihi vsquam alibi aut pater, aut mater, est; sed neque alius nisi erga Societatem amor; eius obsequiis quamdiu spirabo inseruiam, quò beneficiis vtcumque respondeam, quæ per eam à Deo accepit.] Quod fide præstitit tam religiosa, vt morti proximus, vites collegerit ad scribendas Francisco Borgiæ tunc Præposito literas, quibus suum illum erga Societatem profitebatur famulatum, ne prius illo quam vita cederet.

Dicendum vltimo, quod tantoperè contulit ad faustam eius gubernationem, haudquaquam ex vna extitisse inferiorum cauta dispensatione; vel moderatione potestatis, in vtilitates illorum, proprias & communes intentæ; verum ex eo, quo prius nihil habuit, vt suis ipsemet agendi regula fieret, & expressione omnium virtutum Constitutiones tacitus interpretaretur, quas & verbis explicuerat priuatus; & nostris Præfectus, iussus erat in vsum inducere; usque illam prope adhuc nouitiam, & informem Prouinciam perfecit: præire ipse ad ægros in nosocomia; ad pueros docendos in compita; ad despectiones captandas in publicum: pone secum nostros iuuenes trahere, & ex Prouinciis Europæ novos, quasi adhuc ad mammam infantes, succo eius augendos, donec integè formarentur. Prouectiores vero, & rem Christi gerendam ex officio sortitos prouocare re ipsa ad imitationem sui labore sollicito & ardenti quo se semper in omnia profudit quæ possent ad pietatem fidelium prodessè; & conuersionem cæterorum. Huic certè debetur Christianitas Amboini tam feliciter instaurata, quàm misere fuerat à Mauris euerfa; huic animarum millia tam multa quæ aureo illo Constantini

Proregis triennio, Goæ ac vicinis circum ex insulis accessere, & si Quadrius viuens similes Constantino nactus esset Proreges, Orientis illius Ecclesia fines suos immensum protulisset. Illum certe sibi omnes volebant, à confessionibus alij, alij, à consiliis ad expediendas difficultates conscientia impediores; ille quoad fas erat, refugiebat similibus ambiguae aleæ occupari, ne periculo proprio, alieno caueret. Vbi vero Rex Sebastianus Goæ Senatum quendam instituisset Sapientum anno 1570. qui tribus per hebdomadam cogebatur diebus, & ab tractandis argumentis Mensa conscientia regiae dicebatur, duos in illum nominatim adiecit, qui ius in eo suffragij haberent, Archiepiscopum, & P. Quadrium, sed in hoc & alio quouis negotio rogatus, ea libertate, ac fide dicebat sententiam ut veri vnus, & iusti duceret rationem, quamcumque tandem à Prorege aut alio quolibet in partem, acceptum iri prospiceret: in quo illum hæc item efficiebat causa firmiorem, quod eius ferè iudicio velut ultimo pondere, reliqui ad negandum, vel assentiendum trahebantur; ac fuit cum forma contractus proponeretur examini à Prorege, inuenti magis ingeniosi quam solidi, sed eius in fiscum regium compendij ut aurei ex eo annui centies mille sperarentur, placuerat cæteris contrahendi modus, nec quicquam aduerterant quod cum recto, & iusto pugnaret. Quadrius audenter in oppositum dixit, fraudemque ita explicuit speciosis occultam inuolucris, ut omnes sententiam mutarent, diffilareturque illa omnis nimium subtilis negotiatio.

Egit Quadrius inter Indos ab anno quinto & quinquagesimo, ad sæculi eiusdem septuagesimum alterum, & vitæ supremum, per labores fructuosissimos, constanter exactæ, factumque Deo annuente, ut Collegio Goano ubi vitæ sanctimoniam tot annos docuerat, sanctè pariter moriendi, exempla relinqueret: dum enim parat in diem posterum nauim conscendere, ut Cocini Leucis ab Goa centum, nascentes sedaret ab duobus inquietis turbas, Febri sistitur tertiana, eò solum minimè spernenda, quod corpus adeo viribus accisum, & debile, pulsu quouis prosterni facile poterat, auxitque hunc metum, quod is ad primum morbi sensum tanquam mortis vicinæ nuntium, adornare se ad excipendam illam cœpit: moxque vitam omnem confessione sacra retexuit, eo motu doloris, & lachrimarum vi quam auditi quoque extra cubiculum prodebant singultus, etsi erat notæ apud omnes integritatis, & innocentia, sui adeo potens, nullis ut casibus etsi grauissimis, & repentinis turbaretur; tanti vero aduersus impugnationes scelestas roboris, quanto sanè in eo quod sequitur eguit. Prouincialis munus dum gereret, ab impudica accitur femina quæ morbi simulatione mentiebatur velle de peccatis audiri; at is sollicitantem procaciter cum nullis monitis ab infami sacrilegio deterreret, quin è contrario illa minaretur, sibi obstare si pergeret exclamaturam se & contestaturam de attentata vi; has inter angustias furiosi amoris & odij ab nequissima bestia conclusus, familiarem conspicatur ad lectum sellam, eius trullæ apertæ ambas

bas alrè immergit manus, & graueolenti fluentes ceromate per frontem & faciem liberaliter ducit, quam cum impudens Phædra iis infucatam pigmentis adspexit propius, & hausit naribus; exhorruit scilicet, & execrata iam, spretum ab se inuisumque dimisit. Post ratiunculas igitur animi totius Deo per confessionē probatas, à medico petiit vt qui sibi fuisset peramicus, non minus fidelis esse vellet, sed moneret de instanti morte cum prima eius notaret indicia, nec consternandum nuntio timeret, Dei enim confisum bonitate qui se annos triginta in Societate custodisset, mortem haudquaquam metuere. Quinto morbi die extra modum frigans, pulluque arteriæ prope destitutus, sacrum poposcit sumpsitque viaticum, & nostros patris oprimi discessum multo fletu dolentes, ore admodum tranquillo, & salutis fiducia erectus Christi Domini verbis compellauit. *Si diligereis me gauderetis vrique quia vado ad patrem* quibus certò abire se indicans, eorum lacrimas vehementer auxit: dies inde duodecim totos quibus superfuit, vitam Patris tam omnibus cari, & necessarij, à Deo, supplex Collegium afflictatione varia, & precibus flagitabat; quaterni semper coram augustissimo Sacramento mutatis vicibus dies & noctes orando transigebant; adibant quidam peregrinando loca illius insulæ, pietatis cultu peculiari conspicua; nostrorum votis, iunxere sua patres sancti Dominici & S. Francisci, ac solennibus Sacrificiorum, pœnisque spontaneis vitam eius, & valetudinem nisi sunt à Deo impetrare: fuit quin etiam pater familias, qui dies omnes quibus iacuit ægrotus, seuerè cum omni familia ieiunauit. Sed enim Deo eius anima placebat, nec sustinebat ei vltius meritorum præmia differre. Die igitur oblata in templo Deiparæ sacra munitus vnctione; tranquillus, & timoris expers, crebris in beata crucifixi vulnere defixus osculis feliciter obiit anno ætatis quinto, & quadragesimo exeunte. Cohonestarunt exequias funeris die proximè sequenti Archiepiscopus, ex religiosis Ordinibus complures, multa cum nobilitate, & populo; seorsim postmodum instaurauit illi iusta scænebria canonicorum Collegium; & cunctis promiscuè ad manuum osculum certatim currentibus, animaduersum est iuuenes solutæ palam licentiæ, exosculatos manum illius reuerenter, singularem inde pœnitudinis sensum retulisse. Denique tacendum non arbitror quod concionator è sancti Dominici ordine laudationi inseruit, qua suo in templo serui Dei merita celebrabat; non defuturos fortassis aliquos qui desiderarent in eo miracula vt nomen illi tribuerent Sanctitatis; sibi vero grande videri miraculum, quod in tanta regionum illarum corruptela, tot annos stetisset in constanti cultu heroicæ virtutis; perpetuusque in negotiis publicis, nullius querimonias incurrisset. Addo & aliud æque mirabile, quòd Prouinciæ quam rexit per annos tredecim, religiosam disciplinam teneri satagens illibatam; suorum nihilominus adèd teneram retinuerit beneuolentiam, vt acerbo dolore & diuturnis lachrimis profecuti sint illius discessum.



ASIATICÆ
HISTORIÆ
SOCIETATIS IESV.

LIBER OCTAVVS.

I.
Gagus
Alcaceua
& Sylua
in Iapone
appellunt.

Nterea temporis Christianus in Iaponia grex quem anno 1555. discedens Xauerius, tenuem adhuc reliquerat, creuit lento accessu fidelium, & pastorum; sed qui excellentia virtutis, eximie pensaret numeri sui paritatem. Raro enim centeni (vt saepe in India) baptismo tingebantur; sed qui semel Christo fidem obstrinxerant, perstabant in ea ita immobiles, tantis eam animis propugnabant, vt teste Xauerio; quot erant pace Christiani, tot essent bello futuri martyres, si quis bellum mouisset tyrannus. Sedenim prudenti coniectura cernebat vir sanctus subiugatis Christo Sinenfibus; secuturos vltro exemplum Iapones, trahendosque auide auctoritatis illorum pondere quos reuerentur suorum magistros sacrorum certissimos; erat alioqui retro curas versurus; & Meaco Iaponum metropoli progressus, regna illorum octo & septuaginta, Euangelij sementē ditaturus. Ergo deliberata vt diximus expeditione ad conuersionem Sinenfis imperij; tres sibi substituit, viros strenuissimæ operæ, Baltazarem Gagum sacerdotem, cum Odoardo Sylua, & Petro Alcaceua quos Malaca in Iaponiam misit: ij cum primo appulsu venissent Cangoximam, octiduo post applicuere Bungum, quinto Idus Septembris anno 1552. inuisitata Rex beneuolentia accepit aduentes, & quæ à Prorege Alphonso Noronia munera obtulere. Nec diu latuit eorum aduentus P. Cosmum Turrianum, Amanguccio Ioannem Fernandum statim misit qui suo nomine illos salutaret. Fuerant Turrianus & Fernandes Xauerio, ex India in Iaponiam comites, iisque profecturus Christianitatem illam cuius ipse miserat fundamenta, promouendā mandarāt, quod curauit vterque gnauiter, parentis optimi spiritu, vitam eorum, & operam vberit̃ animante. Post hæc Baltazar Regem Fernande interprete conuenit, causamque explicuit cur esset ab eo illuc destinatus; eiusque nomine rogauit,

rogauit, eadem se vellet dignari facultate, quam Amanguccij eius frater Cosmo amplissimam fecerat erudiendi populos ad salutem, diuinæ legis promulgatione. Audito Rex Xauerij nomine, quem intimè amabat, celeriter ad eò petenti annuit, vt nocte eadem vrbe tota, præconis voce edici mandaret, se cuius suorum impertiri suscipiendæ legis Christianæ liberam potestatem; ac ne quis auderet Patribus nocere, Bonzium, nobilis, plebeius, & gradus demum cuiuscumque is foret, aut iis obstare in lege promulganda quæ sanctos efficeret (sicillam nominabat) addebatque animo infixum penitus hæere quem ei Xauerius discedens indiderat ardorem videndi suas non modo ditiones, sed omnem omnino Iaponiam veritatis splendore coruscantem, quam Patres haudquaquam occiduo ex orbe, sed cælo ex ipso in Orientem attulissent. Verum Gago satius visum est lentè festinare nec se Bonziorum contentionibus ante committere, quàm à Turriano viro sapiente, & longa docto experientia rescisset, quem sibi modum in re Christi gerenda suaderet, tutiusque censeret ac felicius processurum: quare Bango cum socijs Amanguccium est profectus, quod iter leucarum quinquaginta vt securius conficeret, familiari aulico Rex pro singulari sua beneuolentia deducendum, & custodiendum credit.

Censebat Ecclesia Amanguccensis Christianos vix plures bis mille, angusto fereor numero inter familiarum vndecim millia, ex quibus, ciuitas constabat; sed eos tam solidæ fidei, & hæroicæ virtutis, vt videre se Gagus putaret cœnobitas non abstractos modo à rebus caducis; sed magni animi comparatione, pro Christo mori promptos, & cupidos; quin & sibi, suisque iam mortuos; & à parentum (si auitis adhuc ritibus inhæsisset) fratrumque consuetudine alienos, vt si nulla inter se communiōe sanguinis, & naturæ vinculo neçerentur. E contrario nobiles cum plebeijs tam arctè iunxerant nodi mutuæ caritatis, vt domus vnus germanos vno patre prognatos diceres. Erant in iis ex aula non pauci, & quod in feroci & superba gente prodigiosum est, ad pia misericordiæ, & humilitatis officia, tam proni & alacres vt ea sibi honori ducerent. Ter quaterue in mense dabant pauperibus epulum, studio quidem leuandæ illorum egestatis, sed multo propensius ministerio in eos vili se abiiciendi; conueniebant ad Patres quotidie, quàm multos domus capere poterat, vt aliquid de diuinis audirent, interdum conciones; subinde sibi à Xauerio scripta, & tradita, de rebus fidei, de Christo, de orbe condito, & sex illius ab Adamo ad redemptorem ætatibus: Sub quæ ad genua Cosmo accidentes, post difficultates conscientæ distinctè illi expositas, referebat quisque ab illo præsidia quibus aduersus illas se muniret, ac si quem noscent Christianum à recto, & bono exerrare, ex eo scitabantur qui possent in viam errantem reuocare. Pridie festorum solennium noctes cum Patribus orando audiendisque de Deo sermonibus vigilabant. Verba quoque ad ethnicos, nec frustra faciebant; maximè nobiles, quorum auctoritas magni ponderis apud plebem,

2.
Status Ec-
clesiæ A-
manguccij.

plebem, multorum saluti proderat, quibus vero facultas suppetebat alij exscribendis, vertendis alij, caractere & lingua vernacula occupari, quæ ab ethnicis lecta, cognitionem veri Dei, & inanitatem falsorum iis suaderent, in quo etiam Ioanni Fernandez magno vsui fuere. Hic & habilitate ingenij, & longo ac sudato labore linguæ Iaponicæ peritissimus euaserat, & audiebatur dicens ad populum tam expeditè, & propriè vt sui moueret admirationem, & eius vrbis videretur ciuis. Nam alioqui adedò teretes, & delicatæ sunt Iaponum aures, vt vocem aut minus idoneam, aut crassiuscule prolatam, sine ioco, & risu in externis non ferant. Nec vocales scribendo nec consonantes habent ex quibus verba componimus, sed suo cuique scribendo vocabulo sua est nota singularis. Imò notis vtuntur duplicis generis, harum aliæ simpliciores, claræ, & vulgo communes; aliæ significatus ambigui, & intelligentiæ solis doctoribus peruiæ, ob diuersitatem multarum rerum quas significant singulæ, exemplo sit vna, quæ animam simul notabit & dæmonem, quod ex duabus simplicibus, duo hæc significantibus in vnam implexa sit figuram. Alia simplex, & plebeia, vulgique propria, quæ animam tantum legenti indicabit. Prioribus igitur quæ significatum habent ancipitem; quid significare auctor voluerit, doctorum artis est diuinare, suntque huius artis, & intelligentiæ in academiis publicis magistri. Quodd autem horum caracterum, neutri ductu formentur linearum quibus nostros exprimant caracteres, nec possint proinde quædam ex nostris vocabula scribere, cum nullum ipsi vocabulum habeant quod à nobis commodè non scribatur; idcirco Fernandez nouas excogitauit sculpsitque literas, seu aptius appellem notas quibus voces representaret ferme quinquaginta, ad intelligenda, & vulganda, efferendaque inter Iaponios fidei dogmata pernecessarias; ad hoc plurimum adhibuit hominem quem Cosmus ab ethnicis ad Christianos transcripserat, vir fuit media ætate; acutissimo ingenio, & qui diu principes Iaponiæ Academiis triuerat; professione Bonzius; etsi reipsa nec Bonzius, nec vllius sectarum discipulus quæ magno numero religionem Iaponum scindunt, huc enim ratiocinando pertigerat vt perspicuè cerne- ret, nulli earum Veri umbram, aut probabilis inesse. Nominatim vero ab iis de Deo confingi multa, & contentionibus iactari quæ cum hominis sensu ratione compotis pugnarent; sic iis quæ norat haud satis credulus; & ignorans quibus credi oporteret, infidelitatis malo vtum- que liber, bono tamen fidei carebat. Posteaquam vero Amanguccij sua in patria Christianos vidit quales modo fuisse descripsimus, vitamque illorum inculpatam, & piis operibus feruidam, cum impura, & turpi Bonziorum vita conferre cœpit, quantumque ab ea discrepatet, accuratius obseruauit, confecit in dies certius hanc esse quam deceret ab homine ratione prædito teneri, eiusque præstantia iam captus, quæsiuit qui sibi conciliaret ad Patres aditum; amplius de illa interrogaturus; & domi commodum viæ quem optabat indicem inuenit, vxor Cosmo docente

docente Christianam professa marito dux ad illum extitit, ubi aliquot dies grauiſſimis quibusque fidei arcanis ex eo dilucide perceptis, ut erat ingenio excellens, iamque ſuis ab erroribus antiquis libero, veritati non ægrè manus dedit; nec eam ſerius quàm poſtquam cognouerat eſt amplexus, & tùm ſua ingenti tum Chriſtianorum lætitia, initiatus ſacro Baptiſmate, cœpit mox Euangelij præconem agere. Imprimis tamen quicquid male partum, vendendis populo, Bonziorum more, fabulis poſſidebat abiecit; conducta deince ad Patrum ædes domuncula, opificij vilis innocenti lucro affatim diues viſitauit, paruo egens paruoque contentus quod vitam ageret ieiuniis, & aſperitate dura exercitam, nihilque corpori indulgentem, cuius haud minus ſanctimonia, quam efficacia verborum, diſcuſſit complurium cæcitatem, eoſque ab idolis ad Chriſtum quem deprædicabat perpetuo, conuertit. Noctem poſt pauca ad quietem horas, æternorum partim meditatione exigebar; Dei maximè diuinarumque eius opum; partim reddendis Iaponum ſermone cultiſſimo Chriſtianæ fidei documentis, iuandoque Fernande in delineandis quos indicauiſſimus paulo ante characteribus nouis, & vocabulorum emendatione, Rem quoque Chriſtianam famoſus ethnicus Amanguccij plurimum promouit, Senex erat annorum octoginta, ſtirpe nobilis, & caſtri Dominus, ſimulachris à puero eo uſque addiſtus ut ad ea proſtratus plus quotidie centies oraret, & ponendis humi aſſiduè de more manibus ad fulciendum corpus, calloſis cruſtis palmas totas duraret. Reſpexit tandem clementiſſimus Deus ſenem, quem vna reum ignorantia fecerat, ut ſuæ ſuperſtitionis execratione ſubita, & conſtanti patefecit, cum primum ex Patribus de vero Deo, & Chriſto cognouit. Sacro fonte renatum inconſolabilis urebat dolor, nullo ſine ac modo lacrimarum inſpectabat crebro calloſas manus, earumque velut admonitu repetebat animo tot annos tam laborioſè, ſed fruſtra proiectos; iugebatque potiſſimum vitam ſibi deeſſe qua poſſet tantundem pro Deo præſtare, quantum à Bonziis deceptus, pro dæmonibus præſtitiffet. Vnum, quo ſolo conſolabatur mœrorem ſuum, id agebat, ut quod erat ſibi de vita reſiduum aded auarè quaſtuofèque occuparet, ac ſi eſſet annorum octoginta iacturam, breui eo tempore penſaturus, Chriſtianæ doctrinæ apographum ſua manu accuratiſſimum deſcripſit: conſtruxit in caſtro ſuo ſacram ædem; & ab ſuis exorſus, familiam omnem Chriſtianis ſubiecit inſtitutis, eademque ſuis annuntiauit clientibus nec maiora, & plura molienti aliud defuit præter tempus. Alienorum pagus eſt, Amanguccio leuca diſtans, proſectus eſt Coſmus & concionatus ad populum incolis tantum ſexaginta Chriſtum perſuaſit; ſed miſit erudiendis cæteris vice ſua iuuenem planè Sanctum Laurentium nomine, natione Iaponem, qui habitu laico degebat inter noſtros, cæterum religioſæ regulæ, ac votorum obſeruantiffimus. Redibat hic paucis quibusque diebus ſua cum præda domum, tunc decem, modo duodecim incolarum, ut iis perſiciendis manum vltimam adhiberent

Patres, & sacro illos baptismo lustrarent; nec cessauit prius optimus iuuenis quam trecentos ad Christum perduxisset. Memoranturque de iis mira; præsertim agricolæ rudes, & pauperes cum essent, de Deo tam multa & æternis sciuisse, tam sublimi de iis locutos stylo, vt peculiari spiritus illius magisterio docti viderentur qui se simplicibus & puris mentibus largius infundit. Suum quin etiam Bonzium quem olim tanquam oraculum suspensi audierant, prouocatione importuna ad disputandum compulerè, & damnare ignorantia tam palam, vt relicta domo, probri dedecus voluntario exilio fugeret, fixis in commune diebus conueniebant ad publicas preces, simul diuina mysteria ne mente exciderent repetebant, mutuaque adhortatione stabiliabant suam in sanctis operibus, & Christi fide perseverantiam.

3.
Regē Bung.
rebell. suis
Deus seru.

Hoc statu minime pœnitendo sustinebat sese Ecclesia Amanguccien-
sis Cosmo illam viribus omnibus fulciete cum illius regni (de qua
narrandum est) rebellionē subita repente concidit. Hæsit cum Cosmo
Gagus ad februarium anni tertij & quinquagesimi, audiuitque ex eo
modum collocandæ fructu quam maximo operæ: reuertens inde cum
Fernande, & Alcaceua Funaium venit; vnde hic statim repetiit Indias ad
operarios conscribendos qui messes illic iam latè flauentes colligerent,
Christianos esse Cangoximæ, deesse à quibus conseruari, nedum auge-
ri numero valerent; Firandum nostros expetere, regemque illius ma-
gnam spem facere suscipiendi sacra Christiana. Amanguccio & Bungo
quod messes tam parçæ prouenirent, messorum penuria fieri. Proinde
accurrerent ad opem quamplurimi; nusquam fore laborem fructu, &
pretio maiorem; nec stillam sudoris, ex qua vt minimum salus animæ
vnius non surgeret, iungebant Patrum votis suas item preces, & desi-
deria tres Iaponiæ Principes, datis ad Indiæ Proregem per certos nuntios
literis, quibus illi suis in portibus anchorarium deferebant immune ac
liberum; eius dumtaxat honorariam mercedem, Societatis Patres ad se
mitti rogabant, qui religionis veræ lucem regnis suis illatam diffunde-
rent, ibat Funaius Alcaceua perferendis mandatis lætus & alacer Firandi
nauim ad Indos conscensurus; cum repente exorta seditio, suo cum
Regno ipsum regem, & cum illo Patres tantum non obruit. Fatorindonus,
Enuacatondonus, & Hicimandonus, (sic sunt vice prænominum
Iaponum nomina; in quibus dominum, posteriores duæ syllabæ *Donus*
significant; priores regnum, dinastiam siue quid aliud cuius sint Domini;
vt Arimandonus, Arimæ Dominum, Omurandonus Omuræ idem-
que in cæteris) tres illi armis & factionibus potentes aggressi sunt Re-
gem cui erant offensi de medio tollere; stabant suum quisque ad pala-
tium cum armatis sequacibus expediti, aderat cuique magna vis populi,
& nobilitatis ad nutum arrecta; fremebat scilla in partes ciuitas;
Rex, vt nouis rebus & subitis, anceps & dubius cui se crederet, vehem-
entissime capiti metuebat. Christiani quidem paulo prius, aduentum
Patrum sibi magnopere gratulati, ad eos conueniunt, spondent se in tu-
rum

tum extra urbem ducturos; etiam atque etiam maturè confulerent, urbem mox ferro flammisque vastandam. At hic nostri rem indignam putarunt, amantissimo Principi, & Christianorum spes magnas alenti, consolatione aliqua deesse, cum auxilio non possent. Fernandes Iaponicè eloquens, & populo gratus, animosè in aulam se penetrat; subire tamen in conclavia regia non potest, aded erant nobilibus conferta omnia; amicis an secus incertum, sed egregiè armatis, conspicatus hunc alicunde Rex, accersit; admissio interius, penetrans recessus ianuam Rex ipse illi aperit; agitque pro conditione temporis cum illo breviter. Fernandes, ut præsens poscebat necessitas, vehementer suavit, vitam, regnum, spesque omnes suas in Deo reponeret, cuius tantopere optarat Sacrosanctam legem suis populis nunciari. Ad hæc illi suas & P. Gagi preces ac vota detulit dum eius periculi turbo integrè defuisset. Rex illorum affectum & obsequium complexus, nulla spe magis quam illis precibus se confidere respondit; sibi decumano supremi discriminis in articulo pendenti, nihil esse nisi cœlitus expectandum; vnum suis rebus in præceptis ruentibus Deum posse manus supponere, illasque erigere; hoc si præstare dignaretur, fore se illi ac Patribus, regni, & vitæ debitorem. Regressus domum Fernandes promissis fideliter cum P. Gago stetit, incubuere ambo assiduis precibus, nec prius orando abstinere quam detumisset furor populi vacillantis, & ambigentis quò rueret. Regem enim Deus æterno absque consilio religionis veræ destinationi destinatum (cuius explicandæ sua recurret occasio tunc prorsus miraculo seruauit incolumem; commutatione momento facta, & vice improuisa, nobilium animi, omnisque populus, mentem vnâ, manumque induere; in regis obsequium colligatis studiis coire; poscere ad necem magnis vocibus proditores; & explicatis ordinibus, strictisque gladiis pro rege stare, suafore quod quidem sciatur præter bonum genium nemine, Quibus exanimata coniuratorum factio, armisque sequacium destituta, nudum latus vindictæ præbuit. Mos est Iaponibus ut viris principibus proditoris in regem suum, aut aperti belli manifeste reis, in diem certum Rex mortem indicat; sinat interea liberos, & incustoditos inambulare quacumque libuerit; velut dedecet potentiam principis metum fugæ ipsorum carcere aut vinculis testari: denuntiata morte reus, si grandi animo sit, rogat suis manibus liceat eam optetere; quam apud eos gratiam singularem, à rege si obtinet, superbo vestitu, & cultu magnifico eo die ornatur; quicquid amicorum & agnatorum est, ad conuiuium adhibet, interque medias epulas in omnium oculis, proprio gladio & manu, decussatis cæsuris sibi ventrem secat, vnaque vitam, & infamiam extinguit: putat enim superba natio, & generositatis ambitu insana, illa sui cæde, præsertim ut solet tranquilla, & frigida; nec dolorem aut metum colore aut gemitu professa tantam gloriam acquiri, ut contracti dedecoris notam omnem abstergat, demortui nomen proditoris infamia absolutum, magnitudine animi, com-

mendet posteris; bona, & filios ab omni patrum criminis contagione securos præstet: at si volet Princeps aliena manu reum occumbere, quam multos potest ex propinquis, & seruis, maximè filios domi fortiter accingit ad defensionem aduersus iustitiæ regni administratos cum manu valida militum adfuturos, ne tam reus quam hostis pugnando moriatur. In ære domus, & quicquid aut rerum aut hominum in ea fuerit, subiectis ignibus in cinerem agitur. His vero tribus de quibus narramus negatum est morte nobilium sua manu perire, expugnatos, & victos iniectum incendiū consumpsit. Quod in eorum palatia dum noctu grassatur vento flammam in proxima, inde in alia portante restingui ante non valuit quàm domus trecentæ conflagrasset, damno in Iaponia proeliui, quæ domos nisi ligneas non habet. Verum illa media in clade, casu an miraculo? stetit domus, nec flammarum vim sensit, in qua Patres quod adhuc Funaj sacra æde carerent, supellectilem altaris, & sacrificij asseruandam apud feruidum Christianum soliti erant deponere, quod regem cum minimè lateret, putaretque illam cum domibus regionis eiusdem redactam in cineres, ante lucem ad Patres legauit nobilem, per quem illos in partem suam vocabat faustitatis, sibi nocte illa partem imperium, enses rebellium ab suo capite depulso, se Patrum denique orationibus reuixisse, cæterum iacturam spernerent quamcumque essent ex incendio passi, abundè se illam cumulateque repensurum. At ubi audiuit, viditque postridie saluam domum, solamque in tanta reliquarum strage, ab igne intactam, indubitato prodigio id factum credidit, omnisque cum illo ciuitas rei nouitate mirè attonita, iactansque, Patrum Deum tam latè incendia sparsisse, ut se ignis potentem probaret, ac dominum, quem nihilominus vetuisset ad eas ædes accedere, quibus suo cultui dicata seruariantur.

4.
Patres vexā-
tur à Bōziis,
Sancta Fu-
naj Christi-
vita.

Tumultus ciuiles posuerant; sceproque iam placidè Rex potiebatur, cum liberaturus promissi fidem Patri Gago datam, edixit publice per urbem compita cuius integrum esse legem amplecti Christianam, simul aream Patribus templo constituendo designauit; nec multo post cedri nam de patrimonio suo domum magnificam & amplam iis dono dedit, quam in ædem sacram concinnauit leuis paucorum interpolatio. Christianitatem Xauerius angustam Funaj reliquerat; excolebatque illam à biennio Cosmus, & Fernandes. Sed refumense Gago cum sociis concionum munus ad sesqui mille capita breui creuit. Pauperum fere, & simpliciorum, optimates autem ut cultiores ingenio, & intelligendo perspicaciores. Veri non dubia nec obscura lux delectabat, optassentque illi se tradere, si tam pronum fuisset vitiis incoctos viuendi mores abicere quam errores credendi: sed probè conscij ac testes castimonie illius citra quam non potest illibatam & navi expertem, Christianum nomen consistere; laudabant illam in aliis; ipsi pecudum vitæ assueti, altiorem putabant quam ut humi strati ad eam aspirarent. Soli

Bonzij

Bonzij sceleratissima natio, & cui nulla vsquam orbe toto malignitate par, vt iacentem prius religionem vident assurgere, damnis occursum quæ refloriscens eius auctoritas ipsorum famæ, & quæstui apud populum inuehebat; ad arma canere, conelamare, conatus nefarios ad eius interitum iungere: haud quidem doctrinæ commissionibus, tamen ad eas prouocati, necdum enim iis exciderat Fucarandoni probrum, qui rege coram aduersus Xauerium ausus disputare, sectam suam dedecorauerat, sed notis artibus, & mendaciorum apparatu qualem putabant sufficere vt Patres populo detestabiles effingerent. Nempe illos per summam audaciam suam de cælo aduentum venditare; loqui de rebus vitæ alterius vt si eas spectassent; Deum colere miserum, ad delatos honores cæcum, surdum ad vota precantium; truncum manibus ad beneficia suis adoratoribus porrigenda, & hunc nihilo fecius moliri in Iaponiam intrudere, extrusis ex ea diis patriis, per quos pace secura, bello victrix, primas inter imperia omnia teneret, conferrent Iapones Bonziorum insontem cum flagitiosa Patrum vita; abstinere se Bonzios animantium esu omni: herbis, legumine, & aqua contentos. Patres raptorum venis infantium in sacrificia exhaustis, eorum carnes immaniter edere: & istiusmodi sexcenta ad infatuandam plebeculam stolidam, quæ turmatim Patres cum foras prodirent incessabat, pone acclamitans Cincico Cincico, quod eorum lingua cælo delapsum significat, & Patres insimulabat falsitatis; ad rogum alij petebant homicidas, & helluones carniū humanarum; omnes æmula rabie in eorum famam bacchabantur. Nocte Bonzij sub Patrum fenestris ocyma integrabant, eosque fero ululatu, ebriis furore conuitiis, & lapidatione pergebant vexare, quoad Rex breui post, per præconem, vitam illorum & quietem, custodiendam viciniam commisit. Qua lege apud Iapones sancta qui septis viciniam, principis edicto descriptis clauduntur, fidei suæ concreditum, tanquam rem Principis, coguntur vel armis si opus est ab omni iniuria tueri. Metu ergo pœnarum exclusi vicinia Bonzij, alij fraudes vertunt, & quos iam faxis non poterant, maledictis & calumniis ad omnem infaniam lacerant; neophytis sordes, & auaritiam exprobrant; desertores deorum effectos, Christianismi sectatores, ad hoc solum vt sacrilegio duplici, tantillum id sumptuum redimerent, quod in simulachra & eorum sacrificulos pensitabant. Quo planè Bonzij nihil atrocius suis execrationibus deuouebant, vtpote ad vitium ventrem & latera fodiente, & antiquam saginæ materiam, ad maiorem in dies maciem, & inopiam redigente: sed ex iis lucrum quod erant commeriti fecere; ac dum Christiani præclara & pia opera, criminationibus impiis reponunt, eorum fraudes & mendacia in apertum hoc ipso protulerunt: menstruamigitur contributionem sponte sibi quisque imposuit (& quidem largius olim solita pendi, cupiditati Bonziorum) conferebatur à singulis in commune, tributum illud vltro neum in templo Patrum cum ad diuina conuenirent; eorundem in ædes colligebantur ad prandium magno numero

pauperes, & calamitosi quibus ut quique inter Christianos, eminebant ita sibi honorificum censebant iis ad mensam ministrare.

Ad hæc Iaponibus cum solenne sit quot annis sumptuosè mortuis parentare, quæ Bonziorum coquina est, vendunt Sycophantæ, popello fabulam, functorum animas, suorum quamque illo die in ædes diuertere ut refocillentur lautissimo prandio, ducere illas ex appositis ferculis substantiam omnem quæ sub oculos non cadit, exsucca manere residua, quæ ipsi gulæ suæ tollunt. Hac in functos parentes stulta pietate, ne tamen ethnici præ Christianis superbirent; instituit Gagus functorum memoriam in mensem integrum à die mortualium proferre: nullus fuit Nouembri dies quin precibus publicis, largitione in egenos, & solenni sacro coleretur, adiuncta semper concione de nouissimorum aliquo, ut in Christianorum animos futura vita & descenderet altius, & ijs tenacius inhaereret: quemcumque præterea moti contigisset, huic decernebatur funus magnificum. Præibat pompæ Ioannes Fernandes altam præferens crucem, sequebantur ordine Christiani cum funalibus accensis. Claudebat agmen P. Baltazar Gagus in linea castula, stolatus cinctusque ministris aliquot ex primaria iuuentute quorum alius ritualement ferebat librum, aquæ lustratis vaseolum alius, sacram tabulam alij, & quicquid denique suppetebat, quo funebris illa supplicatio videretur ornatio. Postremo sandapila pretioso vestita serico portabatur cadaver, & litaniarum pio cantu digestus in hunc modum ordo per vicos vrbs præcipuos ad sepulchrum tendebat, vbi postridie ab iisdem iterabantur exequiæ. Trito quidem apud nos, sed miro illic ob nouitatem spectaculo, summaque ab omnibus pietatis laude commendato, in eo potissimum quod æquali honore in plebeia, & nobilia funera conferretur. Verum enimvero à Patribus vexandis coerciti regia tutela Bonzij; & his in Deum in egenos, in mortuos, Christianorum officiis manifestè reuicti; comminiscantur aliud inuentum & arcana inter se machinatione approbatum, nituntur experiri: fingunt velle in gratiam redire; dictitant passim, & affirmant, accuratissima perscrutatione compositam ab se cum religione Christiana Iaponicam, tandemque compertum nihil eas inter se nisi in speciem, & exterius differre, loquendi modum, & ritus vtriusque tantisper absimiles, cæterum quoad rem, summamque substantiæ, easdem esse. Quod eo consilio garriebant ut sequaces suos in auitis religionibus tenerent, persuasos illas à Christiana minimè dissentire: at ne hic quidem suus sceleratis mimus commodè respondit. Gagus statim fora, & compita concionibus peruadens assiduis errorem dedocuit, planum faciens vniuersis, quantum à luce noctem & tenebras tantum à lege Christiana sectas Iaponum discrepare; quod ex audientium animis, ne quæ forte dilapsum vanesceret, stylo etiam inarauit, Libroque complexus est, quem tanto cum applausu legere sapientes, ut eius fama in aulam peruaderet iuberetque Rex integrum in nobilium confessu sibi recitari, & ex eo apographum duci: codicem vero archetypum

chetypum sigillo regio munitum remitteret ut nota regiae approbationis probaret populo Pater Gagus doctrinae quam continebat veritatem. Sed enim lingua styloque silentibus plus satis illam asserabant distinguabantque à Christi lege Bonziorum sectam impuratam neophyti quales tunc erant, & quales fuerant antequam Christum induissent: nempe simulacris dum famularentur, ex colluione concreti vitiorum; post absterfam vero aquis celestibus vitam praeteritam, & mentem diuino epulo refectam, tam sibi dissimiles, ut in congenitam homini redisse innocentiam viderentur. Exuberante scilicet in ijs aeterni spiritus afflatu, ut moris illi est in eos se largius fundere, quos nouis Ecclesiis primos lapides destinavit. In Deo & diuinis toti; ut de illo audirent, & sacris interessent, lucem anteuertebant horis tribus ad praecipuanda in templo loca; ut Amanguccij, sic Funaij ex usu Ecclesiae veteris, noctes vigilabant, festis per annum maioribus prauias: cum aedificanda primum à nostris fuit domi aedes sacra, partem operis in eo nemo omnium fuit quin sibi arrogaret, proceres iuxta, & plebei. Ac nobiles quidem laboris merito ne artis inscitia priuaret, pars materiam, & saxa, trabesque conuohere, pars cibo opificibus coquere, & mensam struere. Verni ieiunij dies quadraginta Christiano ieiunio explebant, eo Iaponibus difficiliore quod assueuerint à puero sexies minimum in die comedere; statis diebus, & more stabili, cruenta sui flagellatione, Christi patientis colebant memoriam centum quinquaginta, tanto ardore pietatis ut iteratis ad cessandum signis inhibere nisi aegre non possent. Iam quanto fidei amore, quam prompta ad mortem pro illa oppetendam flagrarent constantia id argumento sit, quod in summo aestu Bonziorum aduersus Christianos furentium, alij per urbem passim contenderent Christianos se esse; vitam sibi auferri, sed Christum non posse: opus alij palam in publico factitarent, quibus diebus solebant ethnici cessatione operum inuolabili, suos lapides venerari; & eos audenter spreto periculo carperent tanquam daemóni mancipatos; à quibus carpebantur velut temeratores festi sui. Rati demum se Deo recuperatae animae pretium auarè persoluere, nisi aliquam ab se reductam animam, eius altaribus sisterent; subibant in aedes priuatorum legisque Christianae gloriosum nomen & sanctimoniam iis cum praedicassent redibant ad Patres incomparabili triumphantes gaudio ex lætis familiarum manipulis quas Christo subiugarant, totasque interdum ducebant ad baptismum: huius porro famam Christianitatis tam religiosae, late sparsam magnos circum progressus fuisse facturam, nisi Patrum paucitas obstitisset, pagorum aliquot nunciij indicarunt, per quos Gagus multum rogabatur secum item ut vellet aliquam rei Christianae communicare notitiam; certo enim illam amplexuros, si sublimitate arcanorum, & legum sanctitate, superiorem patriis ritibus comperissent: adire quidem non potuit nisi proximos Funaios sed successu tam fausto, ut ex singulis ferè ad trecentos Deo lucraretur. Exciuit & alios Deus ad eundem Patrem sed longinquiores, & procul à Bungi confiniis positos.

5.
Bonzij duo
doctiff. con-
uertuntur.

In iis Bonzios duos Philosophia, & Theologia sua claros, Regnum magni Meaci incolebant, & inde aliquid inaudierant de nouo Deo, eiusque religionibus ex Europa profectis, vulgatisque iam Saxuma, Firando, Amanguccio, & Bungo. Fama igitur, illecti & mirè auidi rerum præsentia illam experiri, arumnosum illud, & longum iter comites ineunt, & Funaium tandem prosperè appellant. Illic taciti primùm Christianorum mores quos descripsimus obseruant; iamque inde apud se statuunt; non potuisse aliunde quàm ex Deo & cœlo fluere hanc legem, quæ suos tam sanctis regeret institutis, & (quod apud Iapones nihil validius) cum rectæ rationis tam certo iudicio conformatis. Sic ij quasi femiermes, ad Gagum accedunt, horam eius commodo, ex eo petunt qua per aliquot dies, veritatem cum illo indagarent cuius vnus desiderio tenebantur. Ambo vt dixi acres ingenio, & docti, alter etiam acutior altero, & in Philosophicis excellens, sciendi studio rem agebant, non animo pugnandi: quare fortiter quidem assidueque disputabant; pertinaciter nequaquam, & vbiicumque lux veræ rationis affulsisset, illuc ibant, & se victos gaudebant: quod tamen illos prorsus expugnauit, non tam Gago quam Paulo videtur Apostolo gentium deberi; loco enim ex eius seu Epistolis, siue concione ad Areopagum, cum perstringeretur à Gago pressius literatior Bonzium, admirans quæsiuit de Paulo quis esset: quo æno vixisset: unde illi tanta rerum tantarum perspicientia? & hic exorsus à capite Gagus, totam illi parentis, & conuersi Pauli Christumque gentibus prædicantis narravit historiam, quæ præmissa quauis disputatione, potentius Bonzium expugnauit, qui breui cunctatus, seque alto intorsum silentio colligens; mox, Pater inquit, hæcenus disputatum, tuus sum, & Dei qui me tua opera suum facit. Paulum secutus sum amentem, respicientem sequor; secuturus quoque apostolum in præconio diuinæ legis, huiusque propositi pignus, meipsum tibi sisto baptizandum, & Pauli nomine signandum: sub hæc alter velut ex comitis suspensus voluntate & ipse illico manus dedit, interrogauitque, num quos Paulus socios habuisset, optare se illius nomen qui fuisset maximè Paulo carus: vterque splendido instructu & festis Christianorum lætitiis, baptismo lustratus, alter Pauli appellationem, Barnabæ alter ex eo tulit: ambo sanctimonia insignes præsertim Paulus de quo eiusque vita, plane digna nomine quem gerebat, extat P. Ludouici Froes data Malacæ epistola. [Paulus ait, iis accensendus est, per quos Deus admirabilia inter Iapones edit. Ex quo Christo se dedit, ieiunat quotidie; breui somno contentus, & saxo loco ceruicalis, à media nocte meditationi multum temporis infumit, & sæuit in se flagellis crudeliter. Pagos obit prædicatione diuinæ legis, & Euangelij explicatione, quibus multos Deo lucrificat. Venit ad Gagum identidem confessione animum purgaturus, statimque suum ministerium repetit, & adhibetur diuinitus ad patranda perpetuo miracula.] ita Froes. Tamen si facultas edendi miracula multis fuit cum Paulo communis, quos ad Christi fidem eorum animis altius

altius inferendam, & cohonestandum professionis recentis meritum, condecorabat Deus illa potestate; quam exerebant ferè aut signo crucis, aut aqua lustrali ægrotis aspersa, vel ab iis hausta, & ea Bungo ex Patribus à quadagesimo nonnunquam milliari petebatur, seruabaturque illius vasculum pro thesauro. His alleuamenti grauidæ complures, dæmonis occupatione (apud Iapones crebra) partu prohibita; complures siderati, & membris quandoque omnibus affecti, muti, cæci leprosi, aliisque pessimè à morbis habiti curabantur, sanatione plærumque repentina. Ethnicus adolescens annorum tredecim, cum baptismo vsum recepit oculorum, discussa cæcitate quam infans incutrerat. Familiam ethnicam malignus hostis infestabat possessione diu à patribus in filios, & nepotes protracta, eam Gagus à cultu falsorum Deorum simul & ab illa tyrannica vexatione asseruit. Profuderant miseri bonorum optima in Deos, & Bonzios, vt semper deterius valerent garriebant dæmones illorum ore, & per eos, quædam miris similia ludebant, cuiusmodi fuit cibo in alteram, & tertiam hebdomadam abstinere, vocato Gagus in eorum vnum nomine Christi IESV, & augustissimæ Trinitatis, dum horrendis modis agitaretur à Dæmone, eum illico liberavit: quo beneficio permotus tum ille, tum grandævus parens, & septem qui aderant alij Christiano lauacro purgati sunt. Eius tamen soror quam ab annis triginta occupabat dæmon non ita facile est sanata; discerpens miseram dirus hostis, gloriabatur mortalium neminem tentaturum extrudere se possessione ætatum trium; cantabat labris feminae obstrictis, negabat vociferans vllius se hominis aut Dei imperio pellendum; tum in subitos fletus & lamenta erumpens, velut sui misertus quærebat ecquo tandem esset inde recedens abiturus? Christianos ex propinquo multos, exorcismorum acciuerat nouitas, qui calamitose permoti spectaculo genua in preces pro arreptitia dum flectunt, & Pater interea exorcismis in dæmonem fulminat, nequissimum spiritum statione diuturna fugat. Vultu in placidam speciem ex horribili reformato, IESVM, Mariam. S. Michælem appellat femina, bibit aquæ lustralis pauxillum, planeque ab hostelibera baptizatur. Christianum quendam violentæ febres in vitæ periculum egerant; poscenti remedium aliquod, imperavit Gagus, se cruce signaret, diuinæ Triados personas in auxilium vocaret, præterea nihil; & hoc tam facili leuamento febrim ocysus abegit. Valetudine gestiens tam commodo emptæ, redibat ad opus, cum cœpit apud se ambigere, extinctæ qua tunc æstua-uerat febri, successura num esset alia cuius periodus in diem proximum recurrebat. Hoc metu perditæ anxius, subit in fanum ethnicorum quæ forte præteribat; idolo supplicat sanitatem sibi vt seruet tam bellè restitutam. Sequitur mox sceleratè precantem condigna gratia; domum suam intrarat cum febri corripitur vehementissima quæ delirum caput suo cerebro reddidit; nam sacrilegij dolore, quàm corporis grauius æstuans, ad Gagum reuertitur, fatetur gemens admissum scelus; obiur-

gatur ab eo pro immanitate nefarij criminis, iubetur nihilominus ex miseratione stolidæ incredulitatis, idē quod prius remedium malo adhibere, adhibetque efficientiā tam præsentī, vt quo temporis puncto se cruce signauit eodem valuerit. Fuit hoc item peculiaris beneficentiæ quod Funaij Gagus venatorum Præfecto impetrauit, pietatis feruida Christiano: falconem Regi carissimum, suo cuidam crediderat puero aperti cœli sereno permittendum; ventum falco secutus, nimis secundum & validum, tam procul auolauit, vt frustra iam essent reuocantis pueri tum voces tum oculi, eiusque receptum desperans, timore verberum fugeret. Filij iacturam tam leui ex causa dolens mater, instat lachrimis apud Gagum, falconis reditum à Deo obtineat, quod alioqui filius ad herum nunquam esset omnino reuersurus. Quin & herus pro se sollicitus, ne, vt minimum, gratia caderet, multas circum in cassum percursarat leucas nullo auis recuperandæ indicio. Promisit Pater optimæ feminæ commendaturum Deo quod optabat, & promisso stetit: postridiē domo efferebat pedem, & conspicatur falconem desuper giros circum volatu agere quales solent ex alto in prædam descensuri: Præfectum aucupij, iubet illico moneri à quo notis vocibus illectus falco in pugnum reuolat; matrique filium fugitium, hero securitatem regiæ gratiæ vna reddit.

6.
Amanguccium euetitur.

Dum augent benigni prouentus tenuitatē Ecclesiæ Bungenfis; Amangucciana paucis horis, aprili mense præceps ruit, anno 1556. regni Principes duo, & magistratuuum, capitales gerebāt inimicitias, vterque potens, paribus vterque tumidus affectantium clientelis, hoc solum ad confligendum operiens, vt mutuo sibi occurrerent; rexque in iis irritam operam sumpserat vel conciliandis, vel vrbe pellendis, quod scissum in partes populum secum armis vtriusque timendis raperent. Nondiu tenuit clausam stragem hæc nubes, erupit aliquando, & totam armis, & sanguine Amanguccium miscuit: cumque igni quàm ferro pugnent asperius Iapones, armis alij dum certant, alij domibus aduersæ factionis tam velox incendium intulere, vt impluisse cœlo videretur, vixque horarum plus trium spatio, decem millia domorum, utpote ex ligno, fauillæ tumulum faceret, hoc est urbem prope vniuersam. Rex clam stragi ereptus, suam quandam in arcem se subduxit; Christiani ruinæ superstitēs, & longorum exin prælagi bellorum Patrem suum Cosmum enixè rogarunt, alio se loco tueretur, quoad ciuilium turbinum conuiesceret tempestas. Sed hoc malorum articulo auelli à filiis non tulit, quos & vnice amabat, & videbat de sua impensius quam de propria vita laborare. Senem se ac metæ proximū; quod vitæ supererat, tū breue, tum parū vtile; leuis damni futurum si occideretur, moriturum inter eos libentius, quàm procul ab iis victurum. Quibus tunc quidem illis satisfacit hæsitque ibidem dum in cineribus ædium euersarum noua ædificia construuntur; sed elapsō vix mense, hostis nouus, planèque omnibus improuisus nouam urbem leuca iam propior exterreret. Princeps fuit

fuit è Saciao profectus vt Amanguccium labantem, & debilem sibi subiiceret, quare iterum Patrem Christiani cum lachrimis adeunt, suadent illinc migret; nec mortem, nullo mortis pretio expectet; illuc se conferat vnde possit si Deus annuerit ad eos & solitam opem ferendam reuer- ti; atque hic denique illorum precibus acquieuit: sed erant salutantium sub discessum fletus eiusmodi vt extorqueri magis crederes quam dimitti: pridie quam ab iis recederet, noctem exegit totam excipiendis eorum confessionibus, consolatione adhibenda, corroborandis animis in omnes euentus minasque discriminum: comitati sunt ad multas leucas abeuntem mœsti & lugentes, viri, feminae, pueri, quasi vt scribit ipsemet efferrent ad sepulchrum: quidam Funaium secuti sunt, nec sustinere ab eo diuidi; alij cum fausta illius adprecatione rediere. At quam tristes illius iactura Christianos Amanguccij reliquit; tam læti Bungenfes eius aduentu gestiere: vt qui eius probassent Apostolicos spiritus, dum illic esset Xauerio comes; & grande tunc opus moueretur, cui perficiendo videbant fore opportunissimum. Odoardus Gama Lusitanus, virtute iuxta vt Sanguine nobilis; & de nostris in Iaponia præclare meritis, portus illos negotij causa iam sexennium frequentarat, fueratque Xauerio in paucis carus; & eos detulerat honores quos in rebus Xauerij sat fusè descripsimus. Hic Firandi dum negotiatur, & ventum in Sinas tempestiuum expectat, Ludouicum Almeidam Funaium misit, ad impetrandum ex Patr. bus aliquem, qui Gamæ sociis Firandi Sacerdotis operam nauaret.

Erat Almeida annorum triginta, bonam animam sortitus, ingenium optimum, literaturam mediocrem, chirurgiam excellentem; sed vitam quam per tot maria, & mortis imagines trahebat adeo exosus, vt noluerit prius ritè confiteri, quam se ipse interius per breue otium inspe- xisset; ad hoc Exercitia S. Patris dierum aliquot spatio à Gago cepit, captusque ab iis est (quod fere vsu venit) tam efficaciter, vt ex eo qui erat, in alium; ex locuplete in pauperem; ex mercatore, non multo post, mutaretur in religiosum; abiecta igitur cum nauigatione mercatura, certusque in posterum, vni Deo, & Patribus, animarum bono famulari, in Iaponia sedem fixit: inualuerat illic pro lege barbaris, vt quibus deesset quo filios alerent, vel esset molestum alere; turi, ad mare, in vicis, passim exponerent. Visum Patribus fore ostentum no- bile misericordiae Christianae, si vitam corporum alimentis, baptismo æternam innocentibus seruassent. Conuenitur de aliquo in id opus sub- sidio. Almeida, qui fortunatum se mercimonio putaret vili coëmendo, quod tanti Deo & Christo sterisset; millia aureorum quinque, confe- stim obtulit, quæ secum ex India, lucris augenda attulerat. Sed horum quinta pars ferme negotium confecit. Parantur ædes duplici distinctæ regione; leprosis vna quorum miseria, tanquam execrabilis celo, tan- gebat neminem; altera colligendis, lactandisque infantibus proiectis. Quod Regi adeo placuit, vt in eo partem sibi optauerit, attributa qua

7.
P. Cosmus, &
Almeida,
Xenochia
duo insignia
statuunt.

opus cresceret pecuniæ summa, maius illud quod nec rogatus à Patribus nec monitus; capitis pœna vetuit filios à parentibus occidi, vel exponi, iussitque alendos ad Patres deferri, & mira feruntur de sanatis elephantiacis, cœteroqui natura, & arte insanabilibus; ac de beata infantium sorte quæ fame tantum non extinctos cum portarentur in pædotrophium, è nutricum sinu in cœlum transtulit: restabat Gamæ satisfaciendum, eiusque Lusitanis expectantibus Sacerdotem qui confidentibus aures daret, eò proficiscitur Baltazar Gagus cum F. Ioanne Fernande, & Paulo Iapone feruido illo ex Bonziis ad Christum, vt explicuimus, conuerso, fuit hoc iter octidui, cuius viaticum Rex Bungi liberaliter suggessit, viamque inuitos humanissimè inuifit. Degebant Firandi præter Lusitanos Christiani ducenti, Rex ipse quantum apparebat, Christiano nomini sic addictus vt præter baptismum, nihil sibi deesse dicitaret. Quare primo illorum aditu, & affatu, subiugandum Christo regnum iis detulit vniuersum: verum illo in portu hæere diutius non sinebat concessi temporis breuitas, quæ tamen non fuit ita otiosa quin Fernandes & Paulus ethnicos trecentos errorem dedocerent, qui Rege plurimum gaudente solenni pompa lustrati sunt.

8.
P. Melchioris
Nugnez
Barreti ge-
sta heroica.

Sed hic nouum mihi imperat argumentum Nunnij in Iaponiam ap-
pulsus, cuius etsi olim aliquam mentionem Indicarum rerum quem te-
nui ordo induxerit; pleniorẽ eius memoriam iure huc distuli, & poste-
ritate digniorem. Portum habuit patriã P. Melchior Nunnius, seu Nugnez
Barretus, urbem Lusitanæ nobilem; parentes sanguine illustres; præstan-
tissimum ingenium; doctrinæ canonicæ, & Theologicæ quantum exi-
gebat obtinendus Conimbricæ Doctoris gradus, qui tunc illa inter
Europæ nominatissimas in academia, & summo in pretio, & pauco-
rum erat, quod esset grandi sumptu & seuerissimis multorum exami-
num probationibus ambiendus: quare fas erat cuilibet plebeio, inau-
gurandis probra occinere, & conuitiis onerare, ne suo illo in hono-
re sibi nimium placerent. Deerat Barreto ad tantam lauream postrema
iudicum periclitatio, cum à Deo vocatur ad nouum Euangelicæ sapien-
tiæ in Societate rudimentum, cuius elementa non ignarus à mundi
contemptu incipere, instantem gloriam magisterij laureati auersatus
est pro inani, ab eaque mentem auertit penitus: at Simon Rodericus à
quo inter nos admitti prensabat huic eius consilio obstitit, quod pri-
ma illa Societatis cunabula nonnihil incrementi ex illis gradibus
ducerent: monenti paruit Barretus & doctrinæ suæ experimento lucu-
lentissimo, ad eò cumulatè suffragantium Professorum iudicia imple-
uit, vt doctor solenniter renunciatus sit: quo eodem die anno 1543.
pompa illa omni academicorum prosequente in Collegium nostrum
venit, ex Theologiæ doctore futurus crucis discipulus, exemplique
haud leuius concussos, quàm attonitos nouitate, valere iussit, annorum
tunc fuit viginti trium, primusque ex illa facultatum omnium florenti
schola, signauit aliis aditum in Societatem, inter quos germani eius duo,
Alphon

Alphonfus, & Ioannes, postea Æthiopiæ Patriarcha; de quibus in Europa, & Africa futurus est nobis cum bono Deo locus: de hac eius magnanimitate, abiectiorem caducorum in comitatu tam celebri tam heroicè professa, generositate indolis argumentatus est Rodericus, & virtutem quouis sub malleo duraturam: iubet ergo exutum pretiosis quibus domum adueniens splendebat, lacera indui; sublatum in humeros, ad hanc stropham seruatum arietem, per frequentissimos vr̄bis vicos ad Marcum Romeum dono ferre, erat Romeus doctrinæ fama toto regno clarus, academiæ illius Prototheologus, & forte Barretum doctoris insignibus inaugurauerat, tam durum imperium, & sui horrore quemuis auersurum, tironem maximè dei vnus, & perfectam virtutem mox aggressum inire, non totam repente profiteri; documento præsertim tam arduo, & intolerando; hoc inquam, imperium haud significatum citius quam exceptum; abiicit serica Barretus; mendici habitu pannosus, spurcam bestiam in ceruices tollit, per frequentissimum populum diu sponte oberrans Romeo se sistit, eamque illi munus offert. Stupens re improuisa doctor, conturbari, frontem contrahere, grauiterque offendi, seque munere indecoro, & cultu ferentis ratiocinari Indibrio læsum, & vulgi disteriis obiectum: id prudenter legens ex vultu Barretus, quod te coram, inquit, viro tali, & tanto, in mendicum & vilem baiulum subornatus consisto, non est tui, vt forsitan reŕis, contemptus, & offensa, sed honorifica, & grandis opinio, & æstimatio: tuum enim vnus cordati hominis, & similiū est, quæŕita pro Christo dedecora, & ignominiam suo pretio pendere. Deo in religiosa familia me deuouit; primum hunc edo, abdicati iuris, & arbitrij mei actum, ad nutum obediens Dei nomine iubenti: vtque in academia, gradum testem doctrinæ conferas nemini, quin se tibi multa & seuerâ periclitatione probauerit; ita Societas nullum heroicis in Dei gloriam ministerijs parem ducit, nisi quem exquisita obedientia, sui que abiectiōe explorarit; cuiusmodi de me experimentum vides ab ea captari. His homo sapiens admiratus est quod ante damnarat, & propensius amauit cui fuerat indignatus, eumque plurimum laudauit. Factum autem amicis postea referens, coniectura omnino non leui, consueuerat exclamare, ecquod tandem non esset iturus sanctitatis, qui tam excelso in vertice illius tyrocinia poneret? nec aberrauit à vero Romeus, Conimbricense Collegium hominibus florens virtutis perpurgatæ, inter primos Barretum etsi nouum adhuc numerauit: illic nihilominus virtute per octennium firmata, & ad purum excocta, impetrauit in Indiam mitti, eoque tandem per longa pericula attigit anno 15; 1. eius merito acceptum ferebant, quod in conspectu Mozambici impacta tyr̄tibus incauta prætoria, inde miraculo vt credebatur, euasisset: sed absque dubio virtutis illius eximie obuersans oculis sanctitas, insignes edidit pietatis fructus in animis vectorum qui naui eadem ferebantur, quos libenter omitto, ne dictis similia cum tædio repetam. Goæ Xauerium

ex Iaponia reducem inuenit, expertusque est morem diuinæ charitatis viro sancto proprium, & familiarem; paucis vero quos egit cum illo diebus, tantam illi de se virtutis egregiæ ac prudentiæ fidem fecit, vt nauigaturus in Sinas Xauerius suas illi vices in gubernatione Prouinciæ Indicæ, post Berzenum, & Moralem mandaret. Interea vero Bazainum ad erudiendum in diuinis urbem illum misit, quæ cum promiscue Christianis ethnicorum ingentem numerum cluderet, vtrisque omnia fieri Barretum oportuit, noctes magna ex parte precationi, & studio dabat; vtilitatibus alienis dies, & quidem solidos: bis festis; per hebdomadam quater dicebat ad populum, ea commotione auditoris, vt ex pulpito statim cogereretur vsque ad alteram noctis horam confitentibus aures dare. Quotidie pueros elementa fidei docebat, colligebatque illos per urbem tintinnabuli pulsu stata hora: supplicationes pœnitentium induxit crudè se flagris cædentium, ethnicorum cum plures in prociuctu stabant ad conuersionem cum sub anni finem 1553. vita functis duobus quibus Xauerius suas Prouincialis vices legauerat, eidem oneri subeundum huic fuit, & Goam redeundum, vbi menses aliquot moratus, nouo quodam instinctu in Iaponiam subitò est abreptus; quàm sanctè non ambigo, quàm prudenter, pronuntiare non audeo: improbauit certè Ignatius relictam tunc Indiam cum esset prope suo omni præsidio orbata sublatis eodem vno anno, Xauerio, Morale, & Berzeo, quibus potissimum viris tribus tanquam firmamento nitebatur; vtque hunc Deus voluntatis ardorem bene acceperit, sed operæ fructam, quantum ex euentu patuit profecto non collegit. Videamus eequibus induxerit animum Barretus ad hoc iter: quartum & decimum iam annum ex India in Sinas, & Iapones mercaturam exercens nauigabat Fernandus Mendez Pintus; natione Lusitanus; patria Montemaiore veteri; Xauerio amicissimus, cuius etiam illo in magnifico aditu ad annuntiandam Bungeni Regi magni Dei fidem, partes gesserat suas. Leguntur & eius curiosi errores ipsomet auctore, lingu is variis editi: aderat tunc è commercio Iaponensi, & diuitiarum satur, si minus habitatum, tot saltem per maria quærendarum, adornabat receptum in patriam, placidè illic parto fruiturus; prius tamen quam mare vltimum tentaret, voluit animum vitæ omnis exactæ, confessione expiare, legitque ad hoc Nunnium Barretum, quo cum in Chororum secessit insulam, tertio Goa milliari. Illic in Sacello Deiparæ à Gratis dicto; voti affatim compos, & tanquam graui leuatus pondere lætisque securi iam animi tranquillo, cœpit cum Barreto de Christianitate Iaponiæ colloqui, & quæ ipsemet spectarat prodigia de sanctimonia illius, & miraculis narrare, quæ dum persequitur, momento patriæ oblitus, Barreto confirmat.

9.
Eiusdem in
Iaponiam
ter.

[Si vellet in Iaponiam consilia vertere, se in obsequium fidei sacrosanctæ, & Societatis in Iaponia sedem, pardaorum duodecim millia quæ in numerato sibi essent, libentissimè collaturum, præter vim mercium

cium

ciū opulentam quam secum parabat in Lusitaniam vehere: nullam enim esse Orientalium, quas prope omnes adierat, Iaponica gente obsequentiore agnitæ rationi, & in semel suscepto virtutis proposito immobiliorē: millia quatuor Pardaorum Collegium nobis Amanguccij fundatura, illinc spargendos toto imperio ad Euangelij prædicationem; suo etiam utcumque se erga Xauerium amori, facturum satis dum quod mortuo dare non poterat, Iaponiæ daret, vsque adeo Xauerio caræ ut doni gratia redire in illum videretur.] Hæc cum Nunnio Barreto Fernandus: quæ tam ab omni spe, & opinione longinqua mutatio, eo in homine qui vitam infelicem in id contriuerat ut diues fieret; tunc diues, & in procinctu ad patriam, ad quietem, ad sui deinceps arbitrium & pingue otium, mutabat cogitationes, repetebat inopiam veterem, quicquid tantis accumulasset periculis, donabat Euangelio propagando; hæc eius voluntatis adeo insperata conuersio, visa est Barreto non posse aliunde quam ex Deo nasci, & quando exitum sortiri non poterat, nisi in Iaponiam transfiret, velut illuc à Deo Fernandi ore vocaretur, apud se decreuit eò vocantem sequi; sed dedit feruori spatium aliquod, ut intelligeret de illo itinere quid etiam alij sentirent. Fuere in ijs canonici maioris Ecclesiæ; Dominicani & Franciscani Patres, nobis coniunctissimi utriusque; ex nostris Diaz, & Paulus Camers; qui post serijum examen dictarum ab eo rationum, non modo id iter annuerunt verum etiam suaserunt. Deliberatum olim fuisse Xauerio ut eo pergeret; Cosmum Turrianum quo Iaponiensis Ecclesiæ nitebatur; ætate confectum, & pene decrepitum; cadente illo facile dilapsuram; acutam gentem, magistri eximij sensu, & scientia egere, quibus eximie pollebat Barretus; non defuturos ex Lusitania quot annis, qui congruam operam Indis commodarent. Hæc tam plausibili suffragatione, securus propositi, vnum Alphonfi Noroniæ Proregis assensum volebat. Prorex, petitionem anteuertit, proculque compellans accedentem, quid hic Pater! cunctaris? & necdum in Iaponia es? viden? ternasque ipsi, quas tunc perlegebat legendas tradit epistolas à Firandi, Bungi, & Amanguccij regibus, quibus Lusitanæ Regis amicitiam expetebant, & Patrum aliquos, à quibus ea regna excolerentur Christi lege: fragmentum vnius earum literarum à Bungenfi scriptæ, multum lubens hic reddo, vbi post alia, nuper, inquit, P. Franciscum audiens de noua quadam lege conditoris omnium disputantem quam docebat Amanguccianos, in aurem illi fidem meam obstrinxi (quod repostum mente nunc etiam manet) futurum ut eius reducis, & manu tingeret, & ore nominarer. Vicissim ipse, vita incolumi, pollicitus est celerem reditum, ut faceret desiderio meo satis. At eo diutius spem meam differente, hunc mitto nuncium ut de illo, & morarum causa certi aliquid sciam; quæso præterea, ut meo, si opus sit, nomine illum roges (quando nefas est terrarum regibus imperio erga illum uti) primis immittentibus se ventis quod futurum est Deo gratum meum hoc regnum quamprimum reuifac.

uifat.] hæc ille, quibus addebat valdè humaniter Proregi munus, arma quædam, quibus reges duos bello expugnarat: atque hic demùm Barreto perſuaſum, nauigationem illam ad Iapones ſuam, diuincertò eſſe conſilij, adèd viſa eſt à fortuito abeſſe, ac Deo diſpenſante, ſibi nec ante nec poſtea, ſed eo rerum articulo à Prorege mandari cui teneriter flens, reſpondit, ſe propterea adeſſe. Profectione igitur cum Prorege decreta; Fernandus Mendez abſque mora rem ſuam partiri; bis mille aureos in Luſitaniam conſcribere propinquorum quorundam egeſtati leuandæ; in pauperes alios quater mille: ſeruos ſuos donare libertate, tribus exceptis qui flendo, & obſecrando ſuum erga herum teſtati amorem, & quocumque luberet gentium pergere, fidele obſequium; extorſere ab eo vt retinerentur. Ad hæc attalica, auro & bombice eleganti opere intexta coëmere, donum tribus illis Iaponiæ regibus: ſuiſque diſtribendis bonis longè vberius gaudere quam olim quærendis, & exaggerandis. Quod vbi Prorex de illo cognouit, laudauit mirifice, dignumq; cenſuit cui ſuo nomine ad Regem Bungi legationem crederet, cum muneribus, & litteris, quibus Patres, & ſingulariter Barretum commendabat. Omnia in prociuctu erant præter ducendos ad fundationem Amangucciani Collegij ſocios; ac delectus quidem ex Collegio Goano fieri cum deberet ex eo tam multi tot lachrimis conſcribi vrgebant, vt nulla res grauius anxium Barretum, habuerit: ipſos quoque de ſeminario pueros ad hoc ambiendum, tanta æmulatio incitauit, vt annuendum aliquibus fuerit. Ex iis quinque ſelecti ad condiſcendam Iaponum linguam magis idonei; qui mittendis deinde in Iaponiam Patribus, interpretes fierent; aliorum repulſa promiſſi chirographo mitigata, quo ſpes illis dabatur, fore quoque vt ſuo tempore in Iaponiam mitterentur: de noſtris bona ſors Gaſpari Villelæ obtigit, cui nondum Sacerdotes, quatuor acceſſere, cum Mendæ ac tribus mancipiis, nec vltra quintum & decimum exiuit numerus: tametſi plurimos tam glorioſi operis vulgata fama ſtimulaſſet ad petendam in eo partem, & in nauis locum nobiles Luſitanos, etiam matronas, (& quod mirum iam anus,) vt Iaponenſibus feminis annunciarent Chriſti legem. Equè omnibus negatum, quod paucis concedi abſque offenſione multorum non poterat: quosdam tamen repulſæ impatiens pietas ad hoc egit, vt nauim portu exeuntem ſequerentur exiguis lintribus, conſtantes, aſſectaturos ſe vel in altum mare, donec periculi miſeratione aſſumerentur intra nauim: condicta in diſceſſum die Nunnius Barretus, Baltazarem Diaz in prouincia regenda ſibi ſubſtituit.

10.
Mendes
Pintus Soc.
ingred. in
Iaponit.

Sub occaſu Chororum in Inſulam traiecit, ſalutaturus vltimùm cum ſuis Reginam Deiparam, & precaturus itineri ab ea benedici, cuius ante illius aram prima deſideria concepiffet. Noctem ferè ad illius pedes orando traduxere; hinc cælo albente, Aprilis quinto & decimo, anni 1554. Nunnius rem Sacram fecit, in qua votorum inſtaurationem, in Societate vſitatam, ſumptioni Eucharistiæ præmiſit: profeſſionem
votorum

votorum quatuor etfi haberet ab Ignatio mandatam nondum ediderat, quod præsto esset nemo qui publicè illam admitteret, distulitque illam magna voluntate, quò, vti aiebat maiori otio, maculas animi liceret, pluribus lacrimis delere, antequam se Deo sacrum dedicaret: post hunc singuli sociorum sua quisque instaurat vota, sensu incredibili pietatis, & sancto inuicem complexu caritatem mutuam confirmat. Spectabat hæc Mendez auidè, vtque puras animi voluptates nunquam antea experti, solent ad primum earum saporem ebrij vltra modum exire, & se promissis illigare, quorum, illo cessante pietatis primæuæ dulci fauonio eos pœniteat, ita Mendez, omisso de sumptibus monito, quos iussit Christus ante computari quàm admoueatut ædificando manus, ardens, flens & in Deo totus, parique cum aliis voce, paupertatis votum, castitatis & obedientiæ nuncupat; viuendi moriendique in Societate, totum se suamque rem omnem in vsum Christianitatis Iaponicæ conferendi. Huius primas voces cum quidam è Sociis tentasset abrumpere, ille toto feruoris imperu properans, inceptum peregit. Nunnius cœlitus factum existimans confirmauit, piaque admonitum cohortatione, recepit in Societatem: illinc digressus à Patribus, & ab iis requisitus deprehensus est in templo, pretiosos sibi annulos detrahens, & iis pueri Iesv digitos coronans, quem illic statua Virginis inter brachia sustentabat. Fumi omnes hi piorum motuum & bullæ, vndæque feruidæ nouitatis, quas infrigidauit sensim tepor, & tandem extinxit. Solenni religionis officio perfuncti vela pandunt in nauì Norogniæ qui Malacensi Præfecto Araidî succedebat; Aluaro dico Araidî, crudo illi vt olim retulimus, patientissimi Xauerij, & sacrilego vexatori, qui tunc suam acturus causam, exauctoratus, reus, vincetus, Goam portabatur, vt vaticinatus illi fuerat vir sanctus. Fuit nostris hæc nauigatio ærumnosa & aded lenta, vt nisi post nonas Iunias non applicuerint Malacam, vbi iam ventis in Iaponiam defectum mare, illos mensibus plus decem tenuit in hibernis. Illic Nunnium eiusque socios, vrbs elapidationis perpetuæ, & sarculi indiga occupatissimos habuit, summeque vtilis. Dabant ministerium ægrotis in nosocomio; stipem sibi ad victum qualemcumque ipsimet corrogabant, interque hos Mendez communi tamen eatenus habitu quoad esset Proregis legatione absolutus. Is quondam eo in portu notissimus & diu locuples, lautique negotij mercator, tunc autem humilis & mendicans, magnum de se ostentum populo præbebat, maiorem prudentibus etiam ethnicis philosophiæ veræ ansam, aiebantque vitæ post hanc melioris securos omnino esse Christianos, quando certa illius fiducia, vir magnificus, & diues sponte in hanc probrosam mendicitatem descenderet, dum & Casciges & Braehmanes, factorum suorum nundinatione certarent ditescere, quod sola nossent præsentia & caduca bona. Prælectionibus aliquot Nunnius scripturæ loca per hebdomadam nonnulla explicabat nunc è nouo, subinde ex veteri instrumento. Diebus Mercurij de Misericordiæ officiis apud eius sodales in eorum templo verba faciebat.

Partriculam aliquam psalmorum de pœnitentia diebus veneris tractabat, commouendis potius auditoribus quam erudiendis: post hoc flagellatid sequebatur. Hac strenuitate instantem operi oppressit morbus, ex quo nondum refectus, calendis Aprilis anni 1555. ventis tunc nauim Iaponiam versus vrgentibus, coactus est soluere; sed instituendis Malaia pueris Ludouicum Froes vnum è Sociis reliquit, mœstissimum & postremas salutationes multis lachrimis miscentem, quamvis illi eius dumtaxat profectio reiiceretur in tempus commodius, quo in Iaponia multos annos longe alio fructu quam Nunnius exegit.

11.
Iter Nunnij
in Iapon. &
Sinis.

Lembo veli auriti regio vehebatur Nunnius, quassò & veteri nec tempestatibus illorum tractuum horrendis facile emerfuro, ductore potissimum nauarcho. matris illius valde rudi. Quare confectis milliaribus non multis, in latentem scopulum impegit cercurus, omnino confringendus, si plenis velis actus esset. Hæsit tamen infixæ scopulo carina, & nauis illac præteruictæ implorandum per scapham exploratoriam auxilium fuit, vt inde reuellerentur incolumes. Expeditus ab ea remota cercurus, & vitatis fuga Maurorum nauigijs quinquaginta, lateratisque vento, cum euerfionis periculo velis, denique Patanem applicuit. Illic dum aquantur, ex nautis quinque aufugiunt; globo alij barbarorum ex insidijs appetiti vix seruitutem, aut necem euaserunt. Hinc mari transuerso in Iaponiam contendunt, subeuntque Pulocondoris sinum, vbi à zephyro ad libyn, nauis latus, procella quatitur tam formidabili, vt certum instaret exitium, quod magno labore in Pulorimanum de lati proximam insulam declinant. Onerariæ illac duæ ex Lusitania, paulo post in Sinas transibant, quarum altera Francisci Tuscani Nunnio peramici, cui certo persuasit lembo illo, eaque per maria si porro pergeret, in perniciem rapi minimè dubiam, sua igitur inuitatum nauis, volentem in Sinas omittæ Iaponia tulit, Lembo infido, & debili Malacam remisso. Sancianum ad medium Iulij attigere, ac sepulcrum vbi Xauerij sanctum cadauer iacuerat supplicabundi adiere: solenni ritu Nunnius super eo diuinam rem fecit. Lampazonem hinc itur Sinensis oræ desertam in insulam, Lusitanis ad commercia permissam, qui tunc ibi circiter quadringenti cum sinensibus negotiabantur. Adiculam sacram ibidem illico nostri tetendere, tecto videlicet, & parietibus contexta ex palea expansis, nec tamen pro loco auarè ornatam, vbi Lusitanos in omnium maximo æternitatis negotio iuuabant. Qui labor exhibet tam utilis, vt illius seu memor, seu crebri secessus ad meditandum inter seculas, nullam sibi tempus scripserit Nunnius fluxisse vnquam iucundius; intermissis enim quotidie latebris præsto erat ad erudienda de fidemancia ad conciones, & confessiones, ex quibus locatæ legitimis nuptiis, concubinæ; alieni restitutiones; conciliatio simultatum eadem, & strageminantium. Ter enim contigit nauium Præfectos sua quædam ob lucra discordes ad arma ex iurgiis profilire, & sua quemque nauarum & militum cum turma in pugnam accingi, quos sua Nunnius sedauit industria.

Austria, & auctoritate cumque illum breuis vt olim Xauerium in Sinas inducere posset velificatio tentare illuc ingressum ausus est, & iure apostolum credidit, eius regni portas sibi mortuum referasse quarum in limine animam efflasset, Distabat Cantone milliariis solum quinquaginta, quæ vrbs de se Prouinciam nominat eiusque caput est, gradu ad arcum vigesimo altero, inter Prouinciarum illarum metropoles minima, sed vlyssipone haudquaquam inferior. Detinebantur illic pridem tres Lusitani æterno damnati carcere, catenis onusti & appensa de collo tabula, quæ causam supplitij caractere Sinenfi exprimeret, Transuectus Nunnius in portum Manciuanum inde Cantonem subit acturus cum vrbs præfecto quem solent dicere Mandarinum, de redimendis Lusitanis; & inspecturus interea temporis, quod fuit duorum Mensium, numquã posset in illo populo Veritatis lex radices mittere; sed neque de illa quicquam extricauit Lusitanorum liberatione etsi mille quingentos ab amicis ducatos aureos numerarët, nec de cuiusquam Sinentium conversione quidquam illi processit feliciter. Duos quidem ex sacrificulis ad conferendum de diuinis per interpretem inuitauit, sed eorum alter responso lepido elusit prouocationem, aiens sui muneris esse, precari pro mortuis, non autem cum viuis litigare; confidentior secundus admisit prouocationem stetitque in scammate coram trecentis Sinenfibus, re insolita excitis, donec implexus argumento ex quo se neque vi, nec arte euoluebat, disputationem furore barbaro mutauit, Patremque indignis disceptum conuictis victorem reliquit exhibitante populo ignorantiam hominis arrogantis, & Patri nihilominus aures audas præbente, vt qui nunquam illic audita nunciaret, de excitandis in vitam mortuis; de supremi iudicij die; de pœnis & præmiis sempiternis, & similibus religionis veræ principiis, quibus tamen adhæsit nemo quod in hoc genere nefas esset Mandarinorum iniussu aliquid mouere. Quamobrem Nunnius expectatione sua falsus Manciuanum regredi cogitur, F. Stephano Goetz iussu Cantone subsistere, ad Sinenfis linguæ notitiam aliquam illinc exculpendam, quod labore contendit tam improbo vt semestri elapso in stertem & debilitatem capitis vergeret, essetque Goam remittendus. Nunnius non ferens diutius suum Manciuani, ac sociorum otium, quos nisi perpaucos non sufficiebat India, consulere apud se de reditu cœpit, tum quod illo in portu nulla in Iaponiam appareret nauis, & ipse suorum literis reuocaretur in Indiam, tum quod contra quam vulgata fama, duo solum venissent operarij ex Europa, dum adfuturi crederentur multi, cum Petro Mascaregnia prorege, à quo omnia sperabantur in gratiam Christianitatis, accedebat & quarta, grauior cœteris ad renauigandum ratio, Ignatij epistola qua significabat improbare se quod Prouinciales omissa India in Molucas aut Iaponiam nauigarent, vnde non poterant, nisi post triennium reuerti. Hæc à cœpto in Iapones cursu Nunnium prope dimouerant, cum ecce tibi ab iis redux Odoardus Gama, de nascente illic Ecclesia tam magnifica & fausta de prædicat vt primis illum

desideriis inflammaret : literas ad hæc illi reddit à Firandi Rege Tacanombo , & à F. nostro Ludouico Almeida cum literis syngraphum sumendis ab argentario bis mille aureis ad nauim itineri emendam, si aliunde nulla occurreret, & Firandi iam eius aduentum Gama nuntiat, cum eius Malaca discessum diebus aliquot præuertens Firandum recta tetendisset. Regis porro hæc erat epistola. [Venit P. Magister Franciscus in meum hoc regnum, & nonnullos ciuium initiauit Christiana lege, quod mihi accidit periuicundum & fauere iis pergo, omnemque ab iis iniuriam defendo. Venit postea è Bungo Pater, & meorum aliquos propinquorum, aliosque ex nobilitate fecit pariter Christianos. Dicentem interdum audiui, eiusque mihi semper placuit doctrina, & menti nunc etiam fixa hæret, nec absũ longius à professione Christiana: faciet R.V. rem mihi gratissimam, si me suo aduentu consoletur; nam si parũ alias promissio steri, certo nunc fidei datæ non deero: magnum Deo præstabit obsequium, & excipietur à me omni officio beneuolentiæ & honoris,] cæterum illo Almeidæ syngrapho liberali profusus non eguit Nunnius ad nauim, adeo se multæ certatim accingebant ad Iaponiam, quòd inde Gama totus aurens redisset, omnesque ad eandem cum illo fortunam anhelarent. Dum autem ventos præstolantur, præfixis ab natura anni horis obstrictos, thesauro Nunnius locupletatus est optabilissimo præter omnem expectationem.

12. Reliquiarum nempe theca, Sanciani olim Xauerio mortuo à nauta paupere detracta: multis opus fuit precibus, & spebus ad eam extorquendam etsi simplici ex ære constaret, sed eam nauta vel hoc solum quod Xauerij fuisset pro re sacratissima seruabat. Nunnio tandem illam sed non indonatus cessit, in ea postmodum Cocini reclusa, reperta sunt quorum alias à nobis facta est mentio.

Maio flatus in Iaponiam commodos reddente anno 1556. in illam Sinenisum adnauigata ora se immittunt, & post varios errores applicant, sed longè vterius quam quòd tetenderant, creber illic sermo de regni Bungensis tumultibus, fugatum regem, euersam Funaium, scissum in partes & arma populum, dissipatam Christianitatem, interfectos Patres omnia si minus planè falsa, sed veris maiora. Rex quidem iurato suorum tredecim coactus perduellione, exercitum in eos eduxerat, sed profligatis iis & necatis, eorum ditiones & propinquos, direptione, ferro, igne deleuerat, victoria licet minimè incruenta; sed septem milibus hinc atque hinc peremptis. Hæc dum conquiesceret procella, Usuchi in arce inter montes egregie munita sua cum aula morabatur, leucis ab vrbe septem: fuisseque hanc motuum seriem nostri ex vero didicere, diebus quàm Funaium attingerent quindecim, hoc est ante lunium ineuntem. Inexplicabili vtriusque gaudio multisque lachrimis hæc nostrorum inter se salutatio condita est: nam qui excolebant Iaponiam Patres, nihil ex India de suis fratribus, per quadriennium audiebant, omnesque tunc eo conuenerant, & Amanguccio euersa, iis accesserant

Turria

Turrianus & Sylva. Ex alia parte Nunnius præter spem aspiciebat saluos, quos ad vnum necatos putauerat. Sed hac mutua consolatione bonus tenex Cosmus Turrianus haud paulo leuius afficiebatur, quam dolore Amanguccianæ suæ Ecclesiæ miserabilem in modum disiectæ & dilacerat. Me quidem mei, dicebat Nunnius in Europam scribens, vehementer pudet, retractantem apud me P. Cosmi, & F. Fernandes actus heroicos, patientiæ præsertim ineluctabilis, cum spectarent coram perire sibi ob oculos tot sudores tandiu in ea vinea sudatos; tot conuitia, pericula, & famis sitisque tot ærumnas, cum Amanguccio, quatuor horarum spatio, in cinerem redigi, suisque cum Dominis, & dynastis per varias Iaponum prouincias vagos errare Christianos. Negabat Cosmus sat fore sæculum ad instaurandam Amanguccij pristinam faustitatem; indignabatur ardens aduersus Dæmonem, simul Christianorum suorum casibus mihi describendis, sic emollitus frangebatur, vt si toridem lugeret filios, quot amiserat in clade Amangucciana Christianos; & hæc dolebat in terra aliena, vbi apud quem angustias animi laxaret, præter Deum habebat neminem, cuius arcana, & sapientissimæ prouidentia acquiescebat in omnibus. Aliud tamen ab se non poterat, præter luctum & fletus impetrare, quibus assimilare mihi Iobum videbatur; habebat enim præter suorum clades, etiam quod sibi Amanguccij timeret, mortem in horas à Bonziis aut militibus expectans, omnique aded defensionis fiducia destitutus, vt ipsomet à Rege in tutiora montium fugiente admoneretur quâ posset effugium captare, sibi enim tam sauis motibus, ægre se tuenti, non esse integrum aliorum vitæ consulere. His aduersorum temporum iactationibus tam diris, non fuit angusta Dei manus in adhibenda seruis suis consolatione: eius causa vexati ab eo reficiebantur, arctissima inuicem deuincti consensione caritatis, sensuum diuinorum exuberantia diuites, sibi ipsis viles, sibi hostes & sponte infensi, contemptores omnium caducorum, & vltra quam possis animo fingere obedientes & pauperes, quam sum ab iis diuersus, aiebam mecum sapissimè, quàm procul ab hac illorum virtute, ab hoc vitæ propriæ contemptu, à magnitudine animi in periculis adeundis; ab alacritate ad labores, à tenerritate piarum lacrimarum, quæ in iis mirabar, pudebatque me mei eorum comparatione] referebat hæc Nunnius de nostris qui Iaponiam incolebant. Mendes vero Patres præcesserat Vsichum, vt Regi ex India literas cum muneribus redderet; arma pretiosè gemmata; pannos attalicos, margaritos ingentis pretij, quibus tamen illi gratior accidit P. Nunnij aduentus, de quo vt rescuit, tametsi Funaij nondum erat certa securitatis fides, ed tamen redire voluit legationem excepturus, quam Lusitanis instruere placuit, vt olim Xauerij ad eundem regem cohonestauerant accessum. Dato in aulam die, procedunt quadraginta luxu vestium superbo, gemmis & auro radiati, suo quisque seruorum cum numeroso pone conuitatu, splendide pariter ornato: claudabant pompam iuuenes quatuor Seminarij Goani, serico candido tunicati, cruce

ad

ad pectus intexta signati, tum P. Nunnius suo cum interprete Ioanne Fernande. Venit his obuiam in palatij area nobilium globus à quibus in aulam inducti capacem, ab rege prodeunte accipiuntur humaniter, manu enim prehenfa Nunnij, Pater aduena! inquit, hunc puto in vita mihi summe carum & memorandum diem illuxisse, nam videor tecum P. Magistri Francisci accessu beari denuo, quem ego amabam plurimum, & tanti faciebam, vt nec plaris me ipse facerem quibus] dictis cum illo eiusque interprete conclauē interius subiit, admittis etiam alumnis quatuor seminarij Goani quorum vilus est mirari habitum & ornatum.

13.
Nunnius Regem Bungi ad professiōem dei.

Illic Nunnius quam multis rationibus valuit hominem quaterere, & procrastinantem vrgerē ad sacram baptisma, & professionem apertam Christiani. Datam sæpe ab illo eius rei fidem; ore Patri Francisco Xaverio; Proregi per literas; nunc ab eo de celo, ab isto ex India promissum reposci, ad hoc se Goa ab utroque missum, Beatum vero se si tot periculis hoc assequeretur præmij, vt suo cum Regno tantum Principem Deo consecraret; secuturum enim quo præisset populum vniuersum, qui cunctandi causam in eius exemplum, omnem referebat, promptus alioqui, regem quocumque præcederet subsequi. Quare etiam atque etiam cogitaret, non se modo vnum, fieri reiecti Dei & salutis reum, sed quoscumque haberet suo imperio subiectos. Proin si adeo seueram vel sui vnus rationem Deo esset daturus, quanto duriorē tot pereuntium, cunctatione hac animarum? Ad hæc meditatō Rex [dolere se conditionem temporum miseram qua compelleretur in commodiora reicere, quæ tunc nisi spe perexigua, & grandi periculo tentarentur. Sibi adhuc manus, suorum tredecim sanguine stillare quos morte multasset; non esse cum iis extinctum ignem repressi perduellionis; mense necdum elapso, foueri à multis doloso sopitum cinere, qui si possent priuatos ambitus, boni publici colore illinere, viderique ad arma religionis studio, non regis odio confugisse, habituri essent finitimos reges coniurationis socios & auxiliares; sibi vero prorsus tantum virium non fore, vt illos foris, simul domi suos ab se defenderet. Quid porro inde facturum lucri religionem Christianam si Regem in præsens cerneret Christianum; rex atque ipsa religio regno exciderent; & dicta voto claudens, Det inquit, mihi Deus cum meis pacem, vel securum me faxit, dum me ipsi tradam, non ablatum iri ab eo regnum meum, & ex in eius sum.] Hæc verè locutus sit, aut simulauerit, certè tamen, sed multos post annos præstitit. Tunc vel regni iacturam timeret, vel Epicureæ suæ sectæ libidinibus teneretur, multis licet instantem, optatis vacuum dimisit Nunnium; nec committi cum Bonziis in suo & aulæ confessu passus est, ne turbis adhuc calentibus, belluina capita efferaret; quare bonis verbis repulsam prætexens, postridie in arcem rediit, misso ante discessum nobili qui patrem salutaret, inuitaretque ad agendum secum identidem de rebus diuinis: nunquam tamen vltra verba processum. Ego vero (subdit sui ipsius iam perspicacior Nunnius, quod possit etiam alios facere oculatiores) in Iaponiam

poniam ex India meis cum sociis magna confidentia aduectus Bungenis Regis Christo subiugandi, animaduerti me doceri diuinitus, conuersionem animarum humanis praesidiis, legationum & munerum splendore, & fiducia hominum non stare. Sed esse negotium diuinæ gratiæ Christum miris modis in eorum animo formantis, qui suadenti sancto Spiritui obstinatam mentem non opponunt.

Omissa ergo Bungenium messium inani expectatione, meditabatur Christum in mediterranea Iaponiæ inferre, in quibus de illo nihil esset auditum; inde ad Regem Firandi regredi aquo in Sinis acceperat literas, nisi hoc eius consilium interuertisset nuntius inopinus: cognouit enim ex Guilermo Pereira P. Ioannem Nunnium Barretum fratrem suum Goam appulisse, mittique in Æthiopiam Patriarchæ munitum dignitate. Morbo præterea conficari cœpit, ex victu aspero, somnique incommodis, quem illic humi in storea nostri captant, & in ligno loco cervicalis: valetudine sic affecta & languida, nec deinceps ad opus idonea nauim Goam conscendit Nouembris quarto & decimo, anni eiusdem 1556. quinto quàm Iapones attigerat mensē, & dierum quinque tempestate, inter vitæ mortisque confinia defunctus, februario proximo portum legit: relictis in Iaponia quos secum vexerat sociis, & Seminarij alumnis duobus, admissis in Societatem, à qua vice versa ille tantum olim animorum versans Fernandus Mendes Pintus, infortunatæ illius missionis motor primus ad sæculum defecit, & mare in Lusitaniam remensus errorum suorum texuit, ediditque Oditseam, in qua tamen hunc desertionis suæ & violati Deo societatiue Sacramenti errorem siluit. Goæ Nunnium Prouinciali Gonzalo Sylueria vota quatuor professus, Cocinum Rector destinatur, vbi modum omnem præstantis vt erat operarij expleuit: Mauros & ethnicos, trimestri non toto, solenni baptismo iustravit trecentos & quatuordecim; prohibuitque ab iis iniurias Nairum, & Regis barbari Cocinensis: inspector præterea Trauancoris, Piscariæ, Choromandelis & Insulæ Manaræ & Zeilani, Christianorum emendauit instaurauitque mores. Quod autem in Zeilano domo careret Societas, hospitium illi Franciscani Patres humanissimè præbuere, ac detinere amica vi per aliquod tempus, quo item ab iis compulsus est prælectiones quotidie habere duas, alteram de subtiliori Theologia; de iure contractuum alteram. Exterminauit ex India multos hæreticos, quorum nauatæ nonnulli, libratores alij machinarum, ex Europa Lutherum Indiis inferebant; euicit à Præsidibus nauigationis ne cui extraneo commeatu pateret in Indiam, nisi qui suam Catholici fidem legitimè probassent. Narrantur miræ perditorum ab eo factæ commutationes; multi vt debitam suis sceleribus mortis poenam vitarent, ad Mauros transfugæ; conciliati Deo & Proregi; suauissima eiusdem consuetudinis ratio, nihilo parcis quàm concionibus rem Christi gerebat, tradenda maxime Exercitiorum prima hebdomade, qua tum adhuc dum esset Bazaini, duodeviginti eodem tempore exercebat. Iam in pactis conuentis, quorum est

14.
Nunij ex
Iap. in India
redit. & gesta
reliqua;

Cocini.

Cocini forum India omni percelebre, nihil erat sat æquum nisi quod tale censuisset. Utque ij loquuntur qui de illo scribebant, Cocini negotiatores, lege omnes teneri putasses ad conscientiæ rationes Nunnio explicandas, adeo frequentes & scrupulosè illum vbique consulebant: ex quo idetiam existebat boni ut lites grauissimas, & capitales inimicitias sedaret, communi partium assensu eius arbitrio permitti solitas; ad eum denique priuatim quod spectat, precationis & sacre paginæ studio sex quotidie horas dabat. Annos egit in Societate duodetriginta obiit Augusti decimo, anno 1571. ætatis primo & quinquagesimo.

15.
Varij PP.
casus in Re-
gno Bung.

Reædificata post octauum mensem Amanguccio, sub anni exitum 1556. veniunt à Christianis & ab ipso Rege Funaium tres nuntij, cum literis ad P. Turrianum quibus enixè rogabatur suam ea in vrbe stationem repeteret, & consolaretur dolorem præteritæ cladis. Sed enim Bungi rex, futuri secretò fortassis conscius, moras mensis vnus huic itineri iniecit, aiens fieri posse ut tunc alias iniret cogitationes, & vero paulo post primarius nobilis Morindonus, improuisus vrbi cum exercitu superuenit, eamque iterum direptionibus & incendio perdidit. Rege interfecto, regis nomen & regnum occupat; Patrum ædes Bonzio concedit quas simulachro cuiuspiam dedicaret. Sed Patrum nomine à Christianis deinde redemptæ sunt. Eodem tempore, recentes Firandum operas Cosmus denuo proficisci iubet; Cutanium vero P. Vilelam & Ioannem Fernandem, qui multos breui ab idolis ad Christum traduxere. In iis senex fuit septuagenario grandior, qui ex itinere habere illos hospites voluit: jacebat miser octauum iam annum inutilis, & sic membris affectus ut eorum tremore vehementi omnibus esset miserationi, quamvis pœnam illam plus iusto commeritus, crebris dum iuuentus ferueret homicidiis, & quamdiu in pedes constiterat, incantationum artificio scelerato. Huic tamen baptismus ad collatam animi salutem, sanitatem adiecit corporis, ut firmatis post biduum membris è lecto surgeret, cuius prodigij veritas manifesta, concione quauis ad conuertendos complures ethnicos potentior extitit. Illum quidem in suscepto Christo ita stabiliiuit, ut libellos maleficorum carminum omnes grandi face collectos igni tradiderit, eum execratione diabolicæ quam professus fuerat vanitatis. Neophytorum autem Cutamiensium quàm esset solida, & robusta virtus, præter multa, quæ longum sit scribere, luculenter ostendit occasio ardua. Exigebat ab suis eorum dinasta fidelitatis solenne iusiurandum, inerat ritui superstitione ethnica ad pedes idoli; Christiani omnes conuenerant seorsim viri, seorsim feminae cum infantibus filiis, aderat dinasta cui Sacramentum dicebatur. Huic suo nomine clare denuntiant Christiani, ad stare se promptos ad mortem quamlibet potius oppetendam, quàm ut alium à vero & vno quem colebant Deo iurare sustinerent; quod sapiens princeps, tametsi ethnicus, admirans laudavit plurimum, testatus illorum de fidelitate non esse quod quicquam ambigeret, qui eius nomine illam sibi iurarent cuius offensam morte
quauis

quavis grauius formidarent. Relicto Cutami Villela, & Fernandes, Funaium Cosmo suppetias veniunt, ad nosocomium (de quo paulo ante) restituendum & amplificandum: aliud profecto æque nihil valuit ad auctoritatem dogmati Christiano apud Iapones faciendam præter ministerium caritatis, nunquam illic antea spectatæ, atque illius nominatim quam miraculorum crebritate Deus continuo ornabat. Itaque Meaci, imperij regia; Fienoiamæ, Bonziorum velut Thebaide; & leucis supra Meacum ducentis, Bandi, Iaponensium doctrinarum academia communi, celebrabatur omnium laudibus id nosocomium, cum inæstimabili pretio sanctimoniam legisque Christianæ; nec tamen iusto magnificentius, cum Christus per suos perpetuis illud nobilitaret miraculis: Carcinodes, vlcera, abscessus, & omnis generis vulnera, multos iam annos curationis expertia, paucis tum diebus, tum maxime obuijs tritisque remedijs sanabantur, & quidem numero non ita angusto, quin mensium quinque non integro spatio, ducenti valetudinis desperatæ, inde salui sanique prodirent; fratrum nostrorum egregiæ operæ insigne monumentum Ludouici Almeidæ, Odoardi syluæ, & Pauli Iaponis annorum viginti quatuor iuuenis illic in tyrocinium admissi. Iungebat omnino illorum manibus superiorem manum Deus, vt ea perficerent quæ neque manuaria medicina, cuius tantum non rudes erant; nec simplicibus pharmacis quæ ad manum habebant sola, effici potuissent accurrebatur illuc è longinquis, veniebant nobiles, imo & Bonziji, quibus erant seiunctim melius instructa cubicula. Ex vrbe verò ad signum stata hora, deferebantur in nosocomium curandi, & applicita medicatione referebantur domum. Sed montanos, tribus circum leucis à nostris, requiri oportebat, quod Funaium portari præ inopia non possent. Curandis igitur intra suas domos subsidij aliquid ad leuamentum egestatis, famisque suggerebant, quæ nonnulli haud multo leuius, quàm à morbis subibant discrimen. Et erat in promptu vnde sumptus huiusmodi haurirent, nam præter multos, virtutis egregiæ qui se suaque omnia nosocomij obsequio consecrarant, præterque vltioneas contributiones quas etiam Ethnici, nedum Christiani, sat largas ad hoc conferebant; Rex Lusitaniæ Ioannes pro singulari pietate; & qui Funaij negociabantur Lusitani suppeditabant liberaliter in opus tam pium; ipseque postmodum Rex Bungi, annuos aureos trecentos eidem assignauit, & tacitæ huius fratrum nostrorum prædicationis in fines Iaponiæ vltimos diffundebatur vox, quo verba Concionatorum minimè poterant; quin & illo ex nosocomio quicumque exhibant miraculo sani totidem fiebant Christiani nominis præcones, & suis Prouincijs Deum Patrum deprædicabant magnificè, trahebantque interdum ad eius baptismum, & cultum familias integras; siue ergo ex his, siue ex illis quos in vrbe, Patrum conciones Christo lucrabantur, dies abibat nullus, quo non aut octo vel ad duodecim renascerentur ex sacris fontibus quorum mirificè crescebat pietas, sedulitate Patrum eam Christianis studiis educante. Dominicis & sextis feriis congregabantur ex iis centum, ardenti ad

eos habita cohortatione, redncto sipario monstrabatur Christi pendentis effigies, ad cuius aspectum cruento verbere in se quisque immitis sauebat, & suo dolore, patienti Christo, suisque vnâ peccatis litabat: & sequebantur hinc ij motus etiam Ethnicorum, quin & Bonziorum (qui admitti rogabant ad spectandum) vt sæpè idola pro Christo euirarent, quæ pietatis exercitatio nonnullis item quotidie priuatim cõcedebatur eodem in templo. At si quem aut metus intentatæ mortis, aut quiduis aliud transuersum egisset, in venerationem simulachri, excludebant illum præstantes illi Christiani à suo cœtu, nec recintegrabant prius, quàm in medio ædis sacrae, pœnitentis cultu, cum dolore & lachrymis palam crimen confessus, acri suiipsum flagellatione in omnium oculis illud eluisset. Multis iuuenum in optatis fuit obstringere se publicè, castimonix sanctæ voto, iis potissimum quibus facta erat suscipiendæ Eucharistiæ facultas; quod votum in iis quanquam nostri minimè approbandum censerent, sed erat miraculo simile à Iaponibus id optari, quos docent Bonzij nefarias quoque libidines, pro licitis ducere. Sanctioris hebdomadæ, & Paschæ dies; supplicationes item augustissimi Sacramenti, splendido apparatu, & luminum pompa, ornatuque tempji longè pulcherrimo colebantur, & frequentabantur concurrentium procul Christianorum alacritate rampiè effusa, vt versari sibi inter superos viderentur. Erat enim festis Ethnicorum opponenda maiestas aliqua, & elidenda Bonziorum scelestæ malignitas qui hoc vnum agebant vt Christiana deprimerent, quanquam ij tantum mendacio poterant ad incendendam contra nostros plebem, sibi que addicendam vt magnum diuinæ erga nos tutelæ prodigium fuerit, quod per quinque menses quibus in arce Vsuchi, Rex vrbe absuit, abstinerit plebs à nostris manus, nec illos discerperit. Iterabant enim Bonzij vetus carmen, de esu carniū humanarum, spargebant in rel argumentum ante nostras ædes frustra carniū, & saniem durati sanguinis; vtque olim de Xauerio, ita de Patribus tunc garriebant, dæmones esse humana specie; noctu verò passim minaces per vrbe affigebant cubitabibus notis Epigraphes quibus omnes monebant, nostrorum oculos cauere, vt qui vim haberent fascino; loquentes ne audirent, quippe illorum voce homines incantari; domum verò nostram si pedem inferrent, ne facile fiderent, se vitam ex ea relatueros, execrationibus denique insanis dæmoni deuocbant, quicumque à patria superstitione ad Christianos transissent. His infatuatum cum pueris vulgus, nihil non illis probrosum occentabat, sanguinari os compellans, & dæmones, & quicquid fors primum, vel saxa vel cœnum obiiceret, in eos impengens; nec erat qui eos affatu aliquo dignaretur, nisi tanquam genus scelerosissimum, & vilem nauseam ciuitatis, eoque iam iræ, & calamitæ venerant, vt in singulas noctes expectarent nostri se domi comburendos, quamuis ad illam Christiani, partitis vicibus excubarent. Postremò ne quid bonæ lucis hoc rerum turbido ab hominibus restaret, misit Vsucho Rex ipse ad Patres, vitam quâ possent in tutum subducent,

subduerent, nam suæ se malè securum, securitatem aliis non posse præstare. Verum enimverò vbi placitum Deo suos respicere, continuo turbines in serenum vertit. Quinquaginta millia lectorum militum eduxerat Rex Bungi, ulturus Regis Amangucciani fratris sui necem, rebelles aggressus prælio vicerat; vltusque victoria, & felici ferro, non magno conatu tot sibi regna subiecerat vt potentissimus euaderet Iaponici Princeps imperij, cuius regna sex aut hæreditate aut bello parta obtinebat. Triumphans ergo Funajum Vlucho reuersus apud nostros cœnam cum aliquot aulicis familiariter condixit, vt intelligerent vniuersi quanti eos faceret, & fieri vellet, quod semel quot annis ab eo deinceps factitatum. hinc mensis remotis hortatus est illum Turrianus, ad gratiam illustris victoriæ Deo referendam, cuius ipse officij apprimè gnarus, amplissimam Patribus concessit, disseminandæ legis Christianæ toto suo imperio potestatem, fore siquidem valdè indecorum, regnum suum tam potens, & nobile, eo solo carere quod esset in rebus, omnium optimum, notitia scilicet veri Dei, cuius desiderij sui pignus Facatæ vrbe regni Cicugensis primaria, & Amanguccij, capacissimam aream Patribus donauit, ad ædificandum in ea Christianis templum, & Societati Collegium, reddo hic verbatim exemplum diplomatis Regij ex Iaponico Latinum. [Dux regnorum Zuui (Duces enim ipsi se nominant, nominati ab aliis nisi Reges non ferunt) Dux Zuui, Nagati, Bugen, Achi, Iuami, Bingi, & Bicij. Magnus Dayet, ad cœlum iter donat Patribus occidentis, ad explanandam legem quæ sanctos efficit huc appulsis, vsque ad mundi finem, iuxta illorum placitum Amanguccij magna in vrbe campum, cum priuilegio, ne quis possit in eo vel occidi vel capi, hoc ne quem lateat eorum qui mihi successuri sunt meo isto diplomate confirmo per quod illis perpetua maneat campi possessio.] Obmutuere his Bonzij, quamuis intabescerent animo, & insolentia populi efrænis in reuerentiam versa est, Christi nomen, & fides, magnis accessionibus refluuit.

Erant publicæ res in Iaponia tunc parum fidæ quòd diuisum in multos regulos illud imperium, crebra inter illos æmulatione quateretur, & regni confinis ambitu, alienum ius, suam quisque iniuriam somniaret. Hinc item populus natura ferox, & assuetudine armorum, in omnem belli occasionem irritabilis & pronus, ne suis quidem parcebat dinastis, quos inter frequentes tumultus cum suam Bonzij aduersus Christianos miserent rabiem, plebesque in eos concitarent, alternabat Christianitas aduersis, & prosperis, inde prope stirpitus hodie reuulsa, vbi nudius tertius triumphasset. Eiusmodi fuit Regni Cicugensis, & paulo ante Firandi conditio, illuc Gaspar Villela cum fratre Guillelmo à Turriano destinati anno 1557, tantum anno non toto promouerunt, vt præter alios, semel triduo vno, sexcentos ritè comparatos solenni Baptismo abluerent. Inde Tacusciam, & Ichiceuchim insulas deuecti, leucis à portu vna & altera, Euangelio salutis cœpere, illas imbueret, tenebat illas in sua ditioe ex Regis Firandi

16.
Insulæ dux
ad Christū
conuert. Fir
andensis
Christ. vé
xaput.

proceribus aulicis Christianis Antonius nomine, sed in Christi aula multo præstantior, & eius honoris ardenti studio, cessurus nemini. Nostri illuc dux ipse fuerat, & iuncto cum illis Euangelici præconij labore, suos ad fidem hortabatur; suis sacro ex fonte offerebat se patrem lustricum; suis ipsemet per sese probitatis, & officij Christiani præfererebat facem. Suorum trecentos supra mille bimestri spatio, gaudens vidit, Dei domesticis adscribi; sed quorum numero, virtus excellentior certaret. Quæcumque domi vel in fanis prostarent simulachra foras protrahere, & contumeliis omnibus deturpata, mari partim sepulta condere, partim congesta in acervos cremare; vbique cruces statuere; euersis fanis minoribus, tria præ aliis sumptuosa, Deo, sanctæ cruci, Angelorum Reginae dedicare. Firandi similiter crescebat fidelium numerus; fratris Guillelmi quotidianum fuit pensum, viros, & pueros per urbem quærere, & Patri Villelæ auditorium cogere. Accidit quandoque vt inter alios veniret auditurus puer, ætate admodum tenera; is Deo instinctus, candidam animam ad multorum salutem sibi asserente, concione dimissa restitit, & sacrum baptisma cupidè flagitauit; negauit Pater tunc posse fieri, ratus puero eius aratulæ, pondus tantum perperam committi, redire pergeret ad mysteria fidei paulatim ediscenda; verum is actus dinino spiritu, longè constantius quam pro puero respondit, nunquam fore vt illinc amoueretur nisi Christianus. Quare illum Pater quantum res posceret institutum vitæ aquis lauit, pretium operis ex eo aliud non sperans, nisi vt viueret optimus Christianus; at grani tam tenuis fuit satus longè fecundior; die proximè sequenti ad Villelam redit, parentem vtrumque, sororum & fratrum cateruam benè longam secum ducens, quibus diei vnus discipulus, Christianæ legis magister, & auctor, & suator fuerat efficacissimus. Hos incredibili gaudio Apostoli pueri, Villela baptismo expiauit. Tam faustis initiis cum addi nihil posse videretur, emissarios suos ad ea elidenda concitauit dæmon, dissimulante prouidentia diuina, conuersionem regni vniuersi pariter elidi, ex iis alioqui breui secururam, & quod ait Rex Vates, indeprehensis curiositati nostræ vestigiis maria calcante, viderunt Bonziji ruina illa fanorum quam diximus, & simulachrorum, in contemptum populi se trahi; à vulgo puerili, passim ludi, & dictenij peti; perire sibi duo carissima existimationem, & lucrum; vtriusque defensionem se accingunt, consultantque imprimis quem possent de suis, in disputatione Villelæ opponere Placuit iis Firagadaches nuper nominatus, inter eos antistes, & supellectili scientiarum omnium apud illos grauis inuitatur, promittit, sequuntur palam prouocationes, in diem & locum condicitur, coram frequentissimo, siue auditore, seu spectatore confligitur. Pugnae argumentum qualenam fuerit, non produnt tabulæ; sed habent Bonziji nec ea doctrina fuisse vt aduersus Villelam in gradu maneret, nec eâ modestiâ vt duraret ad plausus quibus Christiani victori suo Villelæ fauebant, erupisse in dicta, & facta, visu & auditu fœda; verba impia in Deum, & qui à Deo starent vomuisse, moxque rabie tumidum abscississe.

scēssisse. Causa inde communi in suam transuersa, vlturusque magis priuatum dedecus, quàm religionem; vi sibi statuit agendum quæ sola supererat; decreta suorum consiliis Villelæ pernicie, ad hoc regni tres eximios proceres arma poseit, nihil addubitans quin Patrem optimum armis suis, tecturi essent Christiani. Securus procerum in publicum exiit, de Christi lege, & Villela, fanda nefanda ad sollicitandum populum buccinat, quoad furere pergentem abruptit Antonius; ille quem memorauimus illustris Christianus insularum duarum dominus, cum F. Guillemo. Interpellatur ab iis magna voce, elucidandum quærendo verum; non calumniis opprimendum. Si erat falsa, si vt exprobrabat, impia Christianorum lex, ipse in stadium vir scientissimus omnium per se proferret, argueret, reuinceret, errores extricaret. De flagitijs vero, quæ immania & abominanda Christiano candori affingebat, quæreretur idoneis testibus; cognosceretur coram Rege, & iusta sententia ferretur; nam si abstineretur à vero inquirendo, ne damnari non posset inuentum, quo illæ spectarent intemperatæ declamatoris furiosi? Secutum ad hæc populi murmur ambiguum; abijt Bonzius: arma Ethnici, & Christiani parant. Die postero tres de factiosis Bonzij celsam crucem ab imo cædunt, ad quam consueuerant Christiani solemniter supplicare. At his tacentibus, in auctores suos sacrilegium rediit, tam festinato quidem supplicio vt non ambigeretur cœlitus inflictum, duo enim ex illis super cæsa cruce haud scio qua causa rixati, iisdem se gladijs quibus crucem violarant, mutuo confecerunt; tertius ita euauit, vt de ipso nihil vnquam rescitum sit, biduo post dæmon puerum inuadens illius ore vociferabatur se tribus ad crucem restitendam fuisse suaforem, seque propterea miris modis torqueri; quibus cum populum Bonzij cernerent valde commoueri, puerum alio vel ipsi traiecerint, vel interfecerint, certè deinceps nunquam apparuit. visæ quin etiam de cœlo fulgere cruces, aliaque portenta de quibus nihil additur, nisi fuisse formidabilia. His tamen Bonzij nihilo facti meliores, proritando populo tam dirè institerunt, vt regno, & capiti Rex ipse metueret, rogaretque per nuncios Patrem tempore cedere, & recipere se extra ditionem, quare Facatam, & inde Funajum se transtulit, ne Firandi causâ sanguinolenti conflictus inuentus præberet, hic verò barbari, seu Regis fauore seu metu freti, cruces refigere, ignique absumere; sacram ædem suo cum altari subruere; pias imagines in Dei opprobrium lacerare, ac sacrilegam secuti victoriam Christianos demum nullis non artibus vrgeret ad repetendum idolorum cultum, sed pulsatis iis omni genere machinarum, ne vnum quidem mouere valuerunt, imo & ab Rege ad hoc violentis exactionibus oppressi, confluebant nihilo segnius ad publicas preces, supplicationes, flagellationes & reliqua omnia quæ possunt peragi absque Sacerdote, aliam sibi crucem edito in colle, vrbisque prospectu, longè conspicuam posuere, & armatas ad illam custodias quæ iniuriam hostium ab ea prohiberent; ad eam quotidie albente cœlo, longis ordinibus, itemque sub vesperum procedebant, orabantque

coram diu flexis genibus, in hac assidua venerandæ crucis adoratione, peculiare prorsus fuit mulieris studium quam in seruitute habebat vir Ethnicus; eam ob rem furtim, domo in collem excurrebat, pietati suæ quantum dabatur obsequens; quo herus comperto, acciri hanc iubet, adstanti que indicit Christianismi abnegationem; illa intrepidè, se Christo nomen ea lege haud quaquam dedisse, ut eius unquam desertrix fieret; herus graues pœnas, mortemque ad eò minatur, si ad crucis venerationem, domo exinde pedem ferat; sed frustra minæ hominis insani; postridie manè, idem officium sanctæ cruci mulier exsoluit, prætolatur barbarus redituram, via media interceptam stricto ensè vociferans petit; sed nihilo quam pridè territa, velut mortem ex illo pro Christo quæreret consistit, apertat vulneri collum, & ferrum piè & fortiter excipit, quo illi à crudeli hero caput abscinditur, Christiani funus pompæ honoribus decorant tanquam primitiuum martyrij germen ex illa Ecclesia prouenturi.

17.
Facata capta
nostri pulsi,
& capti.

Is erat Firandi rerum status; Facatæ haud multo melior, vbi Baltazar Gagus cum fratribus Guillelm. & Fernande ab elapso anni 58. Pascha, fundando Collegio incumberebat, iamque anno non solido florentem cernebat Christianitatem, ministerio suo satam, quam vidit etiam repenti destitueret & exarescere. Præfectum vrbi Rex Bungi dederat ferocem hominem & vulgaris quoque prudentiæ rudem, cui cum Regi nouo conciliandus esset populus bello partus, omni studio popularitatis, & benignitatis; obruebat illum proritabatque tributis immanibus, & asperitate genti bellicosæ & liberæ minimè toleranda. Nonnulli ergo nobilium qui plus viribus pollebant, coniurati hoc iugum excutere, & libertati patriam reddere, de suis, militum duo millia colligunt, & ann. 1559. in eunte improuisi adsunt, urbem aggressuri offensione iraque semiuictam; ciues tamen exciuit ad defensionem, metus incendij, & direptionis, carebatque successu tumultus, nisi prodicione Bonziorum, nocte intempesta, portæ hostibus patuissent, vrbe capta, Præfectoque occiso; non dubitarunt nostri de se actum, vulgabat enim à Bonziis rumor, quancumque in urbem subirent Patres, eo secum bella stragemque inuehere; documento esse Amanguccium bis crematam, Funajum madentem suorum sanguine, Firandum tantum non Regi suo rebellem, tunc verò Facatam æterna eatenus fruentem pace, beneficio Deorum; in præcipitium & cladem vergere, ex quo Patres tentassent, religiones eius auitas conuelleret. His acceptis Gagus ex templo F. Ioannem Fernandem, transmisit Firandum, & supellestem cum eo ædis sacræ, & pueros aliquot Christianos facris solitos ministrare. Gago ipso quid factum postea, non potest certius quàm ex ipso sciri, eiusque quas subiicio literis. [Ego, inquit, cum

cum F. Guillelmo, & Christiano Iapone cui Syluestri nomen, de Christianorum consilio nauim conscendimus quæ leucis ab vrbe duabus stabat in anchoris. Nauis Præfectus postridie vt hostem cognouit à quo ipse stabat, potitum vrbe, neci nos destinat, sed rebus primum omnibus spoliat, vitam quoque illico erepturus, nisi eam seruasset alicui venalem. Mortis interim ingerebatur imago multiplex, inuentabatur nodo pectori ferrum; consultatione crebra, & varia vitæ nostræ alea iactabatur, hanc sibi nauæ lethalem putabant, si expilatos in viuis relinquerent. Præfectus contra solus volebat superstites, quæstum sibi ex nobis ingentem pollicitus; reliqui omnes ad necem conclamabant, quam dum operitemur in momenta, salutem animæ oratione sedula à Deo precabamur. Porro Syluester Iapo, qui conscendere nobiscum voluerat, rogatus à nobis vt se periculo cum facile posset eximeret, persuaderi nunquam se passus est, aiens ratum sibi esse nobiscum mori, vbertinque flens, & singultans dum nautas audiret consulentes, de nobis è medio tollendis. Nautarum quin etiam reiecit gratiam, deferre se in littus volentium, vt palam sit rerum suarum iacturam quantum facilius tulerit, etsi nihil ipsi præter indusium reliqui fecissent. Hoc in agone quadriduum egimus; inde Facatam Præfectus significat hostibus teneri nos captos, iique nostræ domui iam fundamenta reuulserant, ædem verò sacram partim incenderant, partim euerterant; vt verò de nobis venere nuntij, scaphæ quatuor armatorum continuo aduolant, piratarum magis quam militum, qui nobis dum vident nihil esse residuum præter laciniam pannorum veterum, cum Præfecto iurgati, partem prædæ ab eo extorserunt; scæx vilis plebeculæ milites secuta, illa nobis etiam detraxit quibus tegebamur, præter subnuculæ lineæ segmentum lacertum, maluimus tamen prædā militibus fieri, quam esse in arbitrio nautarum, à quibus deterius canibus habebamur; redibamus igitur cum militibus in portum, vnaque vix ab eo leuca, occurrit præcipuæ notæ vir, cui vt eram notus miserationem, mei aspectus mouit, vidensque seminudum veste me donauit, sociis etiam quo se contegerent aliquid tribuit. Exscenderamus Facatæ in littus vbi nos præstolabatur crux, quam ille dies, hebdomadæ sextus nobis reuocabat, accurrere milites qui remanserant in terra; litigare cum iis qui nobiscum appulerant, de prædā & partem eius sibi vendicare. Nos verò conferta in turba spectaculo esse concurrentibus ad videndum, clausis interim portis ciuitatis, & custodum præsidio munitis. Institere millies, ad exprimendam à nobis pecuniam, intentis alij ensibus; lanceis alij, quibusdam ligare volentibus, & secum in seruos abducere. Nec decrant quibus fixum erat nos statim conficere: sed inhibebantur ab aliis; tandem veluti specu

cauato.

cautato in aggere claudimur, quo portendebatur vicina mors, & audiebamus foris confluentium vndique clamores, & strepitus, præsertim militum, ad necem, ad lanienam, ad supplicia facinorosos & regnorum euerfores vociferantium. Adfuit paulo post, auctoritate aliqua miles, productos è specu stricto ense interrogat vbi aurum? Cui, vides, inquit, ad extrema omnia redactos, & de auro quæris? his paulum repressus ad Magistratum Vrbanum misit, nobis quid fieri iuberet? Syluester inter hæc vrbis ingressum nactus, Christianum, virum illustrem adit Ioannem nomine, docetque de nostro periculo, ille bonâ cum Magistratum venia quibus erat amicus, & familiaris, ex templo ad nos venit, & magno comitum strepitu foribus obstantes dissipat, eorumque manibus exemptos, vestibus induit quas secum tulerat, & domum suam ducit, vbi omne nobis caritatis officium exhibet, fide interim Magistratibus data, tuto nos apud se asseruatum iri, quod autem à nobis nescio quo pacto aberrans Guillelmus, in partem prædæ militi venerat, hunc Ioannes eo ipso die, viginti aureis redemit. Decem apud illum exactis diebus, alteri Christiano à Consulibus permittimur à quo domi conclusi, tres menses custodimur, in horas suspensi, an vt rumor ferebat, essemus ad supplicium raptandi, haud tamen penitus omni solatio hæc molestiæ caruerunt. Nec enim modo Facatæ Christiani affatim omnibus ad victum necessariis nos iuere, sed Firando item ter quaterue ad nos farinam, orizam, piscem, & vestes attulere, imo, & mensas & discos Sinensis operis, tam officiosè, & liberaliter vt metuerem, ne mihi ab hostibus periculum crearet profusa illorum benignitas, & ad eam animaduertent. Facatæ de nobis, in longum ibat deliberatio; & nostram interim Christiani libertatem, & vitam, atcanis inter se artibus meditabantur hosti eripere, quod scilicet ab iis præstitum, cum illucescente die quodam, clam cunctis hostibus vrbe nos tandem subduximus, & Burgum terra periiimus. Funajo adhuc aberramus vltra milliaria viginti, cum Rex, & aulae Regiæ Principes magnam nostro aduentu præ se tulere lætitiâ; complures fidelium illinc obuiam properarunt; alij per viam variis stationum digesti interuallis, constitere, vino, & bellariis recreaturi transituros, & præbituri vmbellas ad frangendum solem. Omnes nostro conspectu, & præsentia gestire; flere præ gaudio; manus & oculos tollere, rogitare de nostris casibus; & nostræ liberationis, affectu in nos tam intimo gratias agere vt quicquid fueram malorum perpeffus, tunc pro somnio haberem. Postremo ab vrbe propius, & expectabant matronæ Christianæ cum suis ad manum, & inter brachia filijs paruulis, & prosequabantur hilaritate religiosa accedentes; nam de Patribus nostris, non possim quod satis sit referre. Benedictus Deus cui seruire, verè regnare est.] Hæc de calamitate sua, & liberatione P. Baltazar. Gagus.

18.
Villæ Fie-
noiamam
navig. & pe-
ricula.

Verum enimvero machinamenta Bonziorum dum admouet Dæmon ad excludendum Prouinciis aliquot Christi regnum; Deus aliorum, item Bonziorum, ministerium minimè dedignatur, ad pandendos Euangelio aditus

aditus, in regna sine comparatione ampliora, & nobiliora, sita est à Meaco & Bungo, Fienoïama milliari quadringentesimo trigésimo, & eo longius; illa inquam tantum celebrata Iaponis Fienoïama; lingua illorum Mons igneus, tam circum porrecto ambitu, & capaci ut regni partem efficiat, cuius residua campis immensis montem cingunt; sed horum partem ad montis radices lacus tenet in centum milliaria protensus, latus autem viginti, ubertate aquarum perenniū, & piscium diues. Persperfus vndique mons scater Bonziorum cœnobiis sectæ omnis, & fuit cum tria millia censerentur, nunc ægrè sexcenta, ex quibus multa ripam obtinent lacus monti proximè obuersam, quæ Samotum nominatur. Erat hæc tanta Bonziorum, in Iaponia, ut foret nunc inter Europæos academia Doctorum innumerabilis, nisi quod omnes Ordinis alicuius religiosam profitebantur superstitionem. Distinguebantur gymnasiis, sectis, Magistris, discipulis, doctrinarum curriculum, & litterariis gradibus, quibus erat ascensus ad supremam vnam, & principem omnium dignitatem. Eò famam legis Christianæ rerum nouitas diuinarum, & Christianorum sanctitas miserat; sed desiderio incensus de his amplius cognoscendi, sapiens Bonzius, auctoritatis inter primos & scientiæ nomine venerandus, literas dedit ad P. Turrianum, rogans cum per ætatem decrepitam non posset ærumnorum illud, & immensum iter Fenoïama Funaium suscipere, Fenoïamam ipse se conferret; nam si orbe ex ultimo venerat, ad manifestandam Iaponibus veri Dei scientiam, & cultum, certo eius iter non fore vacuum, & inane, si eò vsque pertingeret: ad has Bonziji literas Cosmus & ipse decrepitus, & nostrorum obstructus gubernatione, & regnorum Scimi alenda Christianitate recenti adhuc & tenera; quòd præstare tunc aliud non posset, respondit Bonzio caractere, & lingua Iaponum, summam fidei & legis diuinæ, meditata complexus epistola, quam cum aliis literis ad eum misit, quibus illum Bungenfes Christiani plurimum hortabantur ut Christo se dederet. Secutis inde Firandi tumultibus, & regni Cicungensis, cum inde nostri ut diximus Villela & socij, Funaium se se recepissent; Cosmus ad se illos tanquam cœlitus missos arbitratus, nempe veteranos, duratos periculis, experientia, & labore; cœpit de Fenoïama, & Bonzio suo cogitare, seu de Meaco potius, quòd si semel Euangelium penetrasset, pronum foret breuissimo tempore, illinc in omnem Iaponiam diffundi. Est enim Meacum ciuitas, non modo impetij parens, verum & magistra, & omnium quæ ad cultus Deorum pertinent dictatrix, & arbitra, ita ut quicquid religionis, & rituum, censuræ legitime probaretur examine, nefas sit à quoquam in posterum reici, vel de vsu illius dubitari. Cosmo igitur decretum cum esset expedire operarios Meacum, post eorum delectum diu multumque à Deo precibus postulatum, Villela designauit, adiunctis illi Iaponiis duobus iuuenibus, quorum alteri excepto societatis habitu omnia inerant ut accenseret inter nostros posset. Nihil cunctatus Villela, raso capite, & barba Bonziū induit, ornatu

illo tacitè professus hominem se esse literatum, sectæ suæ doctorem, & magistrum; quod imitari sunt deinceps alij, & ij potissimum quos inter Brachmanes India tenuit occupatos, de quo aliqua se dabit disputandi ansa commodior. Dissimulato in hunc modum cultu, proficiscitur Meacum Septembri mense anni 1559. [Mare, ait ipsemet, conscendi, spe omni vitæ penitus abiecta, ob infestum iter grassatione perpetua piratarum qui omnes insuper id habent vt seruitutem studiosè dæmoni seruiant. Ibam fateor afflicus, & meticulosus; sed videbar precando videre Xauerium (& planè coram spectabilis aderat, qualis dum viveret) qui ore hilari, opem mihi spondebat suam; ex quo menti redibat alacritas, & desiderium vrbis ad quam mittebar subeundæ] prorsus tutela mirabilis quæ periclitantem continuo seruauit semper incolumem, palam fecit, non fuisse id visum imaginosi capitis, sed verum. Erat nauis dominus homo scelerosus, insuper Ethnicus, & vtroque versum dæmoni aptior ad cœpta disturbanda quorum euentum formidabat. Leucis septem vix dum benè confectis, ventus simul cum sole occiderat; angustatim malacia nauis, mittere qui stipem à vectoribus corrogaret, in idoli templo dedicandam, vt mitigaretur ea stipe, & flatus secundos suscitaret; vectores contribuere roganti, ad Villelam venit; at is manu retracta, fidenter pernegat posse dæmones, seu (quod idem erat) cuncta Laponiæ simulachra venti suspirium aut dare aut tollere, Dei vnus opus esse quem ipse adoraret, cuius imperio famularetur cœlum, & obsequerentur elementa vtpote omnium conditoris. Hæc ab exactore perlata denunciatio, nauim totam in Villelam conuertit, & post sexcenta in eum probrosè iacta, & iniuriosè inflicta denique statuunt, cessatione venti se crimen luere quo impium hominem in nauim sustulissent; proin abiiciendum in litus esse, mirum certè primo illo in æstu non fuisse mari à furentibus sepultum, sed reduxit ventum sol oriens, non tamen diuturnum; hunc dum prosperè sequuntur, interuertuntur ab alio, ad proram rectâ propemodum spirante, & fuit quadriduum obliquis flexibus declinandus regressus nauis ne passum quidem prouehente, quoad fracti conatu irrito, compulsi sunt milliaribus aliquot iteratis in portum subire non multum distantem; & dies præterea decem illic mare commodum expectare, incredibile est quàm crudeliter, & indigne patientiam Villelæ excellentem barbari homines dum in nauis fuit excruciauerint; pungere, tundere, conuitiari, victum omnem auferre, lignorum strue quam prolecto ad somnum habebat, in apertam noctem sub dio extrudere, donec illum tandem in portu quem diximus suis cum sarcinulis in litus eiecere. Vento tamen post afflante propitio, cum nauigium aliud nullum esset, prece, & pretio extorsit. Vt nauis denuo receptus ferretur in portum leucis seiunctum duodecim, vbi omnino ab iis abiectus est. Frequens erat is portus nauibus, multæ in procinctu ad iter Meacense, nulla earum Villelam admisit; quod inuisum nauarchis, & timendum scelerati homines fecissent, & admonuissent singulos

gulos quantum se suaque nauigia salua uellent, tantum se ab eo transuehendo abstinere, narratis ad hoc quibus conflictati essent infortuniis quorum unam & certam deblaterabant illorum causam extitisse. Verum Scirpo illac transeunte, paucis onusto uectoribus, apud eius nauarchum, plus metu pecunia potuit, in eum sublatus Sacajum peruenit, non modo celerius nauigiis caeteris quae portu citius soluerant, sed fortunatius; nam mioparonum piraticorum insidiis deprehensa partim capta sunt, partim uero disiecta cursu aberrarunt. Has leuiorum forte successuum referre minutias, non putauit fore superuacaneum, ut qui praeter conuersiones regnorum, & regnum in hominibus Apostolicis nihil mirantur (qui saepe minimus eorum labor est) discant quam caro illas emant, & an possint ea ministeria committi praeterquam heroibus, se vitamque adeo pro Dei honore, & salute proximi exosis, quod potest sola vis praestare inuictissimae caritatis. Est enim, ut idem notauit Villela narrans quae sibi Meaci contigerant, est profecto res longè diuersa, mors longinqua, & praesens; cogitata & in oculis posita; quae tamen suae praesentiae horrore infringat animum, nec Dei fiduciam minuat, nec declinandos scopulos, carcerem, gladios, furorem populorum & mille quotidie pericula, quietionis uitae cupiditate persuadeat. Sunt haec rarae uirtutis, & arduae, sed cuius nulla pars debet iis deesse, quos Euangelici praeronij generosa maiestas in longinqua & barbara legatos mittit.

Sacajum Villela tetigerat duodeuigesimo Octobris, inde breuem post moram paucorum dierum Sacomorum ut uenit, nihil antiquius habuit quam ut Bonzium requireret, cuius gratia iter susceperat. Sed didicit ex alio Bonzio nomine Daizembo, item sene, ipsius olim discipulo, uita functum in professione fidei Christianae, & donec eum uox, halitusque deficeret, contestantem se mori Christianum, & certa fide mysteriis omnibus credere, quae à Turriano per literas fuerat edoctus. Petiit Villela ex eodem in coenobium aliquod induci, & fieri sibi cum eius Bonziis loquendi copiam; excusauit ille, se tanti non esse qui hoc posset; semel audiuit cum suis decem discipulis explicantem diuina mysteria, iisque adplausit; & asserenti Villelae Deum esse unum omnium conditorem; animique immortalitatem; & hoc, in se secreto in aurem, Bonzium nostri palam docent, re ipsa nullo modo credunt. Illorum hoc inter alia est arcanum, Deum, Paradisum, inferos, umbras esse meras, & fabulas ad continendum reuerentia populum adiuuentas, & domandam ferocitatem vulgi, ego uero, aiebat, de iis haudquaquam dubito. Sed haec ille in aurem; nam iis infelix ad baptismum minimè inductus est, causatus à Bonziis se necandum, si quid eiusmodi de se comperissent, ac ne apud illos suspectum se faceret, Villelae congressum deinceps subterfugit, quare hic in montem Fienoiam se contulit, tentauitque à quodam publici iuris ministro impetrare ut sibi liceret cum doctissimis Bonziorum de religionis uerae natura sermones conferere; uerum is facturum negauit, quod eae quaestiones non essent Bonziis placiturae; recepit tamen se perducturum

19
Villela
Meaci Christi-
um auuic.

ad videndas omnes academiæ illius exedras; quæ gratia cum esset venalis honorario aliquo sumptuoso, quo locus ille donari solet; eam Villela libenter ei condonauit, & ne diutius tempus illic & operam teneret, Meacum contendit, ubi ante omnia Cubosam se sistit Tenzæ domino, & Iaponum Monarchæ; præterque spem & morem accessus ad illum tam faciles, tam humanos affatus reperit, ut libatam pretiosi liquoris pateram illi porrigeret hauriendam, dignatione ut valdè insolita sic admodum illustri, & promissi fauoris erectum fiducia ab se dimitteret, quare absque mora crucem manu tenens prodire in publicum; vbi cumque maior ciuium turba occurreret, in eam se dare, & insinuare Christi nomen, & legem. Magni principio, & diuersi eorum motus, qui magno numero statim auditorium conflarunt, partim audiendi curiositate, partim libidine impugnandi. Et si autem illa Euangelij semina, solum nacta saxosum & sterile, præter conuitia, & iocos serenti nihil retulerint, verum aliquo suo fructu minimè caruere. Meacum enim ex templo passim peruasit fama, Bonzium aduenam ab occasu aduectum, nouæ legis præconem & magistrum, tam reconditis incoctum doctrinis, ut vnus contra omnes staret Iaponensium sectarum Coripheos, qui ausi cum illo manus conferere, quam audaces in campum se miserant, tam muti, & explosi ex eo recesserant. Re ipsa os publicè vix aperuerat, cum circumstiteret hominem Bonziorum turba, & dicta refellere certatim contenderat; sed responsiones acceperant adeò præter expectationem appositæ & firmas, ut sigillatim elingues discederent, quibus tantum aberat ut verum quod inficiari non valebant faterentur, quin efferabantur potius probroso dedecore, quod apud populum subibant, cum sint simul omnium scientiis atque ingeniis, sustinere non possent certamen extranei homuli; hoc est apud Iapones barbari, & vilis, ut qui se florem generis humani, & mortalium primos armis & literis arbitrentur, nisi si quando iis lubeat de Sinis quam de se meliusculè sentire. Ommissa ergo disputatione, assueta tela Bonzij acunt, mendaciorum & calumniarum; redit cantio vetus de carnibus humanis; nominantur testes qui viderint ex Patris hospitio proferri ossa infantium; denuntiatur cita mors locatori, nisi quantocyus inquilinum illum eiiciat; accurrit locator pavidus, migrandum indicit, lentius conuasantem, quod non ita facile ædes conductitias inueniret, furens stricta machæra illum adoritur, vixque ab eo interficiendo se inhihet, quæ narrans Villela fatetur ingenuè imminente capiti nudo ense, cohorruisse ad periculum tam præceps & subitum; sed ait paulò post, Deum pro sua sapientia volentem nos esse nostri nihili conscios, & suæ qua sola nitimur virtutis beneficiæ, tantos sibi deinceps fecisse animos, ut nulla sibi obiiceretur mors, quam non amplecteretur absque vllò metu. Pulsus domo pessimi hominis aliam conduxit, si tamen aliã quæ præter parietes vndiq; apertos nihil haberet, mirè idonea ut ait, ad Christi cunabula meditantibus exprimenda, quod stabulū magis repræsenteret quàm ædes habitandas, idque media hyeme; Meaci, ob montes quibus cingitur, frigidissima, & frustra Bonzij exturbare illum

hinc

hinc quoque nisi sunt; tres menses illam incoluit, iis nequicquam fremen-
 tibus, quòd sensim radices aliquas hac occasione mitteret Christi religio,
 aduentium prima frequentia omnis generis homines acciuit, ex æquo con-
 tumeliosos, & aduersarios, iuuenes, inquit, pueros, senes, profanos, Bon-
 zios, etiam feminas, qui velut dæmone correpti, quicquid concipere infame
 & propudiosum poterant, insanis clamoribus in eum euomebant, &
 vociferando fessi, lapidatione tragœdiam clauderant, sed neque propterea
 statione se mouit; nec intermisit conciones ob valetudinis grauitatē, quam
 è somno, vda in palea, sæuiente bruma humi capto, & esu herbarum absq;
 alio cibo contraxerat. Enimvero Deus molesta primordia, lato post hæc
 progressu pensauit. Pauci quidem exinde initio clam & noctu ad eum adire;
 post multi, & palam, & simul; pellicente demum diuina gratia quos
 designauerat ad cognitionem summi veri, quindenī & viceni sacro fonte
 lustrari; neque modo ex vrbe, sed ex minoribus viculis, quibus montes
 perspersi, rusticana gens festinare ad cognoscendum de hac noua lege,
 quæ suis sequacibus beatam sponderet immortalitatem. Nobilium denique
 non pauci tameris lentiùs ad baptismum, & morosius festinarent,
 verùm de religione Christiana, & sentiebant magnificè, & erant animo
 Christiani. Eminēbat in his Mioxindonus, fama notissimus, inter pro-
 cures aulæ Princeps, de quo dicitur alias pluribus, impetrauit hic Patri
 ab Imperatore fixam Meaci commorationem, diplomate regio stabilitam,
 pœnisque sancitam in eos grauissimis qui ausi essent ei re quapiam
 nocere, Bonziis rescripto paulum cohercitis, ea fidelium accessione aucti
 sunt Christiani, vt oblati illorum muneribus coemerentur ædes amplissima,
 quarum pars optima in templum Deo dicata est, iuter lustrationes memoratu
 dignas quæ ibidem peractæ, illustris fuit, & exemplo potens, viri principis
 Amangucciani qui se patria incensa illuc receperat. Ichimacam vocabant,
 familiares secum decem ad baptismum adduxit, viamque ad Christum referauit
 nobilitati Iaponicæ, quæ pro innatæ superbix fastu, erubescēbat legem
 profiteri, cui præter plebeios adscriberetur nemo. Plus habet mirabilitatis
 Bonziorum quindecim ad Christum accessus, qui multis lachrimis pristinae
 suæ cæcitatē pœnitentiam testati, fabularum suarum lacerare libros; aliqui
 vxores duxere legitimas, nonnulli vitam cœlibem & castam adamarunt.
 Duo etsi valde ab simili, sed singulari prorsus modo vocentem Deum
 secuti sunt, alter nomine Chenchius, magnus inter Bonzios contemplator,
 annos quadraginta solitudinis incola, meditationū auctor, quæ mole
 grandium confarcinat. voluminum pro canonicis legebantur, vt quæ
 superstitionis Meacensis auctoritatem Theologicā præferrent vniuersam:
 accessit ad P. Vilellā magno fastu se portans, & interrogauit, an esset
 illi notus? notus, aiebat, qui fuerim priusquam nascerer, qui nunc dū
 viuo sim; qui statim post mortē futurus? nec peto vt hæc me doceas,
 mihi enim sunt exploratissima, sed volo animi gratia, fabularum
 quas dicunt circūferre te ab vltimo occasu, vnā aut alterā audire,
 age itaque, & his simul confedit, significauit homini Vilella, petitione
 hac

nihil sibi venire gratius, & quantumvis diffideret in mentem bestia opinionone sui distenta, ac tumida, posse aliquid diuinum subire, orsus est tamen dicere, sed longè de aliis quàm quæ expectauerat Bonzius, de suppliciis ignium, quæ adoratores alterius quàm veri, & vnus Dei, æternum manerent, & legem aliam docerent præter Christianam; de supremi iudicij pauendo examine; & similibus Euangelici oraculi effatis, quæ possunt ad sanandum stulti capitis cerebrum pro helleboro esse, & hæc ea rationum efficientia pietatisque dixit, vt qui ad arcana Christianorum irridenda venerat meditatus, sua è contrario risu digna animaduerteteret; colorem iam, & vultum & sermonem mutaret, admirans, & quaerens, de variis prout inciderent doceri, quod pro indicio spiritus diuini, animam illam sibi asserentis, acceptum Villela, vrgere acritis perrexit, & palam facere quàm esset sublimis de diuinitate, Christianorum sensus; etiam naturæ rationisque iudicio; contra Bonzij de Deo quam indigna, & ab sensu quoque communi aliena sentirent & dicerent. Post hoc aliis inhærens eiusdem veritatis, & efficaciam explanandis, non prius absoluit, quàm fateretur Bonzius se esse Christianum. Volumina omnia suarum contemplationum, lucubrationem solitariam annorum quadraginta combussit, baptismo tinctus est, & quocumque pertigit rei fama, maior quouis ostento habita est, euocauitque alios Fienoiama, & aliunde, sectarum magistros præcipui nominis, vt cum Patre Villela de religionibus confetrent, vnum præ cæteris inter suos sanctum, quod carne, pisce, & leguminibus abstinens, solis vitam foueret herbis, & xerophagia fructuum; vouisset præterea Fochecios (quæ Zachæ sacra scriptura est) se centies millies si tandiu viueret, docturum gratuitò, nec alio quàm salutis suæ studio, & mercede. Hic decennio ante quàm intrasset Meacum Villela, visus erat in somnis videre sapientes viros, ab extremo appulso Occidente ad manifestandam veri Dei legem, seque illam ex his audire. Postridie verò de Xauerij aduentu cognouerat, qui decem omnino ante Villelam annis in Iaponiam peruenit, quod vndecumque fluxisset somnium, certè tandem suum in Bonzio exitum habuit; præbuit Villelae aures, & animum, Christumque complexus, ad sacra baptismi se parauit. Bonziorum porro, quos sibi vindicabat Euangelij lux; etsi non erat angustus numerus, pro malignitate, & obstinatione; sed alij longè multitudine vincebant, & frænabat quidem istorum furorem Imperatorum rescriptum, ne quid ipsi mouerent; non vt temperarent perpetuis in Christianam fidem maledictis, verum corrupta Magistratum quorundam donis & precibus gratia, conspirant ad Patrem ignominiosè, & publicè Meaco exturbandum, quod molitione clandestina ita premunt vt suboluerit nemini, nisi cum esset iam nimis serum ad Cubosanam prouocare. Subodoratus ante omnes fraudem Mioxindonus, (ille qui Villelae ab Imp. obrinuerat Meaci perpetuam sedem) auctor illi fuit vt discrimen ingens, latebris vitaret, noctuque tacitus suam quandam in arcem secederet, donec ipse accessum ad Cubosanam nactus opportunum, expos-
stularret

stularer apud illum refractariam Bonziorum proteruiam. Idem quoque suasere Christiani, & comitati sunt euntem eorum aliqui ad quatuor leucas, delususque hac arte conatus aduersariorum in nihilum recidit. Quadrimum in arce Villela latuerat, cum secessum illum interpretari apud se coepit, abiectionem potius animi, quam prouidentiam, & Bonzios veram discessus sui causam exaggeraturos de more centum calumniis in probum nominis Christiani, velut ipse damnatus immanium scelerum, fuga vitam seruasset, eam ob rem decreuit, quæcumque se tandem Deo volente fors, deprehensura timeretur, Meacum regredi, cessitque ex animi sententia decretum; hospes apud nobilem Christianum, eius & aliorum qui clam ad se adibant consilio & ope denique perfecit, vt ampliori diplomate confirmaretur sibi ab Imperatore Meaci perpetua mansio, & apponerentur supplitorum graues poenæ quibus ab se prohibebatur omnis iniuria, vulgatas per urbem has literas publicis præconum vocibus, profecuti sunt omnes communi lætitia, maximè nobiles, quibus oppressio infantis extranei, & doctrinæ insignis, Iaponum horori notam inure re videbatur: restitutis integro melius Christianorum rebus, iisque numero, & virtute auctis, Meaco imperij aula & confluxu omnium gentium fundebatur vbique illorum existimatio, auebantque omnes de illis cognoscere. Sed Izumi regni Sacaium Metropolis de illorum ritu & lege audire, non modo expetiit, verum etiam ex eius placitis viuere, si probasset auita meliorem. De quo ciuium nonnulli ad Turrianum scripsere literas, qui sociorum laborans penuria, & aduertens Sacaium leucis haud amplius sedecim Meaco abesse, iussit eo Villelam se transferre, quod anno 1561. mensè Augusto præstitit.

Iacet vrbs Sacaium triginta quinque, & dimidio gradibus sub arcto, ad mare posita; immune præbens ab omni vectigali, & commune Orienti extremo emporium, magnitudine opum, & multitudine ciuium celebratissima, quodque in Iaponia omni singulare, quieta semper, & secunda, regnisque cæteris tempestatibus armorum, & rerum nouarum vicissitudines semper cientes, ipsa pacis tranquillum quasi portu natiuo claudens & possidens, foris illam naturæ ars addita, egregiè munit ab hostibus, mari quidem nisi portus faucibus inaccessa; terrâ præruptis vndique fossarum voraginibus cinctâ. Motus intestinos, & tumultus ciuiles ab ea defendit legum seueritas aduersus omnes nullo discrimine inexorabilis; quicumque vel ferrum strinxerint, vel rixa verborum aliquid turbarent, nec fugæ fiducia quenquam facit in scelus audacem; clathris enim, & portis munita vicorum capita statim ocluduntur, vbi quid illic tumultuari ceptum, & cuius in reum ius habet capitis, vindictæ publicæ minister, lege communi dictus, quare intra muros qui gerunt inimicitias seu publicæ illæ sint, quales victoris, & victi exercitus; seu priuatæ, perinde inter se versantur vt si forent amici; extra muros ad iactum lapidis, impunè ruunt in mutuas cædes. Ingressus hanc urbem Villela, sumpta in manus Crucifixi effigie, mox in compita exire, & quotidiana prædicatione,

20.

Sacaium
Vrbs Euan-
g-lio imbui-
tur à Villela.

tionem, tum in iis, tum domi Iaponis primarij Christum promulgare; sed fructu primùm quàm expectauerat macriori, percuterat homines legis quam extollebat dura conditio; pedem quocumque intulisset, armari ex templo in illam Bonzios, populum futere, omnes ad eam procul ab se pellendam coniurare, proin credi non posse quod iactabat, diuinam, & de cœlo esse, itaque dicere aggressum, prima statim pulsabat auditorum (prudentiorum maximè) interpellatio, qua olim Romæ percunctati Paulum fuerant Hebræi. *Rogamus te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis quod ubique ei contradicitur.* Inducebantque pro testimonio vexationes, exilia, & clades quæ superius à nobis descripta sunt, & ex eo damnandam rebantur Christi legem quòd ea passim damnaretur: At hic nodus Villelæ non multùm negotij facessit. Causam huius conflictus hanc esse demonstravit sanctimoniam vitæ Christianæ, quam ferre non possent flagitiosi mores quos sectæ probabant Bonziorum, illam propterea Bonzios, & eorum sequaces insanis odiis prosequi, & extinctam velle quòd esset nimium aperta probrosa ipsorum & turpitudinis & peruersitatis accusatio; vt quibus est pupilla laxior, & debilis oculus, odere lucem, excluduntque idcirco ab oculis quantum possunt, quòd ab ea plurimum crucientur. Et hoc diffiteri nec ipsi valebant qui dubium mouerant, cumque audirent posse christianè viuere neminem, nisi qui ab se concubinas; aliarumque libidinum execrabiliora crimina abiiceret penitus, quibus enormiter Iapones, & Sinæ infames sunt; nisi qui odia, & viuaces in vindictam iras à se in perpetuum euiraret; legem nostram aiebant planè esse sanctam, & cuiusvis maculæ expertem, sed hominum tantùm qui non essent ex carne, & sanguine compacti; quærebantque an essent ex eodem secum luto ficti, iisdemque humoribus temperati, qui occidentalem incolebant plagam; nec inducebantur ad credendum, posse carnis vitia à carne seiungi. Diuinæ scilicet ignari gratiæ ad corroborandam naturæ fragilis, debilitatem præpotentis. Hanc de familia nobilissimi hominis quatuordecim milites inter neophytorum primitias experti sunt planè mirabilem, qui paulo ante in omnem soluti licentiam, quæ potest in vitam cadere militarem; sacris fontibus loti, tam diuersi repente ab iis qui fuerant extiterè, vt monstrarentur digito, quasi prodigia virtutis, sui que vel solo conspectu, persuaderent Christianorum Deum, cum suis legem, & præcepta mandat, vires simul & robur ad ea seruanda vbertim suggerere: omnes præterea, Christo recens adscripti, stas per hebdomadam diebus frequentes coibant, ad solita studia pietatis alibi toties à nobis repetita, locum ad hoc illis commodabat capacem palatium nobilis qui Villelam, ex quo Sacaium venerat, habere voluit hospitem, tulitque à Deo eius hospitij pretium sanè ingens, conuersionem filij adolescentuli, sed in eam breui pietatis mensuram cœlitus prouecti, quæ esset inuidenda natis in media Christianitate. Is de vita nostrorum qui erant in Bungeni regno, & præ aliis Cosmi Turriani, cum Villelam audisset narrantem; importuno rogatu extorsit denique à parente, vt eò nauigaret,

nauigaret, fruiturus tantisper, eorum consuetudine, præceptionibus, & exemplo. Pono hic testis oculati de illo epistolam. Inter multos ad Christum Meaci à Villela ductos, eminet filius illustrissimi Sacaiensium optimatum, puer est annorum tredecim, lepore gratiæ, & elegantia corporis nulli quem viderim secundus; sed multo præstantior animi dotibus, in summo enim splendore generis, nihil eo modestius, nihil apud se demissius, ingenio viuax, felix capaci memoria; precando & afflicto corpore mirè assiduas; cordatus supra quam valeat ab ea ætate expectari. Confessionis & Eucharistiæ octauo quoque die adibat mysteria, cum iis lachrymis, & ea significatione pietatis, quæ cunctos pudore suffunderet, quicquid in Patribus imitabile notasset, nitebatur in se ad viuum exprimere: quo nihil Iaponibus magis ratum, caput sibi attondit; vestes abiicit pretiosas, contemptum caducorum omnibus suavit, comitatus est illum Turrianus in portum Vocochuram inde cum suis remisit Meacum. Sed æquè nihil permouit animos vt pueri fletus & acerbitas doloris cum indiceret illi Turrianus morem gerere parenti, & Sacaium reuerti oportere, optasset in Dei obsequio vitam nobiscum traducere. Salutatis omnibus, & vna spe tantum seipse consolans futuri in annum sequentem reditus, Firandum nauigauit, Firandi nihil prius habuit quam vt in templum se conferret, inde vt notus paterno splendore, & quasi pro vno de nostris habitus rogatus est ab Antonij vxore (celebris illius Christiani) vt se ante discessum aditu dignaretur, visit ergo illam officij gratia suo famulitio stipatus, & cum forte tunc eius honorariæ puellæ confessionem pararent sacram, occasione vsus, valde piè de confessione apud illas egit, fuitque illi pronum id appositè præstare, quod priusquam Firandum appelleret, Vocochuræ de pœnitentia per multos dies, verba fecisset ad Christianos.

Villelæ Sacaij fructuosam operam nauanti, solitis artibus obstabat, dæmon vt quicquid eius labore strenuo ædificatum esset, quamprimum euerteret, ac ne Bonziis deesset probabilis species ad persuadendum populis, quæ Christiana intraret religio, hac rebelliones, incendia, regnorum clades pariter intrare; Meaci vnde ante mensē, Sacaium venerat Villela, tumultus primū, & seditiones, post etiam bella, cædesque urbem deformatunt; quarum tamen soli auctores fuere Bonzij, qui magnum Principem concitauere aduersus Cubosamam, & partes secuti perduellis, in eius exercitu præcipuo numero militarunt, cum viginti hominum millibus Meacū obsedit, alternante vices inter exercitus hostiles victoria, Bonzij victores, dein victi, Meaco potiti sunt, post inde cruento prælio, à Cubosamæ filio expulsi eam amisere. Nec cessatum à bello ante anni finem, tunc mense Septemb. an. 1562. Sacaium inter & Meacum aperto cōmeatu, reuisit suos Meaci Villela Christianos, vt eos erigeret, quo tamen admodū non egebant, quòd in medijs armorū tumultibus, nihil remississent de cultu solito præscriptæ sibi pietatis, trium sorte delectus etiam tum fiebat quor

V v measibus

21.
Meacum ar-
mis Bonzij
turb. Villela
cò redit.

mensibus qui de liberali Christianorū caritate largā stipem partirentur in pauperes, in quo magnū decus rei attulit Christiana, in ligno facinus nobilissima matrona, quæ immensis potens diuitiis, sepelito solum quod sibi ad victum tenuem suffecturum putabat, reliqua omnia profudit in cæcos, elephantiacos, mutilos, aliisque afflictos miseris qui Meaci degebant, quod factum nullius ante hac exempli susceptum illicio Iaponiæ omnis laudem promeruit, præterquam Bonziorum quos sua potius iis bonis frustrata cupiditas, quàm in Christianos torquebat inuidia. Fidelium cæteros etsi par omnes spiritus non egit, ad eandem opum eum matrona illa despicientiam, iis certè non defuit, mutua illarum communicatio, ad Ecclesiæ nascentis quoad valuit apta morem, communionem saltem facultatum, qua familiæ tenues pinguiorum sumptibus alerentur. Menses octo Villela, Meaci posuit, docendis Ethnicis, & Christianorum augendis virtutibus, magnitudine animi præsertim, in omnes imperus, & machinamenta Bonziorum. Contendit & pagis, & castellis prodesse, vicina vrbi euentu vario, & fructu dissimili peruadens. Multi enim, potissimum nobiles, reuerentur veritatem dogmatis Christiani probè animo comprehensam, solumque ex omnibus sanctum, & legitimum adorabant, sed negabant assuetos licentiæ, quam sectæ Iaponum sensibus indulgent, fingendos vnquam ad amissim illius dogmatis, quod impuritates labeculam ne cogitatu quidem admitteret, sic se nihilominus damnandos, & addicendos inferis post hanc vitam, huius autem quæ possent interim potiri gaudia, voluptatesque amissuros, præstare itaque, excrucianos in futurum, præsentibus frui, quàm esse miseris vtrobique, dictum sit eadem philosopha quadrupes, & possint ab asina hæc reuinci, si suam Balaamus iis opponat. Ibat iam annus 1563, in Aprilem, & Meacum sua cum omni ditione tranquilla pace fruebatur, cum repente armati aduersus Cubosamam insurgunt Bonziji, accusant eius tyrannidem, regna septem ab eo, legitimis regibus erepta, id se videlicet vlcisci, nempe homines tam sinceræ, & sollicitæ probitatis, vt dum propriam calcarent, & incestarent conscientiam, multum curarent alienam. Sed enim hac strophæ perduelles se turgent, & mota in dominos arma speciosis fucant coloribus, vt iure fieri videatur quod rebellio sit; & priuatæ libidines, boni publici gratia subornatæ populis probentur. Imminebat vrbi ad obsidionem exercitus, cum magna orta est Villelam inter, & Christianos contentio, Nitebantur ab eo modis omnibus extorquere Sacaium tantisper diuiterer, dum conquiescerent præsentis tumultus; nam si vrbs cederet in potestatem Bonziorum certò illum statim è medio tollendum; eo vero sublato, & quem sibi tandem eius vice futurum? ne vellet de sua ipsorum in Christi fide constantia sentire timidius; nec eorum minorem, quos in Christo tam multos genuerat, quàm sui vnus habere rationem; denique breuem eius absentiam, iacturæ illius perpetuæ præferri oportere. Contra ipse communem cum iis aleam subire obstinabat; mercena-

rij

22.
Fides Christ.
duobus Eth-
nicis datur
examin &
conuertuntur.

rij esse, non boni pastoris gregem deserere; ad quem tunc, si foret longinquior, confirmandum, & defendendam ab eo luporum rabiem deberet accurrere, sed iis acrius in oppositum nitentibus, Sacaium redire cogitur; vnde ipse Meaco absens, fuit Deo fauente, quam si præsens fuisset vtilior, quamam porrò id in re, dicam; si retexuero pauca, quibus fiat magis perspicua, Regni Meacensis penes Cubosamam summa res, summumque imperium erat; armorum, & regendi cura Mioxindonum penes apud quem Villelam dicebamus plurimum gratia valuisse, & cuius auctoritate ius populo dicebat familiaris eius Mazumagandonus. Huic tertio Bonziji Fienoiamenses libellum dedere supplicem communi nomine, tredecim distinctum articulis, quos ad pacis antiquæ instaurationem, & stabilitatem condiderant illius academiæ proceres, eorum capitum duobus lethali plaga Christianismus petebatur. Primum erat vt P. Villela ex Indiis ad inficiendam peste Iaponiam aduectus, remitteretur cum sua peste in Indias, pœnam capite luiturus, si quando pedem in eas insulas retulisset; ædes verò sacra quam Meaci in umbilico vrbs statuerat, subrueretur ab ipsis fundamentis, sic placatum iri Xacam, & Amidam, quorum diuinitas in ludum populo vertebatur, dum Euangelium laudaretur; sic regno quietem, quam indignati abstulerant, faustitatemque redditurus. Alterum vt omnis Christianitatis aboleretur ritus, omnisque memoria deleteretur: illud enim, aiebant, sectæ mortiferæ venenum, quacumque spargeretur, in rebelliones, discordias, & arma ciuilia surgere, nec eos latuerat Facata, Bungum, Amanguccium, Firandum quæ inuidioso exemplo memorabant, vtracumque foret de capitibus cœteris, ad hæc duo Mazumagandonus respondit, sibi non esse integrum iis satisfacere. Villelam Meaci, securitatis publicæ fide habitare, quam illi Mioxindonus, ipseque adeo à Cubosama exorassent; leuitatis notam Imperatori fore si quod semel & iterum aduenæ donasset, panè statim post abrogaret, aliã sibi videri tutiùs, & prudentiùs eundem, subiiciendam esse Christianorum legem examini; cognitores fore Gicondonum & Xamaxacondonum; iis si regni bono noxia videretur, facili negotio inductum iri Cubosamam, ad reuocandum quod Villelæ indulserat, eumque extra Iaponiam pellendum. Duos nominabat, conditione laicos, peruulgata tamen vniuersæ doctrinæ opinione oraculis suppare, & quouis Bonzio maiores, sed ambos maleficiis insignes, & Christianorum rebus maximè in-fensos: alterum agenda omnia Mioxindono dictare solitum, quod beneficij sui arte fortunatos agendi articulos bello, paceque illi præsignaret; alterum Cubosamam in Deorum suorum ritibus præceptorem. Hi ergo de lege Christiana delegato iure cognituri, examen illius, condemnatione præuerterant, & communicata inter se sententia Villelæ exitium, fidei Christianæ extinctionem statuerant, tantùm animo versabant de Christianorum templo suis vrbibus asserendo, quid enim aliud expectandum fuit à duobus idololatriæ primipilis, & familiaribus demonis? at enim tam pronam expectationem, in euentus planè contrarios diuina sapientia

re uoluit, sed quàm fortuitò in speciem, quàm exili vsa primordio, ad caudas duas tisionum fumigantium istorum, in lucidissimam accendendas facem, quæ suo splendore innumeris in umbra mortis iacentibus, aditum præiret ad salutem! En ut causam concinnant, seu modum potius Villelæ exturbandi, adest casu Iacobus quidam, consulturus Xiamaxicondonum, in negotio quodam suo domestico: ille aut sciens aut dubitans, irridens certè; es, inquit, Christianus? sum planè, respondit Iacobus? Dic ergo, subinfert Ethnicus, quid tua ista lex te iubet credere: ille, rem magnam interrogas, nec mihi hoc arrogo ut norim illam explicare; dūtaxat hoc possum affirmare Christianam legem certò veram esse, & sanctam; nec sum satis doctus ut plura his addam, suspicatus Ethnicus Iacobum ignoracionem timori, aut auersioni prætexere, & dedignari Christianorum hosti ea mysteria pandere; curiosius institit, quicquid nosset, multum aut modicū audenter depromeret. Hic verò Iacobus animosè ac liberè, exorsus ab animæ immortalitate, de futuris post mortem, de vno & vero omnium conditore, & iudice Deo, & aliis quæ didicerat dixit, & quæ spiritus Dei loquenti dictabat; dum idem spiritus affaretur animum Ethnicus eloquenti luce, quæ suimet interpres, quocumque se penetrat, tantum veritati quam suadet splendorem affundit, ut nihil iam restet humanæ rationi quod possit opponere: loqui desierat Iacobus; & attonito similis Ethnicus parumper hæserat; tum, abi sis, inquit, & Patrem huc ad me adducito, ut explanet mihi vberius quæ docet, nam si tu qui discipulus es, tã magnificè de iis, & sentis & loqueris; quid ille magister, & doctor; porrò quid si Collega & ego, iis plenius cõprehensis, vincamur, amplectamurque legem Christianam? quæ vultu tam serio, voceque affirmavit, ut ictum animo cœlitus, & ex sententia locutū crediderit Iacobus; quare missò quod scitatum de negotiis suis venerat consilio, Nara profectus est vbi hæc gerebantur, octo ferè Meaco leucis, & cursu Sacaiū alacer aduolauit, beatus Villelam, & Christianos tam fausto nuncio. Sed erat Ethnicus malevolentia in Christum & Christianam rem tam infamis, ut tam repentinum ex opposito amorem, Christiani dolum crediderint, quo dissimulare prodicionem certam voluisset, quare illi tantò fidendum cautiùs, quantò prolixius fidem præferbat: communibus ergo consiliis decernunt, Villelam ab ea profectioe omnino prohibere; & frustra Iacobus incubuit ad eximendum iis metum; frustra preces Villela, rationesque adhibuit, ne spes tantas diuini obsequij elidere pergerent, de quo ipsemet Goam datis ad nostros literis hæc habet. Claudebam has literas, cum Nara huc venit à potentissimo nobili nuncio, rogans ut eo me conferam, faciamque illum Christianum; sed is Dei cum sit hostis acerrimus, quid me futurum sit non nihil ambigo. Certum quidem mihi est proficisci; alterum verò ex duobus spero, vel me illic vitam pro Christo positurum, quam non sum illi vnquam negaturus, & auertat Deus in æternum ne faciam animam meam pretiosiore quam me; vel si promissis res ipsæ responderint, scripturum me forsitan, ut ex-hauriatis Collegia Indiæ, omnesque mihi subsidio aditis, à quo enim accersor

accerfor Ethnicus, auctoritatis est apud omnes summa. Dispenser rem Deus, vt suæ gloriæ conuenientiùs viderit. Sic ille April. 27. ann. 1563. qui præclusa sibi facultate tentandi periculi, hoc saltem euicit vt socium suum Laurentium Naram suo loco transmitteret; quod hic multum anceps, & vitæ dubius, tamen fortiter suscepit, probèque institutus in varios casus & fortuitas quæstiones quid ab se dici, quidve fieri deberet, itineri se dedit, iussus omnino intra quadriduum renuntiare per se quid actum foret, habitum iri alioqui pro victo vel mortuo, nisi apparuisset ad conditum. Fiebant interea temporis apud Deum preces Christianorum Sacaiensium votis communibus, vt fortunaret illud iter eo fine quem Patre Villela nemo confidentius expectabat. Dictum reditui quadriduum exierat iamque Laurentium morte alij sublatum, dicere alij carcere teneri, quod statum diem non obisset, de quo vt certi aliquid constaret, simul vbi res ferret ope necessaria iuuaretur, Naram secretò mittitur Iapo quidam Antonius nomine, cui non fuit longius procedendum; viæ dimidium emensus Laurentio occurrit, cum viris duobus redeunt qui Patris vsui equum loris trahebant. Sacaium reducem adire Laurentium Christiani, circumstistere, scitari, ecquid noui & boni? ille bona faustaque omnia omnibus confirmare, feros antehac illos infectatores nominis Christiani, Xamaxacondonum, & Cicondonum Christo manus dedisse, nihilque ad edendam professionem suæ fidei expectare præter Patris aduentum, à quo fonte diuino tingerentur, magnos religioni sacrosanctæ hoc aditu regionum tractus aperiri; Duos totius Iaponiæ in omni genere literarum facillè Principes, rapturos secum innumerabilem populum. Hæc festa adstantium acclamatione, lætisque lachrymis excepta, subsequutæ sunt gratiæ actiones tantò effusius, quantò iucundiùs diffidentiam omnem fefellerat; & qui Patrem ab eo itinere tam pugnaciter auerterant, iidem nunc volebant esse itineris comites, vt eo præsentibus gauderent, quo procul, & adhuc promisso, tantoperè reficiebantur; sed fuere promissis, & opinione, facta etiam maiora, accessit duobus tertius sacri fontis, & fidei socius, in paucis doctissimus Xicaidonus, Mioxindoni propinquus, qui sua quadam in arce, Imori dicta, nouus, paucisque à Baptismo diebus Christi præco deprædicare incolis cœpit bonum quod hauserat, fecitque scientiæ omnis existimatio qua erat apud omnes vt audito illo erumperet populus, & communi voce Baptismum posceret, mitteretque ad accersendum quamprimum Villelam spondens fore vt breni totam Imorim haberet Christianam. Præmissis tunc quidem Laurentio suo Villela, post expeditior à Meacensium cultura illum secutus est, celebravitque bis Baptismi solennia, quibus singulis lustrauit septuaginta capita nobilitatis primariæ, qui numerus paulo post accessu Plebeiorem ad quingentos peruenit. Bonzios inter hæc stipe & frequentia populi minutos, fames potius quàm sectæ studiù tota Imori sparfit,

vindictam & iras Xachæ & Amida defertoribus ipsorum comminantes, nisi ad ritus patrios remearent, quibus popellum dum territant, obuios fortè Christianos in fana sua vi raptabant, vt illos ad Baptismi desertionem adigerent, sed tantùm abfuit vt vel vnum aliquem expugnarent, vt è contrario iunctis armis in defensionem occurrerent Bonziis insolenter de more in Christiana bacchantibus, eosque in cœnobio sua retruderent. ne tamen scelestos in seditionem præcipitaret desperatio, cicerentque vicinos in arma populos, suavit Vilellæ Xamaxicondonus, parumper Imori cederet, transfiretque in arcem aliam, & rogaret à se Mioxindonum tunc in ea degentem, ne grauaretur per orium aures dare, Christianorum mysteria explananti: capto illo eorum æquitate, & sanctorum, nec Imorenses Bonzios nec mortalium quempiam aliquid aufurum, vt quem præfectura Meacensis militiæ cunctis faceret metuendum, nec aliter quàm præuisum fuerat euenit. Profecto Vilellæ Deus primo congressu, Mioxindonum tunc certè docilem præbuit (nam dirè postea vexasse Christianos videbimus) tunc aded omnia Christiani cultus effata laudauit, vt in eius tutelam ardentè insurgeret, cuius suæ mentis cum auctoritatem Imori iussisset promulgari; leuius Bonziis visum est ferre imperata patienter, quàm arte, & fraudibus frustra iis eludendis insudare.

Hic metu soluta Christi fides, exinde liberè progredi, & vicinis Meacopagis se palam ostendere, grandi eorum bono, & Ecclesiæ incremento, ex iis quinque, religiosa suorum contributione, singuli singulas sibi ædes sacras exædificarunt, cœperuntque in multo ampliora spes mittere. Collatis enim Cicondonus, & Ximaxicondonus curis & operis, ingenti volumine complectebantur placita legis Christianæ, cum mendaciis composita sectarum à Xaca & Amida deductarum, & à veteribus aliarum auctoribus, eam ob rem Vilella cogitatione regnorum Bandi nunc abstulit, quibus meditabatur antehac Euangelium importare, hoc est parti illi Iaponum imperij mediæ, quæ à Meaco progrediens in Iezui angustias desinit.

23.
Gagus Iondiam reuertit & in tepefcit.

Sed nunc demùm Scimi Prouinciæ inferiores nos reuocant ad scribenda quæ Cosmus Turrianus eiusque socij pro Dei gloria in iis gessere. Prius tamen inde excludere cogimur Baltasarem Gagum cuius præclara facta nonnullo etiam diuini miraculi testimonio illustrata hoc libro fideliter dedimus. Sed diuersam nunc de se materiam ingerit, fuit enim ex iis qui missa ad aratrum manu, subsistunt in medio sulco, & respectantes vel gestis saturi, vel deterriti gerendis aratrum omittunt. Delectu Xauerij ante annos octo in Iaponiam venerat, quibus totis excoluerat ferax solum, eo meritorum, & animorum fructu, qui plus homini diuina sapiienti afferre voluptatis quàm inferre tædij debuissent: at is velut onere pressus intolerabili, facultatem Indiæ repetendæ quam postulauerat à P. Turriano tandem obtinuit, prætexens itineri rumorem officij necessarij ad Patres Indiæ de Iaponia docendos, & procuranda Iaponibus operatoriorum subsidia, quasi Manuel Mendoza sua nauis, quam ipse ad reditum

tum conscendit, non posset aut mille litterarum fasciculos capere, quæ multò certius & explicatius Iaponica illa quæ narratum ibat, enarrarent; aut nunciū maliquem portare, esto si res urgebat, ut alias, laicum adiutorem & destituendæ essent eæ regiones Sacerdote, linguæ illarum egregiè perito, nam solus Iaponiæ partem illam mediam curaturus remanebat P. Turrianus, vnus quidem par multis, sed fractus laboribus, nec iam corporis vires, virtuti animi ex æquo valens suggerere, vulgato Gagi consilio, adfuerit tum procul, tum ex propinquo innumeri ut discessum eius quem amabant ut patrem prosequerentur lachrymis, & felici reditus adpreccatione, cuius vnus fiducia, profectioem hanc ferebant mitius. Octobris 27. ex Rungo vela fecit anno 1560. dierum duodecim prospera nauigatione Malacam subituro tempestatem immisit Deus, qualem maria illa non viderant, eamque adedò pertinacem, ut dies quindecim perpetuò in præsens exitium, misera nauis sorbenda penderet, tres temones confracti; decumani veli & dilonis, pede tenus succisæ arbores; amissæ antennæ, dilacerata vela; dissipati rudentes; facta, & mercium, & omnium iactura, nisi quantum saburræ opus erat ad librandam nauim, quæ tamen nihilo lentius hinc vento, hinc sæuo fluctuum ad latera incussu subuertenda in horas, & momenta procidebat. Erant nauis omnes idolorum cultores, & à simulachris agenda omnia & vitanda, diu noctuque fortibus exquirebant, quo in discrimine tam diuturno & formidabili, sit sanè P. Gagi virtutis eius laus, quam societatis operatio dignam exhibuit. Christianis enim vectoribus vlroneas pœnas, largitatem in pauperes, confessionem sacram, persuasit, & propositum ardens vitæ melioris, claudendas fera curauit pellices, partem funesti ponderis quo trahebatur infelix nauigium non modo in ima Oceani, sed etiam tartari: parante Præfecto, & nauarchis, scaphæ quæ fors ferret vitam committere, nudamque iam armamentis nauim, destituere irrita nauigatione, nunquam inflecti animum passus est ad vectores ducentos, instantis naufragij metu continuo naufragos, destituendos sua consolatione, memor ut scribit, illorum è nostris, de quibus actum libro præcedenti, qui fame perire cum naufragis deserta in insula maluere quàm relictis iis vitæ consulere; sed respexit tandem afflictos Deus, die quinto & decimo, concitati maris æstuario potius quam arte, Hainam rapiuntur, affinem Sinenfibus insulam è regione Tunchino oppositam, inde ventis Meaci expectatis quibus Malacam nauigatur, Malaca denique sub Pascha Goæ in portum subiere, anno 1562. toto postquam è tractu Bungenfi soluerant sesquianno. Verum enimuero tam fuit deinceps alienus à repetenda Iaponia Gagus, ut summo potius Europæ desiderio teneretur, eiusque sapius epistolis annuis ab Generali Præposito, reuisendæ, fieri sibi copiam postularet, petitionis causas proferebat valetudinem corporis, & animi salutem, nec satis mirari homines poterant aliis ut sancti fierent Indias enixè poscentibus Gagum ad hoc solum ut saluus fieret Europam reposcere. Sategit interim nonnulla in conuersionem

Salfetanorum Ethnicorutu; Pondam feruus ab Saracenis ductus liberatus est à Prorege; mortē casu euasit, fallente ignem puluere catapultæ quā in pectus illius Ethnicus laxarat; sed in pristinum feruorem ad eō nunquam se retulit, vt intepefceret potius in dies, & ob laborem in Iaponia octennio exantlatum toleraretur indulgenter magis, quam libenter, futurum alioqui (quod Gonzalus Aluares, nostrorum per Indiam inspector, Franciscum Borgiam Generalem per literas monuit) nisi eius laboris obstaret ratio, vt eum dimitti expediret, & societatem illo pondere leuari, quod tamen minimē tentatum, sed vitam clausit in societate, quanquam infra illum virtutis, & meriti gradum, qui magnis eius principiis debebatur, & hæc de illo satis; tum quia vt S. Hieronymus, nauos aliquot leues coactus attingere Paulæ Romanæ matronæ sanctissimæ, *historiam scribo non panegyricum*; tum quod possunt hæc prodesse quamplurimis dum attendunt quod demum exeat, qui multus in aliis iuandis seipsum negligit; mercenarij instinctu, cuius vitam Ambrosius idcirco miseram appellat, quod *aliis laborans sibi indigeat*.

24.
Feruor
Christ. Bun-
gensium.

Resumamus, age sis, lectu gratiora, imprimis de Bungenfi Regno vbi quàm reliqua vsquam Iaponia, virtute, & multitudine Christiana res florebat lætius. Ægrotos centum in Nosocomio curabat fidelium caritas, ad quam accedebant sanationum prodigia superiora naturæ viribus; & mutationes Ethnicorum crebræ, quibus redonata valetudo, Christianorum Deum persuadebat esse potentissimum & benignissimum. Solenne fuit Christianis ad statas preces in die sæpius conuenire, maximè vero summo mane ad sacrificium diuinum, nec aut alta niue, aut imbribus, aut illo quo rigent eæ insulæ asperrimò frigore arceri poterant ab iis officiis pietatis; aderant ante crepusculum ad fores Ecclesiæ, & antelucana diu illic in aura durabant, dum cælo albente panderentur, nec deerant etiam viri graues, qui se ministeriis illius humilibus in perpetuum addicerent, magnoque id sibi honori verterent: ibidem quot noctibus frequentabantur à multis flagella spontanea; feria sexta ab omnibus, domi verò priuatim ab iis qui non possent in templum venire; nec vllum facile reperis, qui secum tacitus non ferret catenulam, aut simile aliud domandi corporis instrumentum, cuius duritiem ad eō non obtundebat frequentia vt opus esset remediis ad sistendum cruorem, & plagas obduccudas. Funarium venerat Firandensis quidam, vt cum Turriano maiorem hebdomadam transigeret sanctius, inde Firandum ad amicos scribens, quantum, inquit, Fratres carissimi (sic appellant inuicem omnes Christiani) quantum optassem vos adesse cum sacrum patienti Christo diem coluimus, nullius certò tam profligata conscientia sit, quin eo spectaculo frangi debuerit, diem illum solidum & noctem solidam occupauere fletus perpetui, & tam crudæ flagellationes vt à sepulchro ad crucem, inde ad nosocomium, ruberent vici procedentium sanguine. Ita de iis vir pius, afflictiones priuatim & publicè quibus ad primam Eucharistiæ sumptionem comparabant sese, affectus intimi quos in ipso ad eam accessu alta vocç

voce, ignitis colloquiis exerebant, lachrymæ, sui que abiectio, eisdem edebant in adstantium animis ad virtutem motus, Turriano sic obtemperabant, vt præfecto suo religiosus quiuus ad hoc voto deuinctus, si quid ij peccasse viderentur, pœnis eos multabat non leuibus, easque subibant non inuiti. Iuuenis natione Iapo & notæ probitatis palam in templo instituens fœminam doctrina Christiana allocutus eam fuerat submissiori voce quàm esset solitum in eo ministerio fieri. Huic Turrianus confestim indixit flagellationem, quam volens, & silens in omnium oculis obiuit, pulchro Neophytis illis parendi documento, & suspicionum quoque umbras, cauta integritate declinandi: iucundam item puerorum virtus laudandi Dei materiam dedit, alij semper in ore habere quæ de Christianis rudimentis tenebant, adultiores alij ex instrumento promptas nouo & veteri narrare historias, ingenio fateor, quo valent præ cæteris populis Iapones, facillè comprehensas; verum simul curâ sollicitæ ipsorum eruditionis, & assiduitate de iis audiendi, quam vtrò ipsi amant, vix enim vnquam parentes filiis in Iaponia imperant, multo minus ad ea vim adhibent, à quibus vident alieniores, qui fastus quidam est tumorque nationis, quicquid sapit seruile abhorrens. Coire præterea ad crucem in aperto erectam sub serum diei, & horam canendis doctrinæ sacræ carminibus, variisque precationibus idque de genibus implere, cohortationes mandare memoriæ, quasdam etiam per se componere, pias magis quàm doctas, & Christianis promiscuè Ethnicisque recitare. Duo in iis notarunt Patres fuisse sibi admirationi, exquisitam diligentiam in confessionibus erratorum, cum multo dolore, nec rarò lachrymis coniunctam; & responsum subtilium acumen quode reconditis fidei arcanis satisfaciebant interrogantibus, quasi diuino interiùs magisterio edocti, vt hinc magis constaret sapientiam Euangelij de cælo fluere; cum in iis luceret, qui nec ætate nec studio illam assequi potuissent. Iapo annos natus duos & viginti, nomine Damianus, Angelus moribus, felicitate memoriæ diuinas paginas maxima ex parte verbatim complexus; societati se addixit, & Turriano annuente vota illius nuncupauit, hic domi nostræ Iaponicas literas tradabat pueris, ne in cœnobis Bonziorum perdendi diuerterent, præter hunc eandem nobiscum regulâ debebant alij, quos à puero parentes, Ecclesiæ vsibus sacrarant, nam illos cum cernerent, vnus animi rebus curisque delectari, profanum censuerant tam sancta pignora secum in profano detinere. Quare illos Deo donauerant, horum pensum erat precatio, studium literarum, cohercitus sui, & domitus corporis prodieruntque ex iis, viri raræ virtutis, & amplificandis Euangelij finibus maximè vtilis. Mos fuit ab aliquo illorum super mensam sermonem haberi de diuinis; de vno scribitur annorum tredecim, consuesse de Christi doloribus dicere tanto sensu, vt incipienti, mox fluere lachrymæ, sed nulla mutatione vultus, aut coloris, quod solet esse illorum proprium quos contemplatio

Christi patientis diu multumque exercuit. Denique supplicationes eorundem puerorum dignæ sunt quæ non omittantur, maxime verò feriæ sextæ sanctioris procedebant in albis pro mœstitia illius temporis, singuli singula gestabant instrumenta quibus olim excruciatii sunt Martyres, crucem, vngulas, gladios, ignem, & reliquam suppliciorum pompam, seorsum singuli ad Christi Sepulchrum genibus positis, de illo martyrio cuius insignia gestabant oratiunculam ad Deum fundebant plenam miserationis petebantque ab eo ut Martyres pro eo occumberent, huiusque ardoris ad spargendum pro Christo quibuscumque tormentis sanguinem, testimonium minime puerile; subiiciebant demum longam sui verberationem, magna spectantium: parentum præcipuè admiratione, & gemitu. At si annuet Deus ut in hac pergam historia Iaponicæ Christianitatis utcumque legentibus futura, mihi certè scribenti periucunda, palam fiet quanto his promissorum velut præludiis facta fuerint fortiora: videbimus quinquennes filios siccis oculis matrum spectasse mortes, nihil motos illarum cæsis capitibus; sed iisdem ceruicem gladiis subdidisse quibus fuerant amputatæ ut Christi euaderent Martyres; alios viuicomburæ ambiuisse, & in mediis ignibus piam Patrum nostrorum qui simul ardebant adprecationem petiisse, quosdam nonnulla carnificum miseratione siue occultatos seu præteritos, erupisse; & Christianismum magna voce professos, sibi quem funderent sanguinem non deesse. Omitto de viris dicere, in quibus robar nascentis Ecclesiæ, & antiquorum prodigia Martyrum nostra ætas spectauit. Sed hæc aliàs nunc regni Bungenis confines tum remotiores Prouincias lustremus, miremurque quo pacto factam rectam religionem conseruarint aduersus rabiem sæuientium Ethnicorum, priusquam ad singularia veniamus. Eduxit hoc anno 1561. Rex Bungi aduersus perduelles potentem numero, belloque exercitum, & profligatis tributum imperauit. Hinc alta vbique pax, & patens aditus religioni sacrosanctæ in regiones illius antea penitus ignaras. Suscepta est haud procul Funaio à quinque populis cum Christi baptisate, & fundatione sacrarum ædiu; de longinquis agetur ordine temporis. Sed dum adhuc Bonziji tumultuantur, fouit Christianos auxitque industria multiplex à Turriano iis præscripta; hinc hortabantur se mutuis literis ciues urbium diuersarum ad fidem constanter bonorum iactura, vitæque asserendam, narrabant inuicem suorum cuiuspiam facinus aliquod generosæ virtutis, Regum oppressi tyrannide, & crudelitate Bonziorum, alterna precum poscebant auxilia, suas domos nonnulli Deo in templa dedicarunt, illuc festis diebus accurrere, concionis loco caput vnum aut alterum ex libro legere, quem de Bonziorum erroribus, fidei & Christi mysteriis, & sanctè viuendi præceptionibus composuerant Patres, lateque sparserant. Post inter se conferre de pertrahendis ad Christum propinquis & amicis; de fidei suæ virtutumque augmento, & aptis ad hoc præfidiis, ut erant penæ quibus vltro se illic affligebant, & publica culparum suarum enunciatio, contribuere

tribuere in pauperum alimenta velut communis omnium familiæ; ægrotos visere; Christiano ritu mortuos efferre, cuius studio vir illustris animam acturus, suis adhuc Ethnicis seuerè mandauit, ne quem Bonziorum aut Ethnicum paterentur ad feretrum suum accedere propiùs, exosus vāfaniam ceremoniarū, quas in optimatum parentalibus adhibent, fuere qui sibi vt tandem liceret tranquillè Christum & liberè colere, ditionibus principum excessere, impugnantium Christianos, & relictis cum familia & patria quæcumque possederant, mendici Funaium transire, vna Dei amicitia, fideique thesauro diuites, & contenti: fuere qui longis & intempestiuis itineribus cum Turrianum quæsiuissent vt apud eum peccata deponerent, ne prima quidem in aduentu salurandi verba peragere intercepta singultu & lachrymis potuere. Memorandus in hoc argumento nobilis Firandensis, sexagenario quinque annis maior, qui sanctè prouidens non posse mortem abesse longiùs, præuertere statuit rationum suarum explicatione, exigendum tunc ab se illarum examen; atque ob hoc Funaium miliaribus ducentis sexaginta ad Turrianum nauigare; sed cum esset Regi à secretis, in paucis carus, in aulae conspectu perpetuus, captanda fuit furtiua profectio quæ tamdiu lateret, dùm ab ea non posset retrahi; confert quod destinauerat cum vxore, quæ pro sua insigni pietate audentem confirmat, vnum modo id dolens, quod esse viro comes non liceret quamuis ipsa eodem desiderio teneretur. Noctu soluit, postridie quæritur, de fuga rescitur; indignari Rex, furere, celocem expedire velis & remis alatum, & iubere omnino fugam sisti & hominem capi; sed deprehensum extra Regni fines, non ausi milites retro abducere, dynastæ loci seruandum committunt: rei nuncio vxor haudquaquam attonita familiarem ad eum legat; forti animo sit; dynastæ suam probet causam; alyli iura salua sibi teneri postulet, spernat fidenter quantumcumque Firandi possidet bonorum, pretiosius esse Iaponia Christi Regnum; se quoque postea securam, & in communi exilio victuram cum illo iucundiùs quàm in magnis opibus, & Regis gratia. Sed fixum iam erat viro magnanimo, mori potiùs quàm redire, itaque diu & noctu orando incumbibat, sapius in die tam dirè in corpus sæuebat, vt ad crepitum verberum miserti admonerent, parceret ætati, debilitati, vitæque adeo parceret; quibus respondebat, confessionis donum nullo sat sanguine emi posse. Hanc viri egregij mentem, & fugam & carcerem cum accepisset Turrianus, Regem adit Bungensem, exoratque ab optimo Principe commendatitias ad dynastam quibus acceptis, vel timoris, vel officij gratia liberum dimisit. Gratulata est publicè, aduentanti Christianitas Funaiensis, & Deus hanc eius constantiam, remunerauit teneritate piorum affectuum, & lachrymarum perenni copia; habitauit nobiscum domi, & Iaponicas literas pueros docuit; Damiano (cuius erat id munus) conuertendis infidelibus occupato, præter spatia orandi reliquum temporis, exscribendis libris infumebat Christianarum quæstionū, & mysteriorum, iisque lingua eleganti Iaponicè reddendis.

25.
Missiones in
confinia
Bangæ & mi-
ra probitas
duarum in-
sularum.

Iam à Turriano ex Bungo missi primum Facatam venerunt Cigugen-
sis Regni ciuitatem, inde ad insulas Firandi, & beatum se quisque du-
cebat cui Apostolici illius ministerij fors obtigisset. De qua scribit ex
iis non nemo, vel vna itinerum habita ratione, sanctum senem Turria-
num euntes salutasse velut vltimum complectentem, redeuntes verò
tanquam à mortuis rediuiuos, tot erant & tantis periculis confita à fa-
me, à frigore, à latrocinijs, à submersionibus aquarum, præcipitijs,
& immanitate Bonziorum; transmittendæ media hyeme vmbilico tenus
palustres lacunæ; superandi montes sepulti niuibus, iisdemque viam fal-
laci planitie mentitis; cadendum identidem in syrtes earum præruptas;
exigendi sine cibo dies, solo agrestes quoque radices negante, pera-
granda grassationibus, Bonzijs, Ethnicis, hoc est feris hostibus plena,
& infesta, priusquam ad loca veniretur Christianis populis habitata,
quæ vbi attigerant, ad eorum aspectum, exhausti laboris euanesce-
bat omnis memoria, longis enim procul supplicantium ordinibus ob-
uiam precedebant, & præsentis concentum gaudio affluente ver-
tebant in lachrymas, passisque brachijs circumfusi videbantur An-
gelos de cælo suo quisque pectore condere, Patrem ante omnia in
templum, quantum poterat ornatu exultum deducebant vt saluaret
Deum, & matrem Virginem, quod item in more habebant, cum adue-
nis omnibus Christianis. Contentiones porrò de præbendo Patri hospiti-
o non erant sedatu faciles, suam quisque domum confidebat fore san-
ctam illo hospite, & felicem; in discessu vero post diuturnam quoque
commorationem, non dico pecunias, sed ne gratias quidem agentem sus-
tinebant, aiebantque se facturos impiè si pro factis in eum sumptibus
mercedem acciperent, à quo essent in Christo geniti; sic vices conso-
lationis, & ærumnarum Deus famulis suis, semper bonus, semper
prouidus alternabat. Funao Facatam F. Ludouic. Almeida Iunio dis-
cessit, anno 1561. illic decem & octo dierum breui mora, septuagin-
ta Ethnicos Baptismo expiauit, inter quos Bonzius & senex, & valde
literatus, sectæ suæ interpres, & Regi Amangucciano à concionibus.
Opus fuit dierum octo expugnatio restitantis; disputando tum suas
propositiones, tum Almeida responsa notabat fideliter, retractabat
domi per otium, expendebat ad principia tranquillæ rationis, non al-
tercandi libidine, sed veri studio: die tandem octauo, discussis penitus
quæstionum omnium nebulis, cum octodecim alijs Christo nomen de-
dit. Ibidem Almeida pro indulta sibi diuinitus sanationum prodigio-
sorum virtute mirabili, pperam toto corpore leprosum, triduo sic cu-
rauit vt nulla in eo morbi restarent vestigia; quendam præterea doloris
impatientia quo transfigi caput sentiebat, ventrem more Iaponum iam
sibi secturum, vt qui cruciatibus non posset; vita se semel absolueret,
ambos verò antea Ethnicos sanatione fecit Christianos. Inde sub exi-
tum Iunij traiecit Tueuchimam, solis habitatam Christianis numero
quingentis, quos probi pastoris officio regebat, qui lupus olim iis fue-
rat,

rat,

rar, traductus nempe ad Christum Bonzius, moxque in diuinis, concionibus & exemplo, intelligendi magister egregius, & agendi. Iucundissimè leguntur, & peculiari motu pietatis quæ scribit Almeida, de innocentia incolarum angustæ illius insulæ & alterius similis nomine Ichiceuchi (quæ Antonij, de quo iam sæpiùs nobilis Christiani paterna sunt ditio,) Angelorum insulas nominat, ob morum candorem, orandi frequentiam, alacritatem in operibus Christianis, mutuamque inter se beneuolentiam, velut vnã Christi familiam, Patre vno Deo efficerent, fluebat iis dici bona pars in sacris ædibus, & precatione, brachijs ante Crucifixi effigiem expansis, dum eius meditantur, & ambiunt crucem, octingentos Ichiceuchi habuit Christianos, in iis pueros ferè centum, pietate nusquam alibi tam inusitata; statuarum instar, atque vt literæ loquuntur, extra se positi, attendebant seni à quo docebantur; ea modestia, eoque in diuinis affectu, quibus castigatior & liquidior non deberet à Religiosissimis tyronibus exigi: solitarios vtraque in insula secessus aliquot incolabant, olim ex Bonzijs, Christiani, in contemplatione vitæ Christi, & domando corpore strenui, sed omnium erat hospitalitatis erga peregrinos gratia singularis, summa laude in omnem diffusa Iaponiam: frequentabantur ex longinquo à multis partim vt eorum adirent sacras ædes, partim vt pijs iuuarentur & reficerentur colloquijs, supplicantium instructa serie aduentantibus occurrebant, & comitabantur ante omnia in templum ad precandum, post designabantur hospitia commoda, & quandiu moram in iis traherent suggereretur mensa gratuita & lauta; dabantur equi, & socij, & viarum duces quocumque vellent; nauisque demum in discessu cum necessario ad patriam vsque viatico, & hæc non alia nisi quam sperabant à Deo mercede; fronte verò ita exporrecta vt si beneficium acciperent, non darent: si quem autem pudor in reicienda horum officiorum largitate fecisset pertinaciorem, negabant hunc esse Christianum, libuit interdum mercatoribus Lusitanis eo ire, quod tribus paulò plus abessent leucis, & verecundati seipso iam non iidem ab iis redire, & quidem nonnulli proiectæ antea probitatis, religiosæ vitæ desiderio incensi. Et hæc omnia pretium operæ à P. Villela in huius vineæ plantatione prosperè fundatæ, continuis exin de cælo imbribus à Deo insulæ. Profectus inde Almeida Xifcum, Iram, Casungam adiit, & finitimos pagos, nouasque in iis Ecclesias condidit. At longè aliter actum est Firandi; negauit tyrannus Christi hostis extruendi templi facultatem, etsi constitutum est eius ingratijs, domum enim suam Christianus diues, publico Christianorum dedit, vt Deo sacra in templum fieret: in ea ethnicos quinquaginta, post secretam institutionem, diuinis aquis lauit Almeida, in iisque Principem, haud inferiorem Antonio, ac vt festa aliqua pietatis celebratione, virtutem fidelium recrearet, quando in vrbe non licebat, saltem extra portum id præstitit in nauis præfecti Lusitani cultu magnifico superba, vbi elegantem quam secum tulerat Deiparæ tabulam venerationi proposuit, exciuitque ad eius adorationem Christianos omnes Firandenses qui diem illum Laurentio Martyri dicatum miris cumulauere lætitijs.

26.
 Mis. fratris
 Almeida
 Cangoninã,
 & in arcem
 Echandoni,
 seu Escian-
 doni.

Obitis vicinæ insulis, & confirmatis vbique Christianis in proposito sanctitatis, morbo pressus Almeida Funaium se retulit Augusto desinente, Cangoximam versus ad novos labores post mentem tertium iter initurus. Funaium siquidem inde tunc venerat vt fatetur Manuel Mendoza Lusitanus onerariæ præfectus, quæ Tomarini, portu Sazzumæ Regni negotiabatur, per eum Rex literis conueniebat Turrianum, rogans aliquem ex Patribus ad se mitti, diuinæ legis animarum seruatricis præconem, suis id prærogatiuo iure, & præscripto deberi, ex quo primum illuc ex India applicuisset Xauerius, & in possessionem illius Regni primam Christianismum induxisset, editis in eo sudorum suorum primigeniis partibus. Negligenda non erat Turriano tam potens, & æqua petitio, ac si facta promissis accederent, ad Euangelij propagationem tam utilis, actis Deo & Xauerio gratiis, cuius eo in Regno post tot annos eximia caritas in novos tunc ignes exurgebat; eo Almeidam destinatum adolescente integritatis exploratæ, & iam aliquandiu in Societatis, quam prenabat, ministeriis versato, hyems erat perfrigida, & interclusi niue, quibusdam in urbibus vicorum commentus, vt sit in alpibus, aperiendi erant fossorum manu, sed neque his, neque aliis periculis frigidibus, idcirco lentiùs eorum incessit pietas, saluque tandem attingere ditionem Echandoni Principis, arcemque illam portentosam viua in rupe intus, & vndique incisam quam tertio libro depinximus. Superstes etiam tunc erat Echandonus cum vxore; & sene optimo cuius probitati Xauerius ante annos tredecim, Christianos illic à se ablutos crediderat, hic ad conspectum Almeidæ festinare, collo iniicere brachia, præ gaudio flere; rogitare de sancto Patre? quibus Almeida, illius mortem, edita per illum prodigia, expers putredinis, & integrum corpus edisserit, vicissim ille virtutes refert, & miracula quæ suis oculis spectarat; eiusque quod illic religiosè seruabatur ostendit flagellum, & autographum libellum quo illic fidei vitæque Christianæ summam reliquerat, additque vtroque illius pignore, tunc quoque grandia patrari, biduo quod frater Almeida in arce substitit, nouem sacro lustravit baptisate, & in iis aliquos Principis filios; illuc postea vt dicitur, maiori otio rediturus, inde igitur progressus Cangoximam, Regi literas à Turriano reddit, & sermonem coram pertexit bene longum de mysteriis Christianis, quæ non arbitratus populo palam & prius edicenda, quàm itinere duorum dierum, Tomarini adisset Lusitanos, mare in Indiam quamprimùm remensuros, eundi copiam à Rege accepit, simulque ad Patrem Quadrium nostris in India Præfectum, epistolam quam Lusitani ad eum perferrent, quæ significabat ardentem cupere ditiones suas non minus Deo quàm sibi mancipari, eam vtrumque ventura sit, styli Iaponici saluam ignoranti, nihilo secius bona fide hic reddo. [Applicuere, inquit, ex Bungo in hoc meum Regnum, P. Turriani fratres duo quos ob animi generositatem, & efficaciam docendi, cæli tonitrua nomino, miror potissimum, quòd tam semotis è tractibus ausi sint huc iter suscipere; imitati sunt enim quantum

intelligo

intelligo ex Lusitanorum navigatione, Lunæ cursum, quæ orbem circum, cum hic nondum ulli conspicerentur Christiani, nec virtus nec probitas concipiebantur, omnia otium, & boni contemptus, nunc ab iis hominum excitatus est torpor tanquam flabellis auram mouentibus. meretur hoc meum Regnum, ut Patres Nauabangi libenter in illud commeent; nam si alibi fortè maris decessus patientur, hic nunquam non pleno, & commodo mari nauigaturi sunt. Christiani nostri, Patrum præsentia dum carent, ad crucem confugiunt, ab iis erectam, & eius aspectu illorum absentiam consolabilius patiuntur: mihi regimini hoc iis destitutum, cælum videtur stipatum nubibus; & Sol deficiens, meraque obscuritas. Non possum satis mirari Lusitanos cum illos suis in nauibus contemplor, quod cum huc veniant tam procul, immensaque sit India, tantis tamen ipsi leucarum tot millium spatii à via non aberrent, sed rectò in has Regni mei angustas insulas cursum tendant. Stupreo pariter Lusitanos gentem clarissimam & gloriæ cupidam habere Sacerdotes qui primas licet in iis cum teneant, huc tamen pro Deo nauigant ut sint ad bibendum aqua tepida contenti, quod tanti facio, ut iis carens, meis fontibus non fruatur, sed siccus exarescam, durantur sine iis in gelu meæ aquæ, illorum aduentu liquefcent, poteruntque non ægrè transmitti; ad hæc nobis gratissimum accidet Regnum nostrum Lusitanis frequentari, quos bonæ fidei, & probos esse comperimus: nullas debent apud nos timere iniurias, quin esse potius de nostra beneuolentia, & fauore securi, pares siquidem illis ab orbe condito nunquam hic vidimus: nec est quod illos ab his locis, prædonum metus aliò auertat, non sunt enim prædones ubi sunt Christiani. R. V. quanto citius poterit Patres ad me mittat, ego defixo in littus, animo illos operiar.] Tomarini has literas Almeida ferendas in Indiam credidit Lusitanis, sed eorum complures vel conditio ciborum, vel intolerandum extraneis frigus cum morbo abieciisset, suam iis statim impendit curam, & siue ars fuerit, seu donum sanandi, quod aliquoties iam indicauimus familiare huic fuisse, intra diem quintum & decimum valetudinem ac vires restituit, aliquos ibidem initiauit baptisate, nauique iam ventis parata, Turriani dictata nauigaturis seruanda tradidit, atque imprimis seruorum Sinensium in Iaponia, empta ergastula ut amouerentur ab oculis vectorum effecit, & in ima naui sera clauderentur, cuius binas clauas, maturis senibus, probisque commisit, quotidianæ pietatis pensa de communi omnium assensu præscripsit, supplicationes item, ieiunia, & subsidia in egenos, cunctisque Deo enixè commendatis, ipse Cangoximam; illi in Indiam rediere, mensium quatuor sementi Cangoximæ, messis auarè admodum retulit; etsi forte non sit habenda parcior si magis præstantia hominum spectetur quàm numerus; in iis enim duo præcipui aulæ regiæ optimates cum familiaribus aliquot adiunxere se Christianis. Rege non modo non inuito, sed auditum de fidei rebus Almeida, probante, admirante, & ad vltimum exclamante *Хохима! hoc est*

verè res sancta! quod etsi ultra hunc sterilem, eius ad plausum non exiit; profuit attamen nonnullis, maximè aulicis; quos interioris numinis afflatu ad fidem iam pronos, audere docuit absque metu, eamque apertè complecti, quam Rex suo ut ira loquar oraculo sanxisset. Ipsos quin etiam Bonzios, quamvis principio trahebat, exoticæ scientiæ curiositas inanis, & multi erant in quærendo, de Deo & ipsius lege, sed eò euasit hæc percontatio, & indagatio, ut præclare de religione sentire inciperent, & noctes integras fratrem Almeidam de illa tractantem detinerent. Hinc multorum ex iis omnino sequebatur salus, nisi cum lege Christiana voluissent, ritus sibi aliquos permitti, Ethnicum redolentes, tunc saltem cum festis quibusdam adesse illos Regi oportebat: sed nefas iudicatum, Christo Belial sociare, quare in sua hædere superstitione; aliquanto ulterius promouit alius, clarus natalibus, Bonziorum doctrinis locuples, & tribus illorum Præfectus cœnobii: hic dum inter Iapones Xauerius ageret multa ex eo percipiebat scitari de Deo, & natura, sed carens interprete, nunquam potuerat, nunc ubi de Almeida rescituit, assiduus cum illo esse, & fatigare hominem nullo sine de causis imbrium, & ventorum, terræ motu, & similibus, quæ vulgo Iapones interrogare consueuerant, ex quo fiebat ut quamuis Almeida non esset literatus, tantum tamen in iis didicisset, quantum opus erat, ut ab Iaponibus horum planè ignatis, pro magistro auidè audiretur. Sed breui ex natura, rerumque ordine postremo, tanquam vestigiis, Bonzium induxit ad agnoscendum illarum opificem, & conseruatorem, motus illarum vicissitudinem; inde ad futuram post hanc vitæ cogitandam immortalitatem, probis quidem in cœlo beatam; sceleratis apud inferos miseram; illam nobis redemptoris aduentu, & morte partam; ab hac nos eodem pretio liberatos, nec prius desiit quàm veri efficacia conuictus Bonzium fateretur Deum, esse vnum ac verum quem adorarent Christiani; se Xacam, & Amidam, omnesque Iaponum fabulas habere pro nihilo; animo, denique, quod solum tunc poterat esse Christianum. Hinc se animarum quinque & triginta, felici præda auctus Almeida, in arcem retulit Echandoni Principis, ubi sacro Baptismo septuaginta lustravit infideles: vitam, quod ante innuebam, viuebant eiusmodi, arcis illius incolæ Christiani, ut ab iis piorum sensuum plus Almeida duceret, quàm illis tribueret, nullum æque cœnobium religiosæ familiæ tanta queat gaudere consensione animorum; tanto affectu in diuina, tam intentis in omnem virtutem studiis. Multi erant in vltro demandis corporibus propriis, viri, fœminæ, pueri; quibusdam placebat sylvarum recessus, ubi soli per aliquod tempus, inedia & precatione pascabantur. Deerat tamen iis Sacramentorum vsus, magistri de-erant, monitoresque diuinorum, præter bonum senem, quem tanto ante Xauerius, suo loco iis præfecerat; & alium acutissimi ingenij hominem, qui mundi creati vniuersam historiam, ad Christi tempora, eleganti

eleganti stylo Iaponicè scripserat, huius vnum aut alterum caput collectis vna Christianis legebat, Echandoni filius natu maior, sacris olim à Xa- uerio ablutus. Libri exemplar (ranti opus fecerat) Almeida petiit, ob- tuitque ipsomet ab auctore; qui licet quinque supra quinquaginta consta- ret foliis grandibus, sitque Iaponum formatu difficilis character, illud ta- men sesquidie absoluit. Post hæc sanctis illis Almeida prolixè salutatis, Cangoxiua quo se receperat, breui reuocatus est in Bungum, vt à Turria- no mitteretur ad fidei facem regnis duobus inferendam, horum aditus pandebat diuina benignitas, viri magnanimi egregia opera, quæ multis va- ria, mirisque casibus, digna est quæ ab initio cognoscatur.

Qua Saicocus, insula, siue vt vocatur ab aliis Scinus occidentem spe- ctat, longo tractu potest peninsulam efficit, scinditurque in quatuor brachia, horum quod situm est ad septentrionem, contiguum insulæ, re- gnum Omuræ continet, ab aliis Vomuræ, vel vmbre nominatum, latine *ingens locus*, et si est angusti circuitus, & Regi Arimæ, cui ab austro confi- ne est, olim veditigale, huius Rex moriens anno lapsi sæculi quinquage- simo, filium reliquit ex Sinenfi susceptum pellice, proin à Regina & duodecimviratu (penes quos rerum administratio) natalium vitio re- gni spe exclusum, quanquam id Regio sanguini delatum vt in Goto ditio- ne quadam modica potiretur, ex qua more Iaponum Gotondonus dictus est. Regem Omuræ defunctum propinquitate regni & generis contin- gebat Chengandonus Arimæ Rex, duorum parens liberorum, quorum natu maximum Icatam seu Regem, iam decrepitu dixit; alterum no- mine Chumitandam, priuata contentum fortuna, species, supra Iapo- nem eximia ornabat; animus Europæo quam barbaro propior, libera- lis, officiosus, comis, & forti concolor in quam euectus est; nam à Re- gina Omurenfi adfuit in filium, consulto procerum & populi, Rex ac- clamatus est: iam duodecim regnabat annum, cum in eius manus inci- dit libellus à P. Villela compositus quæsitæ Iaponum continens, & res- ponsiones quibus diluerat seorsim singula; huius ergo libri lectitatio- ne, vel iis etiam quæ ex seruido Christiano, fratre Præfecti Omurenfis, de Christi lege sapius audiebat; sic erga illam affectus est, vt acceden- te item spe commodi nonnulla, daret in Bungum literas ad P. Turria- num, quibus illi vnum è suis portibus ad Lusitanorum commercia defe- rebat inimmunem ab anchoratio, & quouis alio veditigali; tam plenè verò Christianorum vsibus addictum, vt intra duas ab ipso leucas domum fi- gere fas esset nemini nisi Christiano, vel Turriano annuente. Vochura portui nomen est, Firando abest milliari vigesimo altero; leucas exteri- ori ambitu duas claudit intrus scindit se in reductos sinus, multosque in vno portus aperit minores, nihil potest illic ventorum vis noxia, fau- ces illius à tempestatibus parua insula defendit, & ab alto irruentes frangit: portenderant quædam, Chumitandæ consilium signa, vul- garibus maiora; ad insulam enim cum applicuisset Petrus Barretus nobilis Lusitanus, tribus primam sub noctem continentibus diebus

27. *ch*
Vochura
portus à Re-
ge Turriano
datur ad
fund. illic
Christiani-
tatem.

imminentem portui crucem in aëre, cum sociis omnibus spectarat. Crucis figura & color non proditur, dubium non est celsiorem natura causam habuisse, idcirco Barretus huius monumentum, in ea insula crucem ligneam dedicauit. Cæterum Vocoxuram Turriano dum offert Rex Omuræ, huius vel quæstusosi officij æmulus Rex Firandi vel suamet cupiditate actus, ad Turrianum, & ipse scribit, abstiturum se ab exagitandis Christianis, & potestatem facturum amplissimam promulgandi suis Euangelij, tantum ne suis à portibus Lusitanorum naues absterent; adhibendum porro ad hæc negotia Turrianum putarant hi Principes, quod certò crederent, ubi iudicasset Christianisuro conducibilius, eò Lusitanos, naues, & commercia versuros: ob hoc Turrianus Almeidam, Funaium Cangoxima acciuit, & principio Iunij Facatam cum F. Iohanne Fernandes militi, remansuro illie vice Damiani, quem conuersione Optimatum centum, mirificè alacrem, socium duxit Almeida, sed cum Vocoxuræ neque Chumitandam, nec eius ministros reperisset quibuscum de conditionibus oblari portus statueret, Firandum vela fecit, ubi dum grauiter afflictos solatur Christianos, nuntiatur adesse Turrianus, senem optimum ad hoc iter inopinus euentus adegerat, alioqui rei Christianæ plurimum obsuturus, dum pendent ab Rege Firandensi proposita, Firandum nauis Lusitana in portum subit, Indorum & Sinarum gaza pretiosissima locuples, amens gaudio apud se Rex impius, impetare sibi non potuit, quin ad Christianorum opprobrium simplicitatem suam accusaret, qua putasset aliud Lusitanis pecunia, & Lucro esse antiquius; scisse illos abundè quantis odiis & modis sæuiret ad extirpandam ipsorum legem; hoc si Lusitani vel minimum, vt sunt acutissimo sensu doluissent; haudquaquam profectò à Bungensi, qui Christianos ad eò deperibat, ad se fuisse diuersuros, vt Firandum suam, suis opibus ditarent, his homo scelestus, timorem suum mulcens peiora parabat Christianis. Fefellit meditata barbaries hæc parantem, accepto Turrianus, & qui erant in Bungo Lusitani, de nauis appulsa nuncio, & Firandensis Regis contumeliosa iactantia, decernunt hominem docere, an esset pecunia Lusitanis, carior pietate. Scribunt illicò ad Præfectum nauis Lusitanæ, togant omnes facessat eo loco & præ illis cognatus in portum alium succedat, esto lucro id fieret magis sero, minusque opulento; quicquid hinc sibi decederet commodi Deo donet, & Religioni; Christianæ decus pietatis, genti suæ proprium asserat, nec patatur suo illo in portum ignominiosum ingressu, minui aut perire: ad hæc vt intelligeret Firandensis, apud Lusitanos posse omnia Turrianum in iis quæ cultum diuinum tangerent; institere id iter susciperet ipsemet, vt quod ipsi valdè optabant factum, eius arbitrio fieri videretur. Præfectus ex æquo magnanimus, & pius, gratulaturus aduentanti, nauis suam quàm potuit magnificentissimè vestitam, explicatis vexillis decorauit, præsentem verò salutationis honorem torius armamentarij tonitru dixit, ex quibus Firandensis cepit iam aliter sentire de reuerentia quam apud Lusitanos obrinebant Pa-

tres,

tres, sed multò certius paulò post, cum in salutato portu inhospito, nauis puppi Firandum conuersa Vocoxuram abscellit, sparsa priùs consultò fama, vitandam Lusitanis terram, cuius Princeps legem ipsorum tyrannicè premeret; ac Firandi quidem Christianos grata opinio aliquantum erexit, fore ut Rex suo damno cantus abstineret se ab iis diue-xandis; sed aliunde abiicit grauius Turriani discessus, pænè ante ablati quàm benè conspecti, ventitabant Vocoxuram nauiculis, viceni, & triceni, & coram præ lachrymis loqui non poterant: illorum consolatio-ni, ne deesset, simul idoneis firmaret monitis F. Ioannem Fernandem Facata accersit, quòd confitentibus audiendis, & sacro epulo pascendis vix ipse sufficeret, ac ne sic quidem sufficiebat vtrique dies; vigilaban-tur noctes in concionibus, in precatone, flagellationibus & supplica-tionibus publicis, ad mentem sacræ confessioni preparandam: interim portus Vocoxuræ solenni rescripto Chumitandæ Christianis donatus incipiebat habitari, & ea quidem frequentia ut cum vix antea piscato-rum domus tres aut quatuor numeraret; ex affiniibus regnis, quin, & Meaco tam multi confluerent ut in numerosum euaderet oppidum.

Menses aliquot dederat Turrianus nouæ illic fundandæ Christianita-ti, cum eius conatus, & Chumitandæ liberalitatem Deus splendide co-ronauit, illuminauit enim optimum Principem tam copiosa diuinorum perspiciacitate, ut Christianus vnâ prope fieret, & sanctus, colebatur an-no 1563. verni ieiunij hebdomas altera cum Vocoxuram improuisus venit, quasi Turriano visendi honorem gratificaturus, & domum in pi-gnus beneuolentiæ, cui maius pretium dantis manus quam materia fece-rat, die proximè sequenti domum nostram rogatu Patris, dignatus est sua præsentia, subque ad mensam accubitu, ad quam illi nobiles Lusita-ni cultu Regio ministrarunt. Inde solus cum solo Turriano in sacram ædiculam concedit, vbi Deiparæ cum infante in brachiis filio, penicil-lo expressa imago, altare decorabat: ibi Rex Vocoxuram se ait ob hoc tantum venisse, ut de lege diuina explanarentur sibi aliqua viua voce; nosse iam quantum ab iis dissideret, quæ in Iaponia seruabantur: cui essent ad manum varia semina, prudenter agere si quam optimo agrum confereret; semen hoc esse Dei nostri legem: velle se illam corde intimo condere quòd satus esset pacis, & æternæ vitæ; nec fore apud se steri-lem, atque emortuam, sed ab se suorum omnium animis insertum iri, ad hæc emicuit gaudio pectus boni senis, absque mora Fernandem accersit cui erat expeditior sermo Iaponicus; explicantur coram prin-cipia fidei, de Deo præcipuè, & excellentia diuina, nec fuit aliquid tam subtile, & nouum quod ingenium Principis non bellè caperet: iam-que primæ huic scholæ sat datum fuerat, recedebatque Rex animo emol-litus, quod vti postea retulit, obseruasset infantem è sinu Virginis, dehi-xos in se quocumque se verteret, semper oculos habuisse (siue ars picto-ris seu miraculum id fuit) & sibi nescio quid interiùs in aurem cordis ta-citè suggessisse, quod nondum satis perciperet: tunc illi stabellum obtulit

Turrianus (quod solent Iapones ad delicias gestare) Iesu nomine pulchris coloribus impressum circum radiis, & cruce desuper, uti usus est coronato, quo attentius inspecto, auebat scire Rex quid hæc innuerent, sed frater Fernandez prudenter eam rem distulit, causatus illos characteres significatu compendiario mysteria claudere, quæ nisi per ortum, & tempus valde vacuum euolui non possent. Die itaque postero en adest denuo sub occasum solis, ut de iis mysteriis audiret, seclulisque tunc cæteris aulicis vnum secum admisit Ludouicum Omurensis Præfecti germanum, & hæc altera ut dicam schola, in horam tenuit ante ortum diei secundam, ad eum Rex orbis conditi audiendis successibus hærebat captus, seruatoris aduentu, futuris post omnium vitam; supremi iudicij tribunali; & ex eo bonis, & probatis cum Christo in cælum adiscendis; præcipitandis verò in sempiterna incendia sceleratis: de quibus dubitationes tam appositae proponebat, ut palam faceret probè ab se omnia comprehendere; sed cum catenus de Iesu nomine sileretur quod erat stabello intextum, exegit promissam illius expositionem, dicentem verò de Christi cruce nomini appicta, & de Imp. Constantino, illius in cælo aspectu mirabili, ad certam erecto victoriam, tandemque victore, audiuit attonitus, & mirè gestiens veneratus est illam reuerenter, voluitque à F. Fernandes, cruce verba subscribi, *Per signum crucis de inimicis*, &c. cum oratione Dominica, & Mariæ salutatione: causas inde quæsiuit quadragenarij quod tunc colebatur ieiunij iisque perceptis, festos per annum dies tam statos quam mobiles, sua sibi descripsit manu, illosque insuper quibus esset solenne Christianis abstinere se ab esu carniū, & hac in præsens lætus notitia discessit: die autem proximè sequenti Ludouicum ab se Turriano legat; fatetur se victum, expugnatumque vi veritatis qua lex sancta pollebat, denique Christianum se esse, ac ut sibi primum diuino beneficio daretur, regnum prole mascula stabilire, professurum se publicè Christianitatem, & inaugurandum sacro Baptismate, hæc dum expectaret, rogare interim ut crucem ad pectus liceret sibi apertam gestare, quod annuens Pater hominis pietati, vehementer illum animauit ad sperandum magna fiducia, petendumque à Deo filium, se verò id quoque eius nomine petiturum. Deinceps Omuram profectus elaborandam sibi ex auro crucem iuber, eaque in pectus de collo pendente conspicuus, fratri suo Regi Arimæ se sistit; rogatus ab eo num esset Christianus, liberè respondit Christianus, & animaduertens id illi handquaquam displicere, ad audendum maiora confirmatus est. Hos minutiarum apices, in quouis alio forsitan negligendos, in Chumitanda certè censui numerandos, in quo ut postea videbitur nihil fuit exile, nihil non dignum illustri posteritatis recordatione. Omura Vocoxuram reuertit ad tempus maioris hebdomadæ, optauitque per suum apprimè fidelem Ludouicum à P. Turriano, ædificandæ sibi prope Ecclesiam domui aream, velut omni se portus illius exuisset iure, ex quo illum Christo donauerat, fecit eidem condendarum, & promulgandarum legum potestatem in gratian fidei, sed iis addidit ab sese, quicumque circum longè

longè Ethnici habitarent, dictis diebus conuenirent ad audiendum de Christi mysteriis; menses ab hac Regis Vocoxuram profectioe altera; vix duo fluxerant, cum vxorem suam Camizamam Reginam, fecu de se concepto grauidam lætatus, promissi Deo, & Turriano fidem sanctè ac celeriter liberauit; venit ipse triginta stipatus nobilibus, magnam partem suo ad sacra Christiana magisterio paratis eademque secum Religionis veræ generositate alacribus, neque tamen prius à Turriano Baptismum tentauit poscere, quam significasset per nuntium, haud ita sibi futurum in promptu, Bonziorum cœnobia, ipsosque Omura Bonzios extirpare, vti forte iubebat Christiani sanctitas muneris; se quidem Regis Arimæ germanum, idolorum cultoris, sed tamen clientem beneficiarium esse; Bonzios ipsos magnis affinitatibus fulciri; pronumque iis fore, seditione urbem, Regnum tumultibus miscere; posse attamen illos arte alia subruì, intactisque ab igne illorum domibus; pedetentim quidem, sed tandem funditus reuelli; succisa videlicet quam accipiebant quotidie ab Rege sportula ex quo erat necessè consequi vt vitam, aut solum præ fame verterent. Hæc si Turrianus probasset sufficere, sacrum ab eo lauacrum se petere. Annuenti ergo se illi sistunt, & nocte audiendis de Deo & fide illius, sermonibus traducta, sub auroam lustrandi accedunt, Rex positus genibus, ad eius latera nobiles, clara omnes voce; fidei summam simul pronuntiant, tum cœlo atollunt brachia vt mos illic orantibus facere; denique Rex primum Chumitanda, demissione animi singulari, vitali ex fonte renascitur, & Bartholonæi (qualem deinceps vocabimus) nomine insignitur; inde suo quisque alij ordine lustrantur, haud certè placendi studio, vel Principis sui adulatoria imitatione; sed prorsus ex vero, atque ex animo, Rege iis hanc laudem tribuente, neminem inter illos esse, cui certum non esset Christi legem amplecti, quantumuis Regem attendisset in superstitione pertinacem. Regeneratus Christo Bartholomeus Rex Omuræ, diem vix vnum à curis vacuum Vocoxuræ cum Turriano piè duxit, statimque à fratre ad ducendum accitur exercitum aduersus Principem confinem; nec mora profectus, prodere illico apertæ signa pietatis, etiam supra quàm esset pollicitus. Solunt quoque lapones, armorum Deum nescio quem, & eum gigantis effingunt corpore, gallo scutaræ illius galeæ acroteriis incubante, Maustem eum appellant, & in eo quàm illis insignibus, quàm vocabuli specie nonnulla, Martem nobis veterem repræsentant, vel eius consimilem: scitantur ex eo, & accipiunt responsa, belli dubiis rebus; sanctèque obseruant vt eductæ in aciem copiæ, ante illius traducantur ædem, & simulachro militum singuli, proclinatione corporis venerationem, & demissione armorum signorumque exhibeant. Sed enim stylo longè ab hoc diuerso Rex Omuræ Deum illam salutauit: nam ad eius templi fores constiterat, cum gradu suppresso exercitum omnem mandat subsistere; tum in oculis omnium, monstrum illud, suo iussit altari deiici, &

coram sibi toto templo ad pedes raptari; stricto mox ardens acinace, per gallum, & galeam, medium diuidit simulachro caput, aiens proliquoties tua fraude sum falsus; neque his ad vindictam satis; simulachri reliquias cum templo incendit, crucemque interea paratam, grandem defigit eius loco, quam & ipse imprimis, & cuncti post illum duces, & milites venerabundi adorarunt. Exin cum iam in castra venisset, Dei quam fratris negotium, laud segnius gerens, etsi ab regno procul, nec procul ab eo per Bonzios ad defectionem concitando, caelo tamen confusus; quaecumque in sua extarent ditione simulachra, & templa incendio damnauit, & deleuit; Bonziis iras, & rabiem, inra fremitus, & execrationes prementibus; sed de huius Principis laudibus, & fide in Christum (pro qua regno etiam pulsus est) ineluctabili, atque intrepida, cum magna suppetant, pauca saltem, & breui, non sinit hic locus, posteris negari. Dum ergo in castris haberet exercitum, erudiebat milites diuina lege, trahebatque tam multos ad expetendam gratiam sacri fontis, vitamque suo ab exemplo ducendam, ut eius manipuli & cohortes, de Choris Religiosorum plurimum referrent, cruce singulos donabat, quam aperto gestabant pectore; mittebat paucos simul ad aliquem e nostris, qui forte abesset propius, ut ritè ab eo tingerentur, illisque mox reuersis alios, atque alios submittebat: quis quid in fide ambigeret, vel minus caperet, eius se publicè doctorem professus est fore, utque interdum apud suos magistri officio fungeretur, noctu fiebat nostrorum discipulus. Prae omnibus titulis Christiano se praecipue iactabat, dictitabatque se Christi seruitute, quam Regni corona nobilitatum illustrius: rotundam armatus, utroque ab humero ferebat laminam, Iesu nomine encausto infusam; crucem auream ad pectus; precatoriam è cinctu coronam isque fermè idem, cultus omnium eius aulicorum: acturus cum P. Turriano, enses deponebat, magno apud Iapones prodigio, praesertim Principes, quoties adesset operaturus sacris ex Patribus aliquis, sacrificio diuino quotidie intererat, nec pigebat horas interdum solidas illud expectare, nec promiscuè in templo eum pauperibus aequè ut cum diuitibus versari; omnes aequè secum Principes arbitratus, ex quo facti fuissent Christiani, ostento modestiae, in superbissima gente singulari: ac ne sibi obicerent Bonziji parsimoniae sordidae notam quandam ex quo ceperat Christo militare; sex millibus pauperum, lautum epulum dedit. Regem Arimae Germanum per Patres & literas argumentis omnibus, & precibus sollicitauit ad Christiana sacra. Camizamam uxorem Reginam, vnum hoc ab se tantummodò, diu multumque flagitantem ne nouis Religionibus, passimque iniussis, auitam mutaret; spreuit tanquam deliram; & eò paulatim adduxit, ut cum honorariis puellis, complecti vellet eam legem à qua tam dirè abhorrebat, quod factum ab ea post paulum cernenius; quid plura etiam parènti armatus occurrit addictissimo Bonziis, & Neophytis Cocinozuensibus maximè infesto, immisitque illuc militarem manum, quae inde ministros extruderet aegros à quibus incolae miserè vexabantur:

vexabantur : sunt hæc Bartholomei Regis primigenia decora, in quouis alio fanè ampla , in hoc præ aliis quæ sumas de illo narraturi ; tenuia , & propemodum nulla.

Hoc eodem anno 1563. principio Iulij Vocoxuram appellunt Ludouicus Froes , & Ioannes Baptista Montius Ferrariensis , ambo Sacerdotes, quorum aspectum, & amplexus tam prolixè sibi gratulatus est Turrianus, vt circum præsentibus excideret lachrymæ; nempe sibi videri denuo viuere, quin & deinceps vitæ saturum, votorum in hac vita compotem esse, postquã haberet quibus lectam illam Christianitatem relinqueret, senem se, agendo, & ferendo fractum, gressusque baculo ægrè satis regentem, multò magis regendæ illi Ecclesiæ iam esse imparẽ, fratremquoque Ioannem Fernandez relictum sibi à Xauerio socium lento morbo petire, ærumnosis contracto immodicisque laboribus; creuere senis decrepiti gaudia professione votorum trium quam à triennio idcirco distulerat, quod deesset Sacerdos qui vice Præpositi eam exciperet. Excepit illam Ludouicus Froes Assumptæ in cælum festo Deiparæ, quo eodem olim Iaponiam, ante quatuordecim annos Xauerio comes attigerat : non defuit suã celebritati symphonia, pueros ad hanc F. Arias Sancius, Vocoxuram ex Bungo duxerat, doctos solennia cantuum plectendis fidibus ornare; sed his multò iucundiùs sonuit Turriani vox ipsa, sensus animi pios, interceptosque singultibus palàm omnibus testata, flebat vnà & Froes rem sacram faciens, licet febrì tunc valida æstuarẽt, flebant quos magno numero cõegerat pietas ad cohonestandam lucem patri suo optimo gloriosam, qui mensa denique ab eo recreati ad lætitiæ cumulum, nullo paupertatis, aut diuitiarum discrimine, mixtim vnà sumpserunt prandium; vulgato duorum ab India recenti auxilio, quisque illos sibi destinare, & Vocoxuram nuntios mittere qui cupidè illos flagitarent, in quo efficacior nemo, Antonio illo eiusque coniuge sanctarum dynastis insularum, de quibus dictum in tractatu Firandensi, dedere literas supplices quinis aut senis nauiculis iteratas, quibus denique perorabant, nisi obtinerent quod tantopere postulabant, adfuturos quamprimum filios ipsorum duos, nec Turriani genibus ante auellendos, quàm postulata impetrassent; nec ire in castum apud illum tot preces, promisit ipsemet profecturum se ad illos ocyùs Firandensis iram nihil veritus, cui ob auersam Firando Vocoxuram Lusitanorum nauim, erat magnopere inuisus, morbo tamen oppressus lethali, sua & illorum desideria distulit: sed anni huius exordio, tam multa illic mira que præstiterat, vt de iis Iapo quidam pius volumen scripserit, menses tantum complexus duos quos in vineam illam impenderat, nec alia referens, nisi quorum fuisset ipsemet spectator, & restis. Scimus præterea Lusitanos duos Turriani amicos, & comites in excursionẽ illa breui, Neophytorum religione, & sanctimonia sic muratos, vt eorum alter Societati nomen daret, alter qui erat vxoratus institueret vitæ rationem cœnobitis quoque inuidendam, illi ad pedes Turriani consuetum singultus & lachrymæ ob nauos ceteroqui le-

28.

Xhamabon.
& Cocino-
zij conuer-
sio.

nes, illa aegrotorum lectis affixorum deportatio in templum ut sacris interessent, illæ tot horæ noctu peruigiles ad canendam alterna virorum, & mulierum choro Christi vitam, quam ad hoc patrio digesserant carmine, affectus ille mutuae caritatis, & locuplerum in pauperes tanquam domus eiusdem fratres liberalitas effusa; præter ardorem propagandæ in illos fidei, quos superstitione deorum, adhuc habebat irretitos, cuius præteritum ardoris fuit baptismatum frequentia celebris, & in iis Calandoni, qui sororem Antonij Beatricem duxerat uxorem, ad extremum illa Christianæ legis tam excelsa generosaque professio, non solum ut alacres ad mortem pro illa in procinctu starent, sed fundere sanguinem ac mori optarent vehementer; hæc, inquam, in aliis vulgo prodigiola; in Firandensibus Christianis, duarum maximè quas memoramus insularum, familiaria, & trita. Deinum ab iis discedens Turrianus, conferto dolentium comitatu, & faustas perentium adprecationes ad littus deductus est, felicemque se duxit, quisquis sibi locum in decem nauigijs reperit, quæ totum eius redeuntis prosecuta sunt iter, ac ipsi quidem futurum gratius nihil erat quàm si alterum ex duobus qui recens aduenerant iis attribueret potuisset; sed Christianitas Bangensis annum iam integrum carebat Sacerdote, & Regi de illa magnificè merito negari non poterat, etsi nondum palam ageret Christianum: ad hæc noui quotidie illic, Euangelio patebant aditus, & nunciabatur de conuersionibus illustrium plurimis, quas edebat F. Odoardus Sylua, è tribus vnus quibus incumbat eius vineæ cultura, misit ergo illuc Ioan. Baptistam Montium cum F. Almeida, quem iussit Neophytos Chimabareses, & Cocinozuenses ex itinere visere, suæ post Deum partus industriæ. Sunt hæc vrbes duæ ad mare positæ; portuque vtuntur percommodo; præsertim Ximabara, cui præest Toparchæ cum summo imperio, nam Regi Arimæ beneficia est Cocinoxus, illas Frater Almeida, mensium quatuor spatio adiunxit Ecclesiæ, sed opem illi strenuam præbente iuvene Damiano, quem quocumque iussisset pergere Turrianus miræ illum conuersiones sequebantur, Euangelij præconium Ximabaræ in aulam primùm Almeida intulit, paucisque congressibus proceres, tam perspicua errorum quibus tenebantur notitia imbuit, ut omnem à Principe prædicandi Christi potestatem ferret solenni firmatam diplomate, inuitaretque suos per præconem Princeps ad eum audiendum; & ediceret sibi fore gratissimum si Christi legem omnes sequerentur, ad hoc eidem arcam donauit ædificando templo, in summo portus utrimque lunati acumine, obstrinxitque templo iure perpetuo, proximarum septuaginta ædium incolas. Verum quod longè omnibus antecellit concordi suo & vxoris voto, Regis Arimæ sororis, fidei pignus quam nondum censebat proferendam, Almeida obtulit tingendam aquis vitalibus filiolum suam, annorum vix quinque sed maturorum capacem sensuum, quos in pompa Baptismi eo maiestatis decoro prodidit, ut si foret annorum complurium matrona, Mariæ, huic nomen inditum, fuitque in Ecclesia Iaponensi, primus de stirpe

stirpe regla surculus; secuti sunt dominam populi; nobiles primum; deinceps alij, septuageni, centum, interdum ducenti simul ritè lustrati, quibus instituendis Almeida ter quotidie concionabatur, & dicenti auditor ita non deerat, vt vicum stiparet, ante fores nobilis Christiani, apud quem Almeida diuerterat, essetque postmodum aliò auditorium transferendum vbi si minus vniuersi at quam plurimi dicentem perciperent: his gemebant, & rumpebantur Bonziji, hoc quidem acerbius quod ipsis à pueris, illic vt tota vsquam Iaponia acutis, & ingenij viuacis, prouocarentur ad certamen de religione, & seu pudore, siue arrogãtia recusantes, traducerentur ab iis ignorantia, falseque luderentur, quod erat hominum generi fastuoso intolerabile, ac nisi multitudine vicissent qui Christi legem sectabantur, turbatum haud dubiè in vrbe ab iis esset: quod nihilominus sed frustra tentarunt; nam decem ex iis crucem in ædibus ex ligno prostantem in quas audituri conueniebant Christiani securibus frangunt; & cruces cartaceas lacerant, quibus fores suas plerique munierant, velut indicibus Christianismi quem colerent, direptis prius quas mobores vocitant sygraphis, quibus tanquam certis malorum aueruncis, tutas fore spondebant Bonziji domos omnes, quæ illa præferrent inscripta frontibus amuleta: nec certè procul miraculo absuit lenitas, quæ illatam cruci contumeliam Christiani, reorum morte non vlti sint, quamquam illos item continuit obseruantia Bonziji cuiusdam Regis patruj, & sacrilegorum in eo scelere ductoris; nepotis illum & ratio, & reuerentia seruauit qui Christi nomen peregrinum sua collectum ditone grandi suo fouebat periculo, haud tamen diu Christianos tenuit hic mæror, illorum breui alacritas, honosque restoruit, Bonziorum scelere detritus: quadrima puella sacris nuper initiis abluta ægrotauit, & morbi violentia, cum morte colluctans, repente, exhilarata est vultu in beati speciem tam sereno vt constaret sic illu è cælo fingi, tum ductis in eos qui circum aderant oculis gestiens, sursumque attollens brachia, lingua patria claram vocem hanc rupit, *tormi iangate mairo*, hoc est *rectè in paradysum pergo*, moxque se denuo componens animam efflauit. Peruasit Xemabaram rei miræ fama, & velut æquè in omnes caderet Baptismo lustratos, quod ipsa de se puella simplex affirmarat, omnes mirificè animauit ad primæ illius innocentia retinendum florem, cui mors non esset aliud quam velox transitus in vitam meliorem. Sexcentos ferè supra mille reliquit illic Almeida Christianos; Cocinozi solùm quadringentos, quod à pluribus id oppidum non habitaretur, loci ergo dinasta cum vxore filiis, omnique familia, salutaris aquæ illic primitias exceperet, inde populus vniuersus cuius partæ laudis Bartholomeo Regi piissimo prima gratia debetur, vt qui multis de Christi lege sanctissima magnificè dictis Regem Arimæ fratrem suum præoccupauerat quamuis sectæ Iaponum peioris inter pessimas æmulum; Ienxij vocabulo notatur, tollitque de rebus diuinitatem omnem, & æternitatem animorum: rogauit nihilo secius mitti ad se à P. Turriano, quem audiret de Christianis mysteriis differentem. Almeida

meidam verò ad hoc venientem ea dignatus est veneratione quam vir potuisset Principi exhibere, considere secum in folio iussit, tum secum discumbere, post hæc sibi per solidam noctem fidei arcana explicare; fructu quem dies consequens ostendit, misit Almeida regiū diploma quo ius illi dabatur amplissimum Euangelij toto regno vulgandi; apertas præterea literas quibus vniuersos Cœnozuensium clausos ditione, ad Christianum cultum inuitabat; adiunxit his ipsi ab aula nobilem qui esset fidus comes, & apud populum testis Regiæ voluntatis.

29. Tam lætis ouans successibus, vtroque in Omuræ, & Arimæ Regno Christiana res ferebatur, vt ne palmum quidem cultui ethnico videretur in iis relictura, quantumuis de nostris operarios tantæ spei, haberet paucissimos; cum improuisa vtroque tempestas, omnia in exitium vertit; in rebellionem ciues, in arma populum, in fugam reges, in depressionem vltimam Christianos. Procellæ huius auctores *Æoli*, duodecimvirum Magistratus, à quibus Omura regebatur. Hi suam iniuriam, & probrum muneris quod gerebant, interpretati Regis factum, in expulsis regno Religionibus patriis, ritu nouo suscepto, & inducto, eiectione Bonziis, deletis igne eorum cœnobiis & templis, idque suo quod illos vrebatur acrius, nullo vel consilio, vel assensu: ergo offensæ communionem inuicem proritati vindictam coniurant, primùm clandestinis molitionibus, cum necdum apertis valerent, simulant velle fieri Christianos, (& sunt Iapones simulandi artifices maximi) rem tamen in longum, ex proposito trahunt, & Bartholomæum Principem optimum in dies differunt, cui non erat cernendo acies tam obtusa vt verbis illorum fidei plus daret quam dissimulata perfidia: quare Turrianum per literas monuit, si Omurenses duodecim viri Vocoxuram venirent erudiendi Christianis doctrinis, probaret illos bimestri spatio, terna quotidie occupatos schola, quantum enim dabatur intelligi, metus erat non leuis, ne certa in Christum odia, fucipicti amoris tegerent, & ab adeunda quidem Vocoxura longè illis animus aberat, sed dum eximunt tempus, laruam iis detraxit opportunitas consilij improbi, statura quadam Augusti Luna imminebat ritus erga Regis defuncti statuam à Rege obeundus, quam thure posito vaporabat, & proclinati reuerentia corporis venerabatur quasi rem diuinam, Bartholomeus tunc non idem qui olim, à sacrilegio veteri abhorrens, loco soliti suffitus, detractam altari statuam cremavit, cerimoniam impiam eius deflagratione extincturus, occasione hac duodecimviri haud paulo latiores, quàm si millies statuam vaporasset, absque mora Gortondonum adire per litteras, defuncti Regis nothum; iniuria nefas illi describere, exstimulare, si quid honor posset, ad detergendam defuncti maculam Turriani & Regis sanguine, eius enim auctorem spargebant Turrianum, nec sardo cantatum classicum, Regni angulo pridem tenebat se agrè Gortondonus, paterno imperio exclusus, Bartholomeum spectabat non alio quàm de tyranni spectantur oculo; arrectus de cæteris in occasiones, si
quam

Arimæ &
Omura ab
idolol. ob
Christi fide
cucatur.

quam forte sibi rerum volubilitas præberet ad ius suum armis asserendum. Neque hominis ambitum moli tantæ tollendæ vis impar retardavit, quod promissione duodecimvirum confideret; qualicumque se septimum exercitu mouisset, accessura suis concitati populi arma, & Faribum arrogantia, opibus, milite pollentem, arcium quatuor beneficiarium Toparcham Regi pridem offensum, suas simul acturum partes; ac in Regis caput sic erat ab iis instructa proditio; Turrianum verò pellicere Omuram laborabant, vbi eum haberent crudelitati suæ deuotam victimam, ad hoc tam callidas probabilesque dedere operas, vt Regem ipsum scelesti consilij ministrum adhiberent, licet contraria omnia cogitantem, bis à se Vocoxuram Ludouicum misit Præfecti Omuræ germanum enixè vrgens Turrianum, adesset quamprimum: Regi Arimæ fratri suo fixum inaugurari sancto Baptismate; Reginæ vxoris eandem esse mentem, vti pollicita fuerat, expectari ab iis qui se in diuinis erudirent; ex verò omnia non item quod sequitur, duplex illi ab duodecimviris offerri solum ad ædificium ædis sacræ, festinaret venire, & optare pietati fidelium vtrum censeret conducibilius; sed profectionem Omurensem diuina bonitas ab Turriano commodè auertit, nihil insidiarum suspicante; verum ad eam cumprimùm vocatus est, paranda edendaque professione solenni occupato; cum autem secundum vrgeretur, periculosissimè ægrotante; proditiōnis totus furor in Ludouicum refusus est, is cum Turriano dum ex insidiis Vocoxuram inter & Omuram expectatur, comparens statim inuaditur ensibus, interrogatur quid de Turriano, moxque Faribus insontem nudato acinace obruncat; inde Omuram versi, percurfare illam cum perduelli Magistratu, & Regem Gottondonum insanis vocibus acclamare; sed cum turbam sequacem, quam multam animo finxerant non viderent, noctu ignem Regiæ, post vrbi etiam subdidere; in cassum vtrumque; per ferrum, & ignes Bartholomeus Rex optimus, incertum quo sospite euasit; vitæ quidem dubius aliquandiu, cum sat tuto illam credi posse putaret nemini, latuit igitur per aliquod tempus in syluæ intimo recessu Sinensi vsus ad necessaria, furtim sibi cautèque suggerenda; ethnico illo sed constanter fido, & tenaciore honesti, quam vtilis cupido, quare illum Rex sibi postea, imperioque restitutus, & beneficium erga se agnouit, & cum familia condignis præmiis ornauit. Vocoxuram postmodum Gottondonus occupat, funditque se procul in Arimæ Regem seditio, qui ab rebeli consobrino fugatus item Regno, vix vitam seruauit incolumem, & peribant Germanis Regibus duo illa Regna miserabilem in modum, nisi quod ex iis nondum erat rebellione occupatum parens Xingandonus sustinisset sua grauitate. Prodiit senex in publicum, & factione Bonziorum quibus semper fuerat addictus, ruinam inhibuit postremam: ad nostros quod attinet, vbi Vocoxuram de funesta Omuræ conflagratione, & Regis eiectione fugam nuntiatum, Christiani omnes Turriano instare cum lachrymis, eriperet sese exitio protinus, vitam eius momento pendere; neminem à perduellibus ita curiosè indagatum iri,

nec tam cupidè ad necem petendum, & iam Omura petitos adfuturos sub primam lucem Vocoxuræ; sibi etiam tamen si magnam partem extraneis certum esse, subductis quæ essent pretij, alicuius, terras alias quaerere, à præsentis exitio tutas, donec placitum Deo foret meliora tempora referre: ac de se quidem & socio, Turriani mens eadem fuit, statimque alter longa naui, seu iunco sublatus, Froes & Fernandes onerariam conscendit Christianorum mercatorum, qui egregiè ab armis, & militibus cõparati, spreto hostium incurfu in portu constitere. Turriano certè acerbior nulla mors venire potuit vastatione Vocoxuræ, tunc quidem iam captæ, post paulum direptæ, demum incendio traditæ, cuius & flammæ spectabat gemens, & vaporem proximus hauriebat. Dissipatis inter hæc Iaponia omni, Arimæ, & Omuræ cladibus, fama que vt solet earum colossos supra verum enormes, circumferente primis aspectibus populi; de Bartholomei nece ab coniuratis occisi iurabatur, de sepulta ruinis impetij illius gloria, de Christiana re stirpitis euulsa & perdita, de interfectis illius præconibus, vel exterminatis, quæ dum in Bungo iactarentur, cæloci ausus est nauigantium ethnicorum F. Ludouicus Almeida se credere, exploraturus quæ fors Patres in iis turbis maneret; vel opem laturus si adhuc viuerent: incredibile est quot sannas, conuitia, vitæ pericula verarar ad portus singulos, quos leucatum spatio quinquaginta ex itinere libauit: at quò tandem deinceps nempe Vocoxuram? at enim nullam esse, consumptam flammis ædem sacram (vt erat re ipsa) frustra illam conatis ab incendio tueri duabus Christianorum nauiculis: sed pungebatur longè acerbis Bonziorum importuna exprobratione, legem Christianam Deorum & hominum odiis criminose pro more damnantium; quod secum vbique bella, incendia, euerfiones urbium, populorum strages, eiectiones regum circumferret, si vnus, si verus, si potens Christianorum Deus, Bartholomeo suo cur tantoperè defuisset: has inter veteres improborum hominum cantiones Ximabaram appulit, inuenitque mediæ ciuium suorum minutam parte, hanc ipse olim ad fidem adduxerat, interque alia, vrbis regionem præcipuam in ea reliquerat insignem Neophytorum domibus quadringentis, volenti exscendere ad eos reuifendos, denuntiata est certa mors ab amicis, si vel in conspectum se daret; quare fortis videt ne superuacaneè ambiret, monuisse contentus de suo appulso, illico habuit magno numero cimbarum ad nauim suam Christianos, viros, pueros, omnes infinis instantes precibus clam ad se diuerteret, nec se temporibus tam iniquis pia destitueret consolatione, cunctis verò ad se certatim illum trahentibus, ita omnibus satisfecit, vt quæ illi domus hospitio fuit, omnes exciperet, audireturque illic ab omnibus, de diuinis tractans, à primis tenebris ad vsque auroram, de constantia præsertim Christiani propositi fortiter ad mortem retinendi. Longè alia ipsi hospitalitatis vrbinitas obrigit Cocinozi Regis Arimæ portu, vnisque ferè habitato Christianis, quam velut diuinans apud se facile coniecit, dum illam quam medio in campo solenni more crucem statuerat, multum oculis

lis requisitam, nusquam vidit, quod amarè dolenti, fingentique animo
 variam facti causam, adest remigio celeri è terra Phaselus, nauique ip-
 sius ex aduerso consistit immobilis, inde alter eorum à quibus solis age-
 batur, magna voce, vetat illum pedem in solo ponere, quin & priusquam
 illucesceret sequens dies portu edicit facessere. Arimæ Regem Xengan-
 donum cuius nomine hæc iubebat, nolle suis vsquam in ditionibus Ma-
 gistros. legis quæ tantum malorum filiis intulisset, orbassetque regno
 alterum, quod esset Christianus; alterum quod Christianus esse vellet:
 quibus dictis omnem peruolitans vicatim Cocinozum poenam capitis re-
 petito præconio indixit omnibus quicumque rectum Almeida præbe-
 rent. Quare solus in portu, à terra procul diem illum egit, nisi quod
 nocte intempesta, Christianorum nobilium ad eum cimba tacitis remigi-
 bus accessit, consolatura magis afflictum tot cladibus, quam leuamen-
 tum aliquod ab eo acceptura. Excusata enim necessitate negandi hospi-
 tij, postremo supplicio indicta; de sua suorumque Cocinozensium in
 Christo firmitate dixere tam assèueranter vt Almeida lachrymas cierent,
 tam alacri læto eorū generositate, erat enim & huius Christianitatis quo-
 dammodo parens, qui porrò esset in præsentis rerum status ex iis didicit,
 redisse Xengandonum ad Regni clauum; Bonziorum impulsu natorum
 maximum Arimæ Regem damnasse exilio; religiones auitas, Christo
 eiurato, imperasse omnibus Christianis, & succisa cruce templum solo
 æquasse; at enim aiebant magnificè; nos ad saxa & ligna de genibus
 colenda, quis tandem mortalium adigat? & Deo debitos honores, dæ-
 moni à nobis extorqueat; mille prius cum vxoribus & liberis oppetemus
 mortes. Potest nobis Xengandonus vitam, Christum eripere non pò-
 test: flagitabantque ex Almeida exorari sibi à Deo seu vitam seu mor-
 tem, vtrumvis illi placuisset, tantum professione non indignum sancti-
 moniæ Christianæ, hinc post mutuas salutationes hi ad sua regressi; per-
 gens Almeida, Vocoxuram septembris 20. legit.

Quadragesimus currebat dies ex quo Bartholomeus Rex nunc obses-
 sus, nunc profugus, nunquam cælesti auxilio, nunquam fide in Christum
 solida defectus, vitam ægrè per casus varios trahebat, cum visum deni-
 que summo Regi restituere illum in suam Omuram, si minus tranquilla
 in pace, Regni saltem recepti potentem, & dominum, quod significare
 Turriano non distulit, datis ad eum per illustrem clientem autographis
 literis, quibus paucas solum notabat arces quæ adhuc starent à perduel-
 libus. Regis victoriam, veluti propriam celebrare Vocoxuræ naues
 oneraria & longa, tormentorum fragore, & diuersorum ignium festa
 luce. Gratulaturus Regi Turrianus, vices suas commisit sancto seni, qui
 Firandensi olim Regi ab secretis Seriba, tunc Patrum adiutor præconem
 Euangelij agebat, eratque Christianis aded venerandus vt in eius ample-
 xum Rex ipse interdum procurreret; patremque nominaret. Turrianum
 suum noua per hunc salute impertit, spondens vt primum Regni motus
 interquiescerent, profecturum se ad eum visendum, se iam Faribum Lu-

30.
 Rex Omurz
 hostes suos
 profigat.

douici proditorem sicutum; se Gortondonum nothum obsessos premere, nec posse ab iis obsidionem diu sustineri, sed hæc quidem illius spes præfens, nam fuit ea spe longè victoria plenior, quàm verò & Regno profugus, & in Regnum reductus, & inopinatis iterum actus periculis, immobilem animum, & inflexam aduersis, semperque victricem Christo fidem seruauit mirabile dictu est, mille ipsum & rationibus, & minis, & precibus versare conati sunt Xengandonus parens, alique extranei Principes, quibus verba omnia responsione vna consuevit eripere malle se Christianum esse quam Regem, vel hæc solùm ex causa dignus Christianissimi titulo quo illum Iapones & Lusitani decorarunt: duas illi mos erat de nocturna quiete horas precando demere; nomen Iesu augustum, utroque ex humero, crucem à pectore, precatoriam è Zona coronam nunquam deposuit, habuitque semper pro insignibus regis: duobus suis beneficiariis dinastis, vel auaritia, vel ignaui metu in apostasiam prolapsis, caput iussit illico abscindi, perduelles sibi non minus quam Deo arbitratus, & flocci æstimans quicquid inde tunc sequi pronum erat cum parandi magis recentes amici quam perdendi veteres viderentur; enimverò non commisit Deus tam religiola consilia in auctoris perniciem vertere, ac licet ipsius excoquendæ virtuti, formandæque illius exemplo alienæ, ferre suppetias laboranti tantisper distulerit, sed hoc è tandem magnificentius quò serius præstitit. Collecta enim denuo rabie, anno eius æui sexagesimo quarto Septembri mense armavit in eum Rex Firandicum quinquaginta nauigia; Gortondonus decem supra centum; Faribus sexaginta, impositis cuique canteriatibus duodecim catapultariis, omnes Omuram contendunt, Excipiendæ huic nubi pro virili sua Barthomeus quoque occurrit alacris, & quanquam numero, & audacia suorum multo inferior, confusus tamen causæ bonitate in qua Religionis periculum vertebatur, certò Deum putauit sibi propitium adfore, ac missum quidem à Turriano vexillum cruce picta insigne præferri iussit exercitui vniuerso veluti clypeum; verum aliud accepit cœlitus, quo in spem victoriæ multò certius est erectus, dum enim suos in hostem ordines dixerit, ecce illi de cœlo pulcherrima specie crux ingens obiicitur quæ utcumque vel soli, vel exercitui conspicua, haud minus ipsi, quam olim Constantino, triumpho extitit pignus, & victoriæ nuntia. In quartum diem October processerat, exscensione facta hostis, Omuram versus ferebatur discincto similior & victori, quam ad pugnam accincto, ut qui sui securus, & tumens viribus de belli exitu nesciret ambigere. Sed cum ad Omuram conuigendum putasset; meliori consilio Bartholomeus vrbe procul, montis dorsum insidiis legerat, quo interciperet medium eius iter, & si minus posset agmina fundere, improvisus saltem incautis ingrueret, eaque turbaret, cuius à Deo, ut creditur, hausti consilij exitum ita qui suggererat fortunauit, ut vnum idemque fuerit hostem coram cerne-re, fundere, profligare: quadringenti ex iis eo prælio cæsi; debilitati vulneribus multò plures, in naues cæteri se fuga abdidere, insistens victoriæ

Rex

Rex, arces tres suas hosti eripuit, tantumque inualuit vt posset deinceps iis esse formidandus à quibus fuerat laceffitus. Præfectus armorum Firan- densis, suorum post cladem reducens reliquias, nec satis intelligens qui tandem Rex Bartholomeus, valuisset tam paucis, & vilibus, tam mul- tos bellisque exercitos frangere, superiorem quandam, vt erat vir pru- dens, eius victoriæ agnouit causam; nec Bartholomeo, nec eius militi, sed Christianorum Deo illam attribuit, pro cuius obsequio, & fide, nec imperio nec vitæ Bartholomeus pepercerat. Domitis hac pugna ex par- te hostibus, compulsisque ad rogandam pacem, Turriano donum crucem auream misit, qua ipse Christi miles ad pectus conspicua, pugnae cam- pum ingressus fuerat, monens eius virtute se ex certaminibus victorem, è periculis saluum sapius euasisse; haberet illam sui amoris pignus; eius vice ad se aliam mitteret, hoc solo sibi maiori futuram in pretio; quod eius è manibus venisset.

Vocoxura tunc aberat Turrianus, & Taraxe portu Regni Fingenſis morabatur Bungenſi imperio subiecti: eò se Februario Vocoxura incen- sa contulerat anno 1564. nosque illum affectabimur scribendo; si pri- mum, in flexu occiduo eius in qua versamur insulæ memoratu digna, in- dicauerimus. Quo die Fuaxem Turrianus, eodem soluit Tacuximam Froes, expetitus ab Antonio illius vt dictum sapius dynasta, illic men- sem iam ynum F. Io. Fernandez indefessam Deo nauabat operam, cuius non potuit tam citò Froes aliquod ferre leuamentum, quod febri teneret- tur pertinacissima, & plusquam trimestri; ex qua breui, pleneque conua- luit, fuitque sanctorum illorum in eo curando tam sollicita & constans, tam diu noctuque æmula & profusa beneficentia vt si ipsorum parens esset, sed nec parèe illis vicem retulit Froes decem mensium labore sedu- lo, quo illos in eum (Fernande comite) virtutis eximia prouexit gradum, vt eius spectator sapiens Lusitanus, nihil se in illo vltimo Oriente mira- bilius vidisse, ad amicum scribat [michi planè, inquit, persuasum est has duas Antonij insulas, inhabitari à Spiritu sancto Tacuximam, & Ichi- ceuchim, nec est qui possit, nisi per se spectarit, statuere, cuiusmodi sit hæc hominum natio ab idolis ad verum, rectumque conuersa, in hoc orbis antehac ignoti postremo cardine, hac innocentia, & asperitate vitæ vltro- nea, Christianos non vidi quales Tacuximæ, quæ se ita totam Christi no- mine ostentat, vt nec vna nocte hospitem admittat ethnicum, sextis hebdomadæ per anni decursum feriis, dum Litanias decantaret Pater, flagris in semet ardentem viri, pueri, parentes, filij, tam religiosa pietate sauebant, vt possent è saxi lachrymas ducere; eorum complures vt vi- ri sic sceminæ, ex propriis domibus ad crucem in colle positam, in quo humantur Christiani, adrepunt genibus, orantes si videris, nullum iis Monachorum Conuentum prætulervis; idemque de ieiuniis ferio iudi- cium; mihi quidem, illos dum attendo, non videor esse Christianus; nam illorum ex ore, præter diuina, & cantica, solutis, strictisque numeris de Deo, de Virgine, de Christi natali nihil auditur, nec sunt pessimo nostro

3 J.
Sanctitas
Christ. Ta-
cuximensis.

more iurando assueti, supersedeo ceteris laudibus quarum mihi nullus sit finis, sed dico iterum quod initio posui, certum mihi esse Spiritum sanctum inhabitare has insulas, versarique cum his Christianis, *singi* enim haud posse alioqui, unde tanta illis virtutum vberitas suppetat.] hæc ille iis consentanea, quæ spectatorum relatu testium de illis superius scripsimus. His dum occuparetur interdiu Fernandes, noctu sibi de somno horas aliquot seponebat, quibus libellos componeret ad piam fidelium institutionem; & nostrorum ex India commodo, linguæ Iaponicæ rudimenta. Septem enim mensium spatio instruxit Grammaticam quæ eius linguæ sermonem proprium certas redegit in regulas, sed hæc multorum voluminum Iaponicæ lucubrationes, nocte quadam; fortuito cubiculi eius, palearij scilicet, igne perierunt, graui nostrorum illic recentium operatorum iactura. Tacuximæ attamen nec ipse nec Froes ita erant affixi vt non alibi quoque, & seminarent, & meterent. Ichiceuchi Fernandes prædam eripuit dæmoni, annos possessam nonaginta, tam diu vixerat anus quam Christo lacratu est, & annos peregrinando contriuerat quocumque audisset idolum, aut ritum frequentari, peccatorum indulgentiis celebrem: quare diuitem licet, claræque natalibus Bonziji ad sanguinem munxerant, cum præter salutem misera nihil desideraret: grandi falce felicem se credebat remissionum emptarum à Bonziis caro merita sua vendentium, sed veste præ omnibus è charta simplici, cui vitam Amidæ actaque singula, sua manu Archibonzius pector illiuerat, hanc ipsa thesauro sibi partam, moritura parabat induere, nihil addubitans quin culpis omnibus, pœnisque absoluta, in cœlum recta euolaret, sic enim ferebat superstitio Iaponum, & Bonziorum auara cupiditas. Quod autem veri boni amans fraude potius aliena, quam suo scelere in eo quaerendo aberraret, respexit miseram, & simplicem Deum, & ministerio Fernandis ad agnitionem veræ lucis, vitæque perduxit, ad quam flens tot annorum cæcos, & insanos labores, collectas in fascem syngraphas, vestem, diplomata, aliaque Bonziorum sacrilega ludibria in flammam coniecit, quod factum in eiusmodi fœmina, sanè heroicum, Deus illi tam largo præmio rependit, vt Baptismo lustrata, mox sancta fuerit, tercentas quotidie salutationes Matri Virgini dicebat; bis terue quot noctibus surgebat ad orandum, vix efferebat templo pedem, & cum ægrè se antea moueret, visa Baptismo iuuenescere Tacuximam venit, sanctæ illius Christianitatis aspectu fruitura.

32.
Firandum
P.P. reuocan-
tur moritur
E. Silva.

Metebant hos fructus operæ P. Froes, & F. Fernandes in vicinis Firando insulis; Firandi nequaquam, prohibente illos portus sui hospitio Rege Christianis rebus inimicissimo, qui etsi luctis immaniter inhians quibus Lusitanæ ab India & à Sinis naues, portum illum augebant, sæpiùs confirmasset ab se reuocandos, datam fidem semper fefellerat: quamobrem hoc anno 1564. Augusti 17. in prospectum Firandi cum Meaco venisset nauis S. Crucis, Præfecto eius Almeida plurimum institit Turrianus, vt vellet portum alium optare, ne Christianismi, & Bartholomei Regis sæuum

læus hostis, illo quæstu fieret in Christum ferocior: annuente Præfecto, mercatores & nauæ reclamant, pertæsi dierum ultra quadraginta nauigationem procellis infestam perpetuis, & auiditate præsentis commodi, leucarum iter quadraginta, Cocinozum vsque, Christi obsequio negantes; sed hoc ab iis non impunè peccatum: quod illic damnum ab igne, & à prædonibus tulere decem millium aureorum æstimatione notatum est. Hinc rerum suarum iam consultiores, suapte tum spontè, tum Frois suasu, disertè Regi significant; suarum mercium diribitionem si gratum haberet firandi heri, Firandum Patres reuocaret; solum ædi sacræ illis tribueret, pro illa quam furor Bonziorum, ipso annuente, flammis delitisset, ad hæc breui responso, & celeri; cupiditate consiliaria, & apud illum omnium arbitra Rex; nauis inquit, portui succedat; Redeant bonis auibus Firandum Patres; Christianos inuicent quos volent: templum statuunt quo loco maximè duxerint opportunum, quæ ut iussa, sic in opus redacta bona fide, sed probè memores Lusitani, & Christiani ciues, quàm contumeliosè à Bonziis, ante aliquot annos eiectus fuisset Villela; pensari hoc dedecus Religionis in eo sprete, altero tanto honore voluerunt, & Froem ac Fernandem magnificè in urbem induci. Die igitur Bartholomei Apostoli, superbo cultu nauim ornant S. Catharina, & iuncum seu liburnam eodem in portu consistentem, illam Froem in littus, hanc Fernandem vecturam, suus cuique Præfectus, Lusitani complures, & nauæ proprio omnes visendi schemate, & varietate habitus peregrina. Christiani præterea ex vrbe ad littus festa omnes in veste, & alacres, exscendentes nauibus Patres gratulatorio tonitru machinarum omnium salutantur, inde versus palatium pergitur. Procedunt mixtim Christiani, sequuntur medij, nostri duo; pompam claudit Lusitanorum comitatus, ciues quidem viri, scemina, pueri confertis in turbam ordinibus, cum lachrymis, cantibus, gaudiis, quod contra spem omnem, & Regis Tacanombi aduersum Christo ingenium Patres sibi cernerent restitutos, & velut triumpho de hostibus claros. Quin & ipse Rex festo annuere, & adplaudere visus, utcumque animo senserit, gaudere se vehementer dixit, aduentu Patrum; & humanissime affatus salutantes, dimisit: sub hæc visendi officio perfuncti apud Antonium Sancturum Toparcham insularum; ratiq; promendâ non segniter concessam à Rege gratiâ metati sunt illicò ædi sacræ locum, accessitque mox ad eam extruendam, Lusitanorum erga Patres tam prompta quàm solita largitas, trecenti, & eò ampliùs ducati: spontanea solùm nauium trium contributione, sed iuuit Christianitatem Iaponicam beneficio gratiori nauis S. Crucis, cum tres illi de nostris aduexit Sacerdotes Baltasarem Costam, Melchiorem Fighuerodium, & Ioannem Cabralens, horum Figheredius Cocinozum ad Turrianum profectus est, Cabralis Tacuximam. Duobus qui Firandi iam erant comes tertius accessit, hoc subsidio mitigata est iactura F. Odoardi Siluæ, ante menses quatuor fato functi, totus erat in conuersione Cauaxiri quam Turrianus illi crediderat, cum ex mediis eius, opimisq; laboribus euo-

catus est ad quietem: qui Cauaxiro Tacaxem deduxit Almeida, ut quod erat illi peculiariter in votis morientis oculos premeret Turrianus; de illo in Indiam sic scribit. [F. Odardum reperi quanto remediis egentiorum visitatis, tanto cœlestibus diuitem; sola fermè in ossa desierat. Mera laboris improbitate in morbum collapsus est; diu noctuque intentus diuinorum prædicationi, nec potus nec cibi meminerat, & feruentiorum ex fratribus agnouit neminem, nullum ipsi abibat, punctum temporis vacuum, qua diligentia non Iaponicas modo verum, & Sinenses affecutus est literas, tametsi difficiles, eiusque inuentum est Iaponica quam concinnauit Grammatica, cum eiusdem linguæ indice copioso, legis itaque Christianæ manifestandæ ardor onera illi imposuit debilitate afflictæ corpusculi grauiora; nec facilè scriptu sit, cum primùm Iaponiam attigit quàm acerba se tractatione maceravit, conatus sum equidem quæ mecum tuleram fomentis hominem recreare, sed cum ex eo præter spirans cadaver nihil prope restaret frustra fui, Turrianum sibi animam acturo adesse cupiebat, eò Tacaxem eum deuchere iussus sum, idque mare tranquillum, & noctem placidam feliciter nactus ut potui præstiti; nec item quicquam caritas intima Turriani erga illum omisit; sed hunc vindicauerat sibi Deus, decimo post appulsum die finem viuendi fecit, sumpta bis Eucharistia, & relicto nobis humilitatis eximia, patientiæ, aliarumque virtutum quæ in illo splendebant illustri exemplo.

33.
De Turriano,
Rege
Bangî, &
Omuriz.

Cæterum Firandi dum religio instauratur, eam aliis quoque locis restituebat in iura pristina Turrianus. Vastata ut dictum flammis Vocoxura, nauigauit Tacaxem, leucarum itinere quinquaginta (est hic Regnis Bungi, & Arimæ, portus conterminus, cum pago) consolatus est obiter nonnullos Christianorum pagos; in iis vnum Neophytos habentem octingentos, inter quos Leo claritudine generis excellens, non est passus aliud quam ad se illum diuertere, gratificatus hac sua hospitalitate, tum sibi priuatim, tum fidelibus cœteris, qui eandem in domum extemplo confluxere, noctemque illam diuinis à Patre audiendis magno animi sensu, & lachrymarum copia exigebant; cum ecce tibi de repente saxorum tempestate fenestras lapidari; belluinos tolli ululatus, conclamari immuni strepitu foras foras, nominatimque Turrianus probrosis vocabulis appellari, concinnarat bacchanal huiusmodi Bonziorum turba, Patris illuc aduentum ab exploratoribus edocta, sed ludum insolentem proximè abfuit, ut sua clade postrema luerent; Religione quàm iracundior Leo suos in armis esse iubet; familiam sanè numerosam, obseruabatur enim tanquam Princeps, comportari paleam, & sarmenta mandat, eertus ignem cœnobiis subdere, viuosque in iis Bonzios cremare, & ibat res dicto citius in opus, nisi hunc denique placasset Turrianus, sunt planè Bonziorum daemoniorum genus, quod alia exsecratione, & carminibus aliis vix possit abigi. Postridie quidem comperto discrimine quod sibi dementes consciuerant, ad eò refrixit illa eorum temeritas stolidi, ut per octo dies quibus illic fuit Turrianus, nemo ad vicum in quo erat Leonis Palatium

tium, accesserit Bonzios. Tacaxem Turrianus cum applicuisset explorandum putauit an Rex Bungi suam illic probaret stationem, eò F. Almeida ad illum misit leucis distitum duabus, & triginta. Eam Rex optimus, qui parentis illum colebat loco, non probauit solum, sed gubernatori portus mandauit per literas, vt ipsi & Patribus sedem, ædesque assignaret. Post, alias item quibus illum enixè populis suis iubebat esse obseruandum. Denique cum intelligeret, auarè operi fructum eo in portu respondere, diplomate Regio duplici, huic sterilitati mederi studuit, erant illa duabus inscripta tabulis, & prætexta simbriis eleganter; in vtroque autem, caractere aureo legebatur, notum esset vniuersis in Regno suo degentibus, licere cuilibet à patuo ad maximum, legem suscipere, profiterique Christianam, si quem eo ferret audacia, vt Patribus obstaret; vel traductos ad Christum vexaret, pœnas criminis luiturum, sibi esse in votis, vt ditionibus suis omnibus annunciaretur lex veri Dei: horum alterum diploma Tacaxe promulgandum curauit Turrianus, altero instruxit Odoardum Siluam, Cauaxiri pro concione indicendo, erat enim tunc adhuc concionando par Odoardus: hæc sapientissimi Principis in Christum, & Patres voluntas egregia, discruciatum Bonzios tetrus modis; ausisque sunt quidam coram obtrudere, homines publicè infames, qui carne humana vescerentur, & quocunque intrassent, ignem, arma, seditiones, clades secum eò inferrent, tollendos è medio, vel retrudendos in Indiam; non autem in Deorum probrum, & damna Iaponiæ fouendos, quorum os impudens cum rubore Rex his verbis occlusit, annos ad tredecim versantur Patres in meo imperio: trium eram Regnorum dominus, priusquam venissent; Regnis quinque nunc impero, egebam pecuniis, nunc eis abundo, præ quouis alio Iaponiæ Rege; prole mascula carebam, vehementissimè expetita, nunc ea gaudeo; bona mihi omnia cum Patribus venere. Iam hoc mihi à vobis dici volo; ex legis nostræ diuturna tot annorum, vestrique ob illam conseruatione, ecquid mihi obligat vnquam boni? auersatusque, ite inquit, nec sit præterea ex vobis qui apud me talia garriat. Philosophatus etiam eodem in argumento Rex Arimæ multò sublimiùs, cernens enim deiectis, dispulueratisque à Bartholomeo fratre natu minori simulachris, cœlum non ruere, nec in eum igne, & fulminibus pugnare, vt futurum canebant Bonzij, cœpit Deos Iaponum pro saxis & lignis ducere. Præpotentem verò Christianorum Deum, qui suam iniuriis violatam vlcisceretur crucem; & proferebantur eius pœnæ singularia ostenta formidabilis exempli, quibus idem Rex ad Baptismum validè mouebatur; sed eodem cum fratre, Regno pulsus deliberationi supersedit, quoad recepto demum sceptro, primas recepit cogitationes; accensus fraternis victoriis, & triumphis, ad eò supra spem relatis, vt videretur Deus ipse, sub illius signis, cruce videlicet militare, quæ primam eius aciem antecedeat semper, hac ope Faribum, Gottondonum, Firandensem, Omurense prælio infregit; hac paulò post arcem paucis horis Regni clauim recepit, quanquam esset in

montis edito, prærupta undique, nec viros haberet nisi solum triginta, sed viros, sibi que animis, & manu nequaquam absimiles, quare perduelles qui eam propugnabant, pars contrucidati pars in præceps, fugam dum tentant acti, & saxi illisi; euentus Iaponia omni celebratissimus, & cælo auspici attributus, nunquam alioqui obtinendus nisi longa & aspera potentissimi exercitus impugnatione. Nimirum certabat in castris Bartholomei Deus, certabant Turriani preces, quarum suppetias pius Princeps nunquam non consueuerat poscere, cum esset huiusmodi ardua & ancipitis belli aggressurus.

34.
Amplific.
Christ. Firandensis,
virtus An-
tonij Japon.

Redux in ditionem Rex Arimæ; adeoque in mentem pristinam, erga religionem sacrosanctam, Turrianum Tacache acciuit ad Christianam vt significabat excolendam illic, & propagandam legem; accurrit, etsi perperam valens senex, expertusque est omnem Arimæ aulæ, ac Regis præsertim benevolentiam, qui eius consuetudine gauisus aliquandiu familiarem quendam suum huic assignauit, viæ ductorem & comitem, vt cum terram legisset Cocinozi, ædem illic figeret Deo sacram, in quam de more Christiani pietatis studia obirent. Debebat hic honor eorum probitati, & inuictæ in Christo constantiæ, à qua Chengandonus Rex senior, nec minis, nec precibus quenquam illorum excutere valuit in uitam superstitionem; quingenti simul, ferro ceruices parati subdere, testati sunt robur inflexi pectoris, conditionis impiæ contemptu qua ad Christum negandum urgebantur. Hæsit illic multo tempore Turrianus, vicinis quoque Christianis operam commodans, & hinc suos ad Euangelij sementem in diuersa spargens, in quibus Ludouicum Froes, Meacum destinauit, Vilelæ subsidio futurum, Cocinozi Rege propitio, & Turriano procurante nauigabatur in tranquillo mari; Firandum, & proximas insulas, vices rerum agebant promiscuæ, Regem eiusque Principem filium, ingens tenebat odium nominis Christiani, dumtaxat mitem, & beneuolum animum tunc soliti edere cum eorum rationibus commodasset. Præter hos dynastâ Catâdonus cum duobus eiusdem ordinis, & aulæ proceribus, qua sua priuatim maligna indole, qua Bonziorum instincti scelere, Christianis rebus aperte erant inimici. Solus de quo superius dictum est, pro iis stabat Antonius; isque ad hoc Regem adduxit vt Iasirmandachem Firando expelleret mysteriarcham Bonziorum, origine Principem, infensissimum Dei hostem, & Euangelij, qui Vilelam aliquot ab hinc annis ignominiosè Firando eiecerat; nunc vices iniuriæ recepit. Nec Regi fuit sat integrum, eius exilium tametsi cuperet, Antonio negare, vt pote armorum supremo arbitro, & cui parem bello habebat neminem. Iungebat quoque vir præstantissimus dictis suis arma in defensionem fidei, quando vi & armis non verebantur Ethnici in eam insurgere. Tam morum exemplis, quam Religionis studio pariter efficax, solennis per urbem suimet diuerberatio quoties rediret; primas agebat in illa partes, primus ad templum, ad sacra mysteria, ad crucem adorandam, quoties per belli negotia liceret. Dabat prandia Christianis; & ab

iis vocatus, quantumvis pauperibus, promittebat; sedebatque nullo sui discrimine velut ex iis vnus, magno demissionis miraculo inter Principes viros apud quos in Iaponia populus non pluris fit bestiis. Dicebat item ad populum, disputabatque cum Ethnicis, & partem vnus salutem anteponebat gloriolæ victoriæ: huic Ioannis fratris natu minoris conuersio accepto ferenda est, eamque postea virtus egregia subsequens; huius enim fides, & probitas vxoris Ethnicæ intepuerat consuetudine, sed ab ea demum Dei gratia liber, Patrum hortatu, & Antonij aspectu, curas suas omnes in vsum animæ contulit, euasitque Christi propugnator, haud multum fratre inferior.

His Firandensis Ecclesia columnis nittebatur, ex nostris habebat Cabralem, & duos adiutores Iacobum Gonzales, & Ioannem Fernandes quibus præerat Rector Baltasar à Costa, perfecta est Nouëbri mense hoc sæculi anno 65. tēpli ædificatio, quod præcedēti fuerat inchoatum & quidem, vt in Iaponia splendē, solis enim ædificant ligneis, sed perpolitatis, & maximè læuibus, quæ incrustatura exterior lutea ab incendiis defendit, ad motum populi quemlibet illic nimium familiaribus. Inauguratum est die sacro exceptæ in cœlum Deiparæ, nomenque huic inditum Temongi, quod apud nos cœli portum sonat. Rex ipse ad visendum opus, officiosè inuitatus à Patribus, & ab Antonio & Ioanne Christianis proceribus deductus venit, magno aulæ totius comitatu; & qualicumque tunc animo fuerit, certè hilari fronte, & placida spectare creditus, quod Christianos non parum recreauit.

Ecclesiam aliam sua ipsemet Deus, si loqui fas est, fundauit manu, ad hoc vsus Ethnica Princepe Icibondoni vidua bello cæsi, simulachris, & Bonziis ad insaniam addicta; huic erat filia quæ primis nuptiis Regis fratris, post eo mortuo Ioanni fuerat collocata: hac nihil erat in vita matronæ carius, quod eam in cultu idolorum tam exquisito educasset, vt non posset sibi fingere sanctiorem; sed has delitias superueniens morbus terro felle aspersit: mater filia metuens, diu noctu, flens orans assidebat Deorum genibus, Bonziorum preces stipe larga emebat; reparandis eorum caducis cœnobiiis, nouisque construendis suggerebat sumptus, Firandum tota votis, & sacrificiis fumabat, sed iis inanibus, & in cassum conceptis; accessionibus incrudescens morbus, Bonziorum ingratiis valetudinem citam spondentium, filiam extinxit: hic anus misera, honorum pœnitens, quibus à puero Deos coluerat ingratam illorum exsecrati mercedem, crudelitatem inculcare, detestati, postremo indignans, Patrem Acostam vocat, suam illi ex sorore annorum quatuor quadrimam filiulam tradit sacro lustrandam Baptismate; tradit ad hoc item honorarios suæ familiæ ephebos; tradit (quod maioris ad Dei gloriæ momenti) pagos duos, suum Ichiceuchensi in insula patrimonium, quos Christianis præceptis, & sacris imbui voluit, esseque Christianos; sed si de cætero spes tantum magnas dedit, quæ nullos vnquam sortitæ sunt fructus; inueterata olim fidei odio fœmina, dum fuit superstes, nec

34.
Firandensis
Ecclesie vic-
ces.

Christiana vixit nec Ethnica, cuius etiam valde dolenda iactura, sed eam lucra vbertim pensarunt, quæ de pagis duobus ab ea donatis messuere Acofta, & Fernandes; illo statim profecti; subactum sementi solum reperiunt; Christianum nomen decusque in pretio; Christianorum qui vicina incolebant, integritatem admirationi: quid multa? breui quinquaginta illic & quingentos idola erroremque dedoctos, Baptismo expiarunt: horum in partem feliciter venit doctissimus Bonzius, rationum vi pressa, & longa in publico disputatione, à F. Fernande expugnatus, traductusque ad Christum conuersione tam forti, & serua, vt confractis, incensisque, fani cui præerat, maximi, simulachris, illud Cruci sacrandum donauerit, quæ magno populi concursu, & applausu illic erecta est. In eadem verò insula, & propinquis, Christiana vigeat sanctitas, & amor diuinorum tantus, vt peculiari magis de cælo gratia eruditos, & effectos, quam exteriori hominum magisterio putasses; horum ea cum esset viuendi ratio, & innocentia, paraturi tamen confessiones nauorum leuium, præuertebant illas voluntariis eorum pœnis vna & altera hebdomade, vigilando, precando, corpus flagris asperè atterendo. Sed huius virtutis selectam temperationem, nihil ita prodidit, vt ab Rege Firandi subita & cruda vexatio, ad quam porrectior solito eorum alacritas, fundendi spe pro Christo sanguinis, aut spoliationis, & exiliorum gestiebat. Tempestatis causa multiplex, origo vna; Regis in Christum, & primogeniti, ac trium procerum odium, gentisque pessimæ Bonziorum. Regis armis vt diximus cum imperio Antonius præerat, firmamentum illius Christianitatis, eamque ob rem Bartholomeo Regi mirè gratus, vnde officij gratia contigit Lusitanum in scapha, cum litteris ad eum mitti, eique de suis adiungi comites, quatuor Christianos. Firandensis, illorum nuntiato aduentu furens, proditorem vociferatur Antonium cui cum Principe Christiano communia essent consilia, à quo se nosset capitalibus odiis auersum, nec vltius cunctatus, mandat quatuor illos de medio tolli. Grædi planè virtutis generosæ, & religiosæ spectaculo, mortem vita sibi reponendam æterna non dubitarunt excipere, pronoluti in genua, tenentes manibus coronam Virginis, sublatisque in cœlum brachiis, expectauere immoti carnificum gladios, à quibus sunt crudeliter necati, & hinc se furor inhibet Firandensis, sed cœca barbabit premebat rabiem aduersus Antonium, & Patres, omnesque Regni sui Christianos. En ergo alia paulò post turbarum occasio. Facunda ex portu, superlectilem Patribus variam afferebat nauis Ecclesiæ vsibus paratam, nauim minora Firandensis Regis decem nauigia, diuini cultus contemptu spoliant, & Christianis (qua ignominia nulla inter Iapones atrocior) arma detrahunt sua læti præda latrones dum eam scrutantur vt diuidant, in tabulam incidunt Sinenis operæ, quæ scandentem in cœlum repræsentabat Deiparam Firandensis Ecclesiæ titulum, hæc velut eximia prædæ pars, defertur Carondono Christianorum hosti sæuissimo, qui Regis filio, sacrilegij socio, imagini oculos eruit, & scædum in modum sordibus deformatam, aspectibus omnium,

in

in palatij sui aula exposuit, ad captandos ex ea ludos diſteria, & riſus, in deliberatum Deiparæ, continuumque opprobrium, queſti ſunt ſæpius apud Regem iniuriæ nefas; & indignitatem Patres; at is promiſſis contra reos minacibus Patres ducens, reiſa nihil egit: dies abhinc non multo abierant, & eorum vnus cui arma detracta fuerant, ei forte occurrens à quo tanta inuſta macula fuerat, ſeu vindicta id fuit, ſeu Chriſtiani honoris deſenſio, inuadit hominem, enſemque detrahit reſtitanti, & integrata reſoſito dedecore fama ſua abſcedit, erat hic Antonij miles, alter Catondoni qui ſatellitibus ſui dedecus, ſuum ratus, non putauit Antonij famulum ira ſua dignum niſi Antonium, Patres, ædem ſacram & Chriſtianam rem funditus perderet. Aſſumptis igitur in ſocietatem facinoris duobus pari ſecum potentia dinaſtis, condicit in diem proximum Firandi adſint cum ſuis clientibus, arma & faces in promptu habeant, vt ſub primam noctem, Antonij palatio, & Chriſtianorum templo ignem ſubiiciant. Non fuit vaſtricies tam cauto ſilentio tacita, quin de illa reſciret Antonius, tota mox in arma & ſtudia Firandum diuidi, Inſularios Antonij leucis tantum diſtantes quatuor, Domini amor & cauſa, turmatim cogere, & quotquot in vrbe degebant Chriſtianos, demptis ſeptuaginta partim catapultariis, partim verò haſtatis, qui loricati pro templo excubabant, vita & ſanguine, Ethnicorum canum profanationem ab eo deſenſuri, cruenta vtrimque inſtabat clades, quocumque res eaderet, niſi Rex quantumuis ruina obrutos cuperet Chriſtianos, eius quoque ſe parte oppreſſum iri metuſſet; compoſita ergo inter Principes duos concordia, ſequaci populo pax ſimul ab eo reddita eſt, hanc rerum ſcenam explicuit æni huius anno 65. October exiens, Firandenſi Regi ominoſus, ſua vnus culpa viſo, & dedecus, & damnum ambire quibus ante viginti dies affectus fuerat, proritatis gratuito, ad inſpectenda ſibi cornua Luſitanis quæ inſolentius in Deum, & homines tollebat. Res ita ſe habuit. Poſtquam eius filius natu maior Reginæ Virginis violatam effigiem, non modo impune & tacite, ſed ita quodammodo glorianter tulit, vt ſacrilegium ſimile in Saluatoris imaginem auderet; moniti ab Acoſta Luſitani quicquid nauium è Sinis in Iaponiam veniſſet, à Firando in portus alios vertebant; poſſimum verò Bartholomei Regis, & iam Vocoxuram aliquot naues ſubierant inter quas Ioannis Perciræ ab exitu Auguſti: lucro inuidens inimici Regis, & dolens id ſibi perire Firandenſis, vim parat Vocoxuræ, & Pædagogis; duobus peſſimis ingenij barbari, inuidia, & auaritia more piratico naues aggredi ſtatuit, quas aut ſpoliatas igne abſumeret, vel in portum ſuum ſi commodæ forent pertraheret, ad hoc egere ſe non magno rebatur commeatu, nec Luſitanorum ſpectarat indolem, præterquam in pactis & mercimoniis; ne quæ tamen hæc præda ſibi excideret, contra Gaulos eorum capaces, & egregie armatos, Paraoram quos vocant ſeu molis modicæ nauium, quinquaginta nobilitatis ſuæ, ac militum, impleuit lectiſſimo robore, ſoluitque Vocoxuram, & Luſitanos ſeu nuntiantibus minimè crederent, ſeu dedignaten-

tur metuere, circumuenit pænè improuisos, sed (quæ fuit precum continuata vis in templo à Firandensibus Christianis, & genti bellicosa instum à natura robur,) potiti sunt adeo properata plenaque victoria, vt breui Rex suo cum ingenti dolore, exercitus sui fracti & laceri tristes reliquias Firandum reduceret; nuda, quassaque nauigia; debilitatos vulnere, ex parte lethalibus ducentos; septuaginta tantùm cæsos, sed in iis propinquos Catondoni sex; Duces bello insignes quatuor, & Antonij sobrinum, in Christianos tam efferum, quàm erat acer pro illis Antonius, Regis tumore paulùm edomito, hærebat animo ardens ira, & crudum odium aduersus Christianos; nec hi propterea, vel æde sacra, vel festis pro annum publicis temperabant; quamuis semper suspectam haberent, tyranni potius, quàm Regis ferociam: ob hoc Acoستا multum sollicito, ne quid aduersus diuinam hostiam indignum Bonziji tentarent, si sepulchro (vt solet) in cœna Domini seruaretur; hanc sibi Antonius, vita si res ferret defendendam poposcit, & trecentos suorum hominum iussit semper ad illam pro templo excubare. Verum id saltem Bonziji tentarunt vt crucem succiderent, officientem suis luminibus: erat enim iis cœnobium nobile multorum capitum; de fenestris quoties spectarent, obiciebatur oculis crux ingens, in edito sita; & circum nunquam non Christiani qui eam adorabant; huius ipsi honoris impatientia, & quotidiani spectaculi horrore, eam euertere decernunt: at enim concursu virorum, foeminarum, puerorum animosè ac religiosè seruata est, & vix! si quem ad illam Bonziorum etiam procul vidissent accedere. Imò nec inter Ethnicos deerant, qui Christianorum capti pietate, illorum quibusdam auebant solenniis adesse, nec inde abibant, nisi aut animo Christiani, aut verecundati ad sectarum suarum sceditatem: idque præcipuè cum vltra trecentos spectarent longo circuitu supplicantes, & duro verberare cruentandis interim humeris Deum poscentes propitium, & hos quidem non prolerarios, & viles; sed stirpe nobiles, religiosi agminis Ducibus Germanis duobus Antonio, & Ioanne.

35.
Virtus
Christ. Xi-
mab.

Dum Firandi aduersæ & prosperæ vices exercent Ecclesiam, suas item non dissimiliter altermat Ximabara, suorum quingentos supra mille vidit, tantumnon ceruices sub ferro ponere quod nollent pompæ interesse, quæ Ethnicam saperet superstitionem, & contestabatur Princeps Christianis rebus alioqui sat fauens, præter illam non idoli, sed sui venerationem nihil exigere quàm se in fanum euntem sequerentur. At hi vno, cui magno consensu seruibant, Dei amore Theologo, reuerenter quidem, sed constanter negarunt id sibi licere, quod quicquid à se festo accederet splendoris, in idoli honorem esset tandem cesturum de se vt maximè luberet, fidenter statueret; nec manu, nec mente obstare vitam erepturo, mortem Christianis in voto esse qua diuinæ legis obseruationi litaretur: hac enim vitæ iactura breuissimæ, immortalis emi; hæc illi communi nomine professi, placidè in templum, inermes se ferunt, vitam Deo, si non dedignaretur admittere, consecrant, & propinqua suspensi,

fensi, martyrij expectatione, solantur se litteris audiendis quas in rem præsentem ad illos dederat Turrianus. Et hic à Principe, vt sceleratius mandatum, sic heroicæ laudis ausa illustrior, iuber ab iis præcatorias coronas, cruces, imagines sacras, in argumentum obstrictæ clientelæ ad se mitti; sed responsione libera testati se priùs sanguinem, daturos, admiratorem deinceps fortis propositi eundem habuere, legat ad eos ex aula nobilem, condonare se illis quam exegerat pompam quando essent suæ in Deum fidei tam tenaces, nolle se ad eam infringendam, vim illis facere, sed quæ scribo nondum contigerant, cum hac Ximabará christianitate, nihil erat in Iaponia sanctius; post hæc in eum prouecta est gradum, quo seipsa euasit superior. Prosecuta est incredibili dolore Christiani primarij Leonis obitum, quem Bonziorum perfidia venæno sustulit, quod speraret post hunc exemplo patrem; auctoritate defensorem, Christianis erëptum; acturam se illos nullo negotio in præceps. At impiissimi carnifices, & viri principis excellentem vitam, glorioso sine inuiti coronarunt; neque (quod perditæ agebant) Christianis nocere potuerunt. Turrianus scribendo, reuifendo, concionibus, sacrorum vfu sustentabat, & corroborabat eorum perseverantiam, ac ne gloriaretur stolidus Bonziorum factus suorum exequiis, Leoni funus instituere Christiani, quo Regi non potuit magnificentius instrui. Suffecit ad hoc munificentiæ primarij nobilis qui suas ædes in Ecclesiam sacrandas dederat, adesse Turrianus tam iustis parentalibus contendebat, sed morbo & senio grauem prohibuere Christiani Cocinozo exire, ne vita pariter exiret, eius locum suppluit F. Lud. Almeida; sumptuoso sepulchro cadaver est conditum, arca clausum atallicis tecta: extabat id in aperto campo, clathris vndique nisi quæ patebat aditus præcinctum; & quæ illuc fideles sacram ædem egressi, oraturi transibant, actum egero si articulatim commemoranda suscepero quæ laudabiliter atque heroicè gesta sunt ab huius Ecclesiæ Christianis, & aliarum in hac prima ex tribus Iaponiæ partibus fundatarum: iis omnem Europam multorum scriptorum implevit stylus qui suis ea spectarant oculis; præ omnibus verò Bartholomei, Regis Omuræ celsiori humanis animo spebusque tunc adhuc, quibus etiam supra spem cumulatissimè respondit. Ornauit illum Sebastianus Lusitaniæ Rex honorificis literis, & donis, per Noroniam Indiæ Proregem; sed incitamento priuata virtutis rapiebatur sublimius, quàm quod illum posset Regum hortatus impellere, translatus in Christi dulce imperium, de nocte paterni erroris, debere se saltem propterea Deo sentiebat, vt quibuscumque imperabat; eos Deo integrè manciparet. Exstimulabat è nostris vnū vt Omuram Christi Iesu prædicatione audenter, & acriter quateret; excusanti necessarias moras, & operienti tempestiuos agendi articulos, libellum supplicem quo id ab eo postulabat per aulicum dedit, à cunctis Regni subscriptum proceribus; & cunctabundo nihilo seriùs Turriano, ne qui à Bonziis ciuiles motus in eum cierentur, imparatum præsertim, bellisque aliis, & domando Faribo distentum quod vnum supererat, qui

essent idonei ad sacrum Baptisma, eos Cocinozum pedetentim, & manipulatim tingendos mittebat, & cum iis qui pridem se Christo adiunxerant, mensibus singulis mensa Regia dignabatur; sed nec Omura solum, neque Iaponia credendi Magistros à societate expetebant. Siami Rex, (quem putant Iapones Cosmographaphiæ ignari, partem orbis tertiam obtinere, eum Iaponiam & Sinas, secundam & primam faciant) inaudierat aliquid de lege quadam quæ inualuerat Firandi, & mira illorum qui ex ea viuebant commendabatur sanctitate: hinc virum ex aula in Iaponiam destinat, per quem Patrem à Costa in Siamum, magnis promissis ad se vocat; natu maximum filium & Regni hæredem velle secum Baptismo lustrari, & Christum profiteri; fundari ædes sacras, populos suos habere integram suscipiendi Baptismi facultatem, respondit à Costa, sibi quidem gratius nihil posse accidere, modo id quoque probasset Turrianus ex cuius ipse arbitrio pendebat, proin mentem illius ne grauaretur exquirere. At is cuius erant clamoræ atque perpetuæ in Indiam querelæ de paucitate operatorum, qui Neophytos iuuarent, & Regnis ultra etiam Meacum variis suam pertæsis infelicitatem, veræ iter salutis indicarent, nisi studia in præsens, & desideria vastissimo illi Siamensium Regnorum negotio, nihil concedere potuit, quod erat factu procliuus, misit incunte anno 1566. qui Goti insulas, Christianis doctrinis excolerent.

36.
Missio in
Gotum.

Est autem Gotus insularum quinque in regnum acernus, distant inuicem vno sesquimilliarum, Firando leucis ab occasu non plus quinquaginta, solum iis macrum & sterile quamuis irriguum: syluæ magnam occupant partem ex quibus fecinæ copia, sed cum Iapones parud viuant, montana & plana, pagis habitantur frequentissimis. Ocica Regni sedes, ad mare sita, portui imminet, vrbs amenitate singulari, & pro regione satis magna. Incolarum genus, si vsquam alibi toto Oriente, supersticiosum, quæ prosperè aut secus eueniunt, omnia tribuunt affectionibus stellarum; sed momenta illarum bene ominata, non obseruant ex cursu cœlestium corporum, vel errantium luminum aspectu benefico, nec sunt in iis tam docti; sed ex vaticinandi arte quadam, cuius habent magistros, & quam adhibent semper ad legendam horam cuius negatio auspiciatam. Quapropter adorant, & accersunt in vora sapissimè duos præ cæteris Deorum, quos vt effingunt statura corporis, sic sentur potentia gigantes, dispensationem alteri bonorum terrenorum, cœlestium alteri tribuunt. Erat insularum tunc illa faustitas quod Regi parebant sibi carissimæ, & quæ sua priuatim comitate multum amabili, quæ virtutibus cæteris, quæ non sunt ab homine Ethnico alienæ. Hic de sancta lege haud pridem Iaponibus illata, multisque illic diffusa, & sancita Regnis, cum multa, & crebrius audiret, de futuris maximè post hanc vitam, & beata immortalitate; iis tam incundè affectus est, vt Patrem postularet à quo sibi res tantæ certiùs, & explicatiùs traderentur, & fuit Turriani sapiens coniectura, Regno totius Iaponiæ summè pacifico si semel Christus pedem intulisset,

hisset, asserturum id sibi possessione sempiterna, eò F. Ludouicum Almeida proficisci iussit, cum Laurentio Iapone, qui annum iam quartum & decimum nobiscum agens, elegantia sermonis Iaponici, & in euolendis, euertendisq; erroribus Bonziorum, acumine incomparabili, nostrorum labores efficacissimè promouebat. Illuc per niues assiduas, & asperissima frigora cum venissent; humanissimè ab Rege habiti, coacti sunt summam negotij differre in finem solennium salutationum, quibus prima Luna anni Iaponici initium facit, eo die qui est Februarij septimo propior, nobilitas omnis ditionis totius Regem consalutat; idemque per omnem Iaponiam mos viget, quo ritè expleto Almeida, dierum septem continuatas petiit conciones effata publicè tractaturus extra omnem posita dubitationem, sed eatenus inaudita; quorum caput foret, quis verus Deus, & suprema dignus adoratione? tot porrò diebus, dissertationes suas circumscripsit quòd ferè illic, eundem numerum ab auditoribus concionaturi Bonzij sibi sumant. Ex templo instruitur auditorium in palatio Regio, habitatore tunc vacuo; dicturi, postridie accersuntur: eminebat cello in pegmate Regis thronus, & sedes nostris duplex. Reginam eiusque aulicum gynecæum, seungebat ab aspectu nimium facili subtilissimum è storeis velum, tenuissimis contextum phyliris, in medio nobiles quadringenti: testatus Almeida quicquid socius diceret, cui erat cultior ad agendum seruo, ex fidei suæ, animique sententia dictum fore, iussit illum Dei nomine incipere. Tres horas posuit in arguenda Deorum quos cultu diuino afficerent vanitate, & stabilienda natura vnus Dei, rerum omnium conditoris, cuius maiestas in hominum sensus non caderet, obi. & sicut sibi veluti disputanti quæcumque possent audientes aduersus proposita comminisci, sic ea perspicuè singula diluebat vique dicendi tam valida, vt ipse Almeida assuetus hominem audire, non ambigeret Deo eius Regni salutem cordi esse, agique tunc linguam Laurentij diuini spiritus impulsu: & verò prolixè pergenti audientia præstatur, at-tenta, silens, atque immobilis, nisi quod subinde Rex eiusque proceres, dista mutuo nutu, & admiratione comprobabant, finem fecerat cum surgens Almeida audenter edixit, si quid ex auditis, minus cuiquam clarum, minus probatum certumque animo hæreret; vel tunc vel vbicumque magis libuisset, proponere, futurum omnino vt dubitantis ingenium cumulatissimè impleret, hic tacentibus omnibus, & quasi attonitis; negauit Rex quicquam restare dubij quin esset verè vnus Deus omnium opifex, & mundi Dominus. Exin disceditur, & murmur tam pronum, tam fauens tota vrbe fama, vt motu leuissimo videretur posse ad Baptismum induci. Verum vt est caligo diuini consilij impenetrabilis; inopina res, omnia in contrarium reuoluit, ea nocte Rex febre correptus sæuissima, & acutissimis doloribus capitis, ægerrimoque anhelitu, rapiebatur in furorem, vindictam hic Bonzij conclamare, læsum Deorum numen; suo damno Regem edoceri, non esse Deos caudices, & saxa sensus expertia, vt nostri dictitarant, bellè cum eo agi, vt cui se Dij non sat beneficiis probassent,

bassent, flagellis se probarent, & fauebat istorum fabulæ, Regis temperies robusta, morboque eatenus intacta; tam repente viro, tam violenter afflicta, vt præter naturam aliquid saperet ægritudinis eius causa, nec alienum sit suspicari Bonzium aliquem ex iis qui dæmoni consueverunt, maleficiis hoc malum consciuisse; vtrumque fuerit, ingrauescebat in horas periculum; pœnam hanc iactabat plebs credula, legis extraneæ aduersum Deos Regis assensu prædicatæ, fuitque profusum mirum nostros ab irato populo non discerpi, toruis certè oculis signabantur, & ausus Almeida tentare aditum ad inuisendum Regem, austerè reiectus est. Sed fatetur longè se animo abiectum grauius quòd præfagiret non modo in Goto, sed vniuersa cantandum Iaponia, quòd Euangelium subiret, illuc infortunia omnia subire; triumphaturos exemplo hoc Bonzios, adiecturosque aliis quæ in numero vbiq; memorabant, quo Regibus Ethnicis Christi horrorem incuterent. Verum enimvero conuersionem hominum ad salutem, Deus sibi tam propriè assertam cupit, vt quæ in eam conferimus, in cassum sapiùs aut in oppositum vertantur, quòd illorum desperatione, vni eius virtuti discamus tribuere, quæ nostris conatibus perfici, taciti nobis facile fingeremus, si cursus prosperos habuissent. Ventum erat ad vltimum discrimen; proin remedia vltima promebantur hoc est sacrorum apud Iapones voluminum lectio. Sunt hæc volumina de vita & prodigijs Dei Xachæ ab eius discipulis, posteritati consecrata, seruanturque in templo Dei Facimæ armorum præsidis. Erat nox media cum id morbo Regis, decretum pharmacum: expediuntur circa urbem præcones, qui abstinentiam à carnibus, castum secubitum, & sanctimoniam populo edicant, futurum enim vt die postero libri sacri legantur, Primo diluculo procedunt ordine supplicaturi ad templum Bonzj, populo subsequente. Illic productas suis è forulis scripturas venerabundi legunt, quarum cum essent volumina numero ingenti, ex singulis pagina legebatur, claudebaturque semper eadem precandi formula, vt per magnum nomen, & merita Xachæ, cita Regi sanitas rediret: atque hic alius Almeidam non consolabilis distrahit angor: nam si lecto Xacha, Regem nihilominus auferret morbus, confirmabatur vetus calumnia in Christi fidem quasi malorum omnium auctricem; si conualesceret, accepta ferebatur Xachæ valerudo, imputabatur vero Deo morbus. Sic ille anxius argutabatur, dolens euentibus nunquam planè futuris incrudescente licet morbo, neutrum illorum quæ extimuerat euenit. Nam is dum instat apud Deum ardentem, vt hanc à sua Ecclesia, ineluctabilem alioqui calamitatem defenderet, voce interiùs moueri se sentit, admoneret ipsemet morbo manum, & confideret. norat aliquid olim in arte medicandi Almeida, & post societatem initam, nosocomio Bungenfi inseruiens, paulò etiam plura didicerat; circumferēbatque semper vulgaria quædam & simplicia, sed quæ salutaria ægrotis crebro experimento didicerat. Ergo monitu illo subito instinctus, quod ausus non esset antea tentare, nunc Deo confusus, credidit profuturum, & suo aliquo phar-
 maco

maco restituendam Regi sanitatem. Regem per aulicum conuenit, rogans fieri sibi explorandi morbi facultatem & curationis adhibendæ, nec se fortassis tam nihili fore quin illum breui sanum efficeret. Admissus sine mora, Regemque intuitus æstuantem, anhelum, inquietum, pulsū arteriæ, & acutissimæ febris funestis accessibus, plus periculi quàm spei præferentem, hand tamen fiducia excidit. Parat statim præbetque pilulas, & medicamenti nescio quid retundendis doloribus capitis; admonens quoties uisebat, spem omnem in Deo Christianorum reponeret, solo uero & reddendæ salutis arbitro præpotenti. Ut uero hanc Deus inseruerat Almeida mentem, ita vim eius remediis indidit, supra opem naturæ artisque efficacem; breuique Rex simul & cruciatibus capitis, & febrî & deliquis animi solutus conuauit. Lætus Principis sui ualitudine populus tanquam rediuiui gestit, nec sua gaudia satis capit. Almeida omnes gratulantur, muneribus etiam ab Rege, à notho ipsius filio annorum viginti iuuenē, ab ipsa regina, frequentatur, ferinis scilicet carnis & piscium copia; quibus liberale instruxit conuiuium numerofo primorum cœtui, quo illos sibi ea comitate beneuolentiæ deuinciret, tum ut ex se intelligerent nihil esse ab diis quos uerebantur expectandum, nihilque posse præstare, nisi quod Deo interdum sinente per eos dæmon (ad quem ij pertinent) permittitur facere, idque ut plurimum, nocendî rabie, non proficiendî uoluntate; recuperata Rex ualitudine integrandam Almeida concessit dissertationem. Dixit Laurentius iterum loco eodem & confessu, excepto Rege cuius nondum satis constabant uires, & proceribus aliquot in suas reuersis ditiones, ex quo Rex cœperat ægro-
tare. Postridie dictæ concionis, urbis regionem, ignis fortuitus vastauit; simulque Regi, cum intolerabili cruciatu, paronychia digitus abscessit, quam etsi præsentî remedio sanauit Almeida; sed eximere errorem non potuit garrientibus iratos Deos, & has esse illorum minas, & nisi cessarent de Christi lege conciones, ituras ulterius, & calamitosius sanituras, sequenti nihilo seciùs die habita concio, sed raro auditore; nemo ad diem tertium adfuit. Rex totus iam alius, nostros negligere, cœteri cum Rege, occurrentes ne obiter quidem aspicere, sed rebus in has angustias redactis, cœpit diuina sapientia prodere, sic illas ab se dispensari, retroque illuc sensim deflectere ubi conducibile erat eas consistere. Mercatores duo Japonij, patria in seclâ Theologi, Facata uenerant negotiorum causa, iniecit iis Deus eam mentem ut cum Almeida sermones conferrent de diuina lege, non altercandi amulatione ut Bonzij, sed intelligendi, & diiudicandi; tam multa quærendo, obiiciendo, disputando, tam grata, tam æqua consentanea humanis principiis in ea deprehendunt, ut constituerint æterno fœdere se illi obstringere, & catechesi dierum quindecim dôtè comparati, salutari fonte publicè loti sint, quod Regem aulamque uniuersam apud quam uiri cordati habebantur sollicita perculit admiratione, accessit paulò post morbi genus quo Regis mater, Regina ipsa & Princeps filius, Regisque deinceps propinqui, ferè omnes lenius grauius

tentati, Almeidam acciure, suntque ab eo faustis curationibus sanati, quas negat ipsemet efficientiæ Pharmacorum sibi admodum notæ debere potuisse, sed diuinam in iis se manum agnoscere, hinc ergo denuo in aula magnus Almeida, & opinione omni præstantior, eaque gratia apud Regem vt adhiberetur ad mensam conuiuia, inferrent primarij nobiles Ministrorum vice, in patinis aureis accumbenti cibos; Rex illum donis cumularet, quæ illic non possunt absque graui donantis offensione recusari; sed hæc ad ea quæ subdo fortassis leuia, misso nauigio Turrianus Almeidam repetebat; quod eius in Goto, trimestris labor, nec parem temporis fructum ferret; nec Bungensi Regi negandus videretur à quo per literas expetebatur vehementer, & iis literis necessitatem abeundi, iussus fuerat obstantibus excusare. At enim Rex Gori persuaderi non valuit, vt ab se illum dimitteret, cunctando, rogando, promittendo ædificandis sacris ædibus areas; & potestatem peragrandi Euangelio Regni, initiandi-que in eo Christianos qui forent immunes à festis Deorum celebrandis, fecit tandem vt victus Almeida tot spebus, illic remaneret, Rex eius obsequio latus, nauigium ad Turrianum remitteret ferina, & piscibus onustum, adiuncta epistola qua boni ab eo petebat consuli, quod Regni sui vtilitatibus retinisset Almeidam: hinc repetitus concionum ordo coram Rege cunctisque aulicis, & duas intra hebdomadas, ad fidem perducti quinque supra viginti infideles, sed dignitate ac genere illustres inter quos Regni Gubernator, publici status Consiliarius, excellenti sapientia vir; eiusque filius; nec tamen iis, quanquam mirè affectis, & flagitantibus sacrum Baptisma festinauit, vt qui essent ad Christum deinde accessuris, non ita properanter, sed accuratiore disciplina in exemplum fingendi sanctimonix Christianæ; alligandi erant vni coniugio, detractis sensim multis vxoribus; confirmandi erant magnitudine animi, aduersus impugnationes Religionis sacrosanctæ, inuicta atque immobili; anteuertenda eorum constantia expectatione beatæ sortis, quam in perferendis pro se iniuriis, calamitatibus, mortibus Christus docuit debere à nobis reponi, quibus demum solidè perfectis, sacro illos lauacro condigna magnificentia lustrauit: hos magno in dies numero concionibus peruicti complures secuti sunt, nobiles ferè, nam urbem Ocicam vna prope nobilitas, & aula obtinet, milliari vix quinto ab hac est Ozura, mari & portu mercatoribus opportuna, in eam Almeida non pridem excurrerat, & concionando subregerat quidem multorum ingenia, voluntates non item, quod respuerent legem profiteri, quam Regni moderatrix, & parens Ocica non amplecteretur. Perspecta nunc Regis beneuolentia, & primariorum viginti quinque lustrico Baptismo, Almeidam repetunt; iterataque à capite quam iis tradere cœperat Christiana eruditione, commodè instituti, festo S. Ioannis præcursoris Baptismo tinguntur; centum viginti tres ciuitatis primores, splendido apparatu, & in iis Tonus locum Principis tenens: consequentibus diebus alij, atque alij tam frequentes vt illic de Ethnicis residui fierent perpauci, templum à Rege postularunt ingens, simulachro dicatum,

dicatum, & festo per annum quadruplici; vt in ædem sacram illud conuerterent; neque Rex abnuit; sed vitium cautiùs, ad eradendam ex animis, illius Dei memoriam, & præscindendam Bonziis recuperandi fani fiduciam, euerso illo nouum excitare, designatum id vñitata Ecclesiæ forma, loco ciuitatis pulcherrimo, colle modico inter duos riuos ad mare decliui, quod vbi Ocicam nuntiatum est Christianis, adfuere in equis optimatum viginti quatuor, omnisque generis secum artifices ad eam fabricam vtilescentum adduxere, quorum diligentia breui opus confectum est, idque tam elegans vt visendi causa eò Rex venerit, & valde laudatum immunitate donauerit, nec passus Ocicam eodem beneficio carere, materiam, opifices, & sumptus attribuit, ad sacram ædem in ea construendam. Dum autem Almeida penso suo strenuè adlaborat, hoc est trahendis ad Deum hominibus, meditaturque conuersiones gentium cucinarum à quibus vocabatur, en aula, Regnumque iterum sed diuersis motibus concuti Princeps beneficiarius inuulsa in Goto maxima, suas in arma rebellia aduersus Regem concitat ditiones, vt cognatum suum Firandensem tyrannum in eas induceret, isque ex condicito cum potenti accurrens exercitu, imperium insulæ secum diuideret. Primo rerum nouarum rumore, arma parat Rex Gori, notatque Almeida fuisse prouidentia diuina, tam certè & clarè perspectam ab eo Iaponensium Deorum falsitatem, decem illis & quatuor diebus quibus de illa edoctus fuerat, vt nullo modo putauerit hanc rebellionem pœnam esse peregrini ritus in Regnum admissi (quanquam id Bonziz vaticinati viderentur) neque propterea Diis placandis eiciendos Regno Patres.

Prius tamen quàm suos in perduellem educeret, sacramentum militare ab iis exegit, erat id in palatio dicendum, auito more propinabatur in patera vinum simulacris per Bonzios libatum, portigebatque Rex cuique pateram, nec erat aliud bibere, nisi totam sibi Deorum iram imprecari, si fefellisset Regi suo fidem, Gubernatorem vrbis Christianum prærogatiua spectabat iuramenti, qui religione ictus sacrilegij taciti quo Diuinitas quædam videbatur in idolo agnosci, Regi & Deo facturum se satis eredit, si præfaretur id vinum esse, ac pro vino se illud bibere, sic ergo aiens, sed frigidè, admouebat iam ori siphum, cum illum alius contenta voce vetuit bibere, vir nempe sanguine illustris, & bello secundus nemini, Ioannes nomine ardens iuris diuini, & Christiani decoris conseruator. Is animaduertens Gubernatorem timidiùs agere, nec à vino idolis publicè oblato satis abhorrere, victosque auctoris pondere, pertractum iri in eundem lapsum quinquaginta procerum Christianos, qui iuraturi conuenerant; quàm meticulosè Gubernator, tam confidenter is Regem affatus, nefas est, inquit, o Rex Christianis, iusurandum Ethnicum iurare, fidiorem nobis habebis neminem, dum stilla sanguinis in venis hærebit pugnabimus; sed detur hoc nobis vt sacramentum militiae, verum Deum iurando firmemus vniuersorum conditorem, quem solum adoramus, & quo teste promissam tuis armis fidem nulla pericula, nulla

nobis mortes eripient, hæc ille animosè quibus Rex facile acquieuit, Bonziorum licet ingratis execrationem vini sui dolentium. Christiani concepto religiosè sancteque Sacramento, sub eodem vexillo salutaturi Almeidam veniunt, & piam ex eo iconem, aut aliquid sacrarum reliquiarum petunt, eo magis præsidio quàm suis gladiis confisi: Iesu & Mariæ sanctissima nomina, quòd nihil esset ad manum præterea, inuocanda iis tradit cum essent in hostem impetum facturi, quo læti pignore, alacres abire. Cruento vtrinque certatum prælio, multique tum cæsi, tum faucij, Christianorum quisquam nec interfectus, nec grauiter læsus, velut suus quemque peculiari tutelæ clypeo bonus geniùs tueretur: erant tamen prima in acie; primi pugnam inibant, & quantumuis ad reliquum exercitum pauci, sed irrupere vi tanta per medios hostium cuneos, vt disiectis iis victoriam tulerint; in quo iuuenis annorum viginti Xistus nomine fortitudinis Christianæ, insigne de se ostentum præbuit, vidit aduersarij agminis ductorem proceritate corporis eminentem, & clamore ferroque quasi belli molem decusque vnus sustineret, ante suos ordines volitantem; hunc Iesu & Maria, erecta voce in opem appellatis aggreditur iuuenis, huic instat singulari certamine, spectatricibus hinc & hinc partibus; hunc paucis petitionibus conficit, & quod est Iaponibus culmen gloriæ militaris, detractam cæso loricam & galeam opima spolia reportat: rem quoque alij ad priuatam suam, & Christiani nominis communem famam fortiter gessere, quare illos triumphantes recepit Ocica, Ethnicis etiam deprædicantibus eorum gesta, & admirantibus mutuam illorum, vicissim iuuando caritatem, suæ minus vitæ quam commilitonum sollicitam. Denique Iesu & Maria augustis nominibus, magnus apud Ethnicos splendor, & auctoritas venit, eorumque virtute victores facti sunt Christianos. Hac suorum clade territus perduellis, ne in hostium incideret manus, probrosè se campo ad mare proripuit, & citissima celoce ad Firandensem cognatum confugit; exercitus sui deploranda strage, & ditionum suarum iactura tyrannum moturus ad afflictam fortunam suis auxiliis erigendam. Firandensis, vindictæ communis & Regni Gorenis ambitu, bellum accelerat nauibus ducentis, quibus impar frangendis aperta vi Rex Goti, quicquid intuta circa mare loca cõmeatum habere, in arces transtulit montium iugis impositas, vt exercitus hostilis in castella, pagosque vacuos, vires, tempus, flammæque consumeret: iis ergo dum leui compendio distinetur hostis; grauiores innadunt Firandensem curæ, denuntiatur illi nouo ab hoste bellum, cogiturque quamprimum militem reuocare, ne dum alienis ditionibus inhiat, spoliaretur suis, ad hunc Goti tumultum, suas iterum Bonzij multis occinunt in Christum & Almeidam calumniosas cantiones, vt mali causam in eos deflectant; & Regno exturbent; sed erat Princeps diuinorum & veri iam adeo capax, & peritus, vt præter speciem, nihil de Ethnico retineret. Verùm quod frustra pessimi homines attentarunt hoc Deo volente morbus confecit lentus & pertinax, huius origo arumnosus

Almeidæ

Almeida & continuus labor, tunc verò potissimum bello omnia occupante; agebat cum Christianis aliquot in montis vertice, absque lecto & lecto, & cibo; saxi loco strati ad somnum; ad cibum pugillo siccarum herbarum, & aqua pura vtens; languidus, exsuccus, cadaveri propior quàm viuenti, quare illum reuehi Cocinozum mandauit Turrianus, Regè multum inuito, & Regina, quibus vel sic ægrotum, & inutilem viribus, iucundum fuisset, amica vi, & beneuolo imperio secum detinere, nisi proximam illi ex eo mortem timuissent. Neque tamen ab se sustinuerunt amittere, nisi reditus sui data fide, aut alterius suo loco, quorum interea velut obses Laurentius in Goto remansit, fuere prima hæc Gontensis Christianitatis fundamenta, cuius postmodum felices progressus gloriosam stylo materiam suggerent. Nunc interiora Iaponiæ subeamus, reuisamusque Meaci regnum, vbi pridem Villelam summos inter labores, & pericula videramus.

Solus in tam multis, & vastis Prouinciis Villela recentes fundans, & fundatas augens Ecclesias, nec vitæ poterat nec valetudini parcere, quamquam immensis frigoribus perferendis, itineribus assiduis, concionando, disputando, scribendis libris adeò exesæ, vt annorum licet quadraginta incanisset totus velut decrepitus, accedebant in illum Bonziorum effera odia, hoc saltem agentium vt Meaco exterminaretur, sed virtute illius, omnes illorum disillante calumnias, putarunt se auro victuros, quod criminationibus nequibant, aureorum mille clandestino munere conducunt virum primarium, æquitatis eius emendæ pretio, & eiciendi Villelæ, sanè grandis, si auaritiâ attendas Bonziorum; ad hunc pro ratione officij, spectabat illorum defensio, & pro intimæ apud Cubosamam fauore gratiæ, non dubitabatur impetraturus Patris exilium; sed quamuis Ethnicus, at mentis (vt Ethnicus) integræ, auream illam escam suspensio oculo adspexit donec reum Villelam comperisset; ad hoc venit ipsemet hominem auditurus, & Dei beneficio contigit vt iudex auditorium ingressus, exiret ex eo discipulus, descendit in eius animum tam altè, dicentis oratio, vt secundò, & tertio, & toties rediret, quoad nocte errorum discussa penitus, expugnaretur splendore veritatis, factusque Christianus, de Bonziorum patrono, eorum acer euaderet insectator. Nec ab ore scelerati reformidabant Villelæ præsentiam Meaci Christum in procerum domos non modo induxerat, sed in Regiam ipsam in qua multos censebat, & claros genere, eius nominis cultores, Imori, quæ Cauaci Regni Sacerdotio contermini arx est inexpugnabilis, constituerat Ecclesiam, esto multitudine angustam, sed sanctimonia illustrem; Naræ item, & Toci, & Saua locisq; aliis, vixque multis à Meaco leucis cernebatur pagus in quo Christi fides, Villelæ confita & rigata manu non floreret: sed mirum quantum ad illius famam, incrementum, & securitatem accederet ex Baptismo virorum Principum, & Sanguinis Regij quorum erat in aula potens auctoritas, & munus, in quibus eminent singulari dignus obseruantia posterorum clarissimus iuuenis, Ministro imperij, Mioxindono eidemque Caua-

37.
P. Villelæ
solertia in
propag. fide.

ci Regi à Secretis, profus candidior, & innocencior indoles inesse non potuit homini ad hoc ætatis ethnice viuenti, ast ubi Dei notitia, & obsequio imbutus est, iam non natum modo arbitrarere inter Christianos, sed in cenobiis religiose sancteque educatū. Notabilior in eo næuus ingenium procliuè in scrupulos, & conscientie sensus subtilior, ex quo sapius ad milliaria triginta Confessarium adibat: pane verò cœlesti, nunquam refici attentasset nisi noctem in ædibus Villelæ orando, & inacerando corpore duxisset, sed cum sacre primæ mensæ accubuit, ad eam se sponte, cruda, & publica suimet verberatione expiauit. Tam procul verò ab omni amore præterquam Dei vnus abfuit, vt cum posset montes congerere aureos, ex compendiis secretorum, quibus lucri magis ante illum quàm æquijamantes creuerant; præter arctum è domini Fisco stipendium, nihil quicquam attigerit, suorum potius in pauperes largus, non tam abundauit quam eguit, vna apud Deum gratia diues, & contentus, demum profeminandæ quam hauserat Christi lucis studiosissimus amulator, vitæ quoque suæ periculo, in multos illam fudit. Præter hunc & ei consimiles, Christianorum inter quos agebant patronos, & Ecclesiarum columna, in iis Villela septem viros vt olim Firandi vbique statuerat magno probitatis, maturitatis, & sanctimonie delectu, quasi publici Rectores, horum fuit, cœtus fidelium conditos cogere, ad auditionem piæ lectionis; visere ægrotantes, publicam liberalitatem in egentes partiti; in nosocomium ministraturos leprosis ducere; religionem denique cœterasque ad illam pace belloque fortiter asserendam necessarias virtutes in omnibus promouere, eius præterea inuentum exitit incomparabile, exercitatio adolescentium viuacis ingenij & acuti ad varias disputationes, in quibus alter Christiani personam, alter Ethnici sustineret; cumque in varias scindatur hæreses superstitio Iaponum, quæ omnes à verò diuersis principiis pariter aberrant, singulis singulas tradebat propugnandas, opponebatque iis parem impugnantium numerum, qui errores cuiusque hæreseos, distinctè confutaret, conuinceretque falsi eorum defensores; postremò satisfaceret argumentis, & dubiis quæ de fidei placitis, idem aduersarius mouere voluisset, quæ gymnasij forma, præterquam quod carebat tædio, Christianam rem bono duplici augebat; nam adolescentes disciplina illa sungebat primùm ad magisterium docendi, parabatque ad certam victoriam de quacumque secta cum Bonziis disputatio incidisset; deinde Ethnicos faciebat suæ ignorantie conscios, tum in iis quæ falsò de suis Religionibus somniabant, tum in veris quæ de Christi fide non intelligebant, harum quæstionum volumen Villela, magno ab se labore compositum, manuque propria, & idiomate aulico descriptum vulgavit tota Iaponia, cui magna ex parte lucubrationi, Regis Omuræ Xumitandæ, conuersionem deberi antea dictum est, scripsit alios item libros asceticos ad piorum eruditionem; editos alios in Europa, Iaponicè reddidit, in quibus maxime vtilem de Sanctorum vita historiam.

Et poterant quidem hi fructus operæ, laborum solari tædia, quos Meaci obibat Villela, nisi solitudo visa illi foret intolerabilis, non quod ipse optaret, in quem ærumnas, & merita partiretur, sed quod sextum iam annum careret Sacerdote qui consentienti aures daret, quamobrem vrgenti sapius, assensit tandem Turrianus, & P. Ludouicum Froes, F. Almeida socio ad illum destinavit, Froem cum illo permanfurum; Almeidam inspecto, & cognito Christianitatis illius statu reuersurum, longum fuit iis iter, & difficultatibus infestum, nam vsque à Firando Funaium, prope omnes lustravit oræ maritimæ Christianos, & atrox illic hiems ancipitem fecerat, & lentam nauigationem: à die Nouembris decimo anni 1564. terra, marique diu iactati, ad vigesimum septimum Ianuarij subsequents, Sacaium subierant, vbi breui moratum Almeidam lethalis afflixit valetudo ex qua illum haud tam remedia imbecilla, & pauca, quam Christianorum illorum sanctæ preces & curatio sedula restituere sanitati, peragratis inde tractus illius Christianis, quarto post mense cursum flexit; Gotique, quod dictum superius, insulas appulit, Christianæ doctrinæ appetentissimas, Froes Meacum prope miraculo peruenit; Ozachæ Sacaium & Meacum inter, tantum non ab Ethnicis occisus. Pridie quam is Ozacham intraret, qui anno 1565. in Febr. Calendas incidit, nouum Iapones inibant annum, quem Lunæ cursu metiuntur, solentque lege inuiolabili, viri Principes in aulam vndique conuenire tam sacri quam laici, & Regem muneribus venerari, pannis sericis quidam, nonnulli, attalicis, armis pretio & forma insignibus, & quibus cuique maxime cordi est. Minus opulenti flabellū inauratum, vel quaterniones decem cartæ, quam Iapones & Sinæ ex arundinis conterunt medulla velut Gossipina, subtilissimam, nec rumpi facilem, tamen adeo amplam, vt eius folia viderimus instar lecticarij lintei, luduntque in ea tingenda, colore vno vel pluribus; & solo sæpe viuido roseo, styli, & scripturæ capaci: Maestate porò Cubosamæ admittentis hæc suorum dona, fastuosior nulla est, præter proceres magnos accessus ad illum tunc patet nemini, quamuis aureum orbem dono ferat, sedet ampla in aula, natiua ex cedro, pannis aureis vestita, gummitione exquisita circumlita velut ex Sandaracino diluto, & attalicis instrata operis elegantis, in quibus mirè excellunt Iapones: illic tanquam alter in terris Deus manera exiepit oblata; responso, aut verbo dignatur neminem; si cui libuerit præter morem fauere, hunc respicit, & flabellum quod tenet, in eum modicè inclinat, præterea nihil Villelæ quoque aulicorum fauor præbebat ad illum aditum anni cuiusque Luna prima; sistebat se illi modo in linea castula, & stola; modo alio cultu, & (quod Imperatoria maiestas, Christianaque poscebat dignitas) semper venerabili & spectando. Eam ob rem, & Froem salutandum, ex arce Imori Meacum se contulit; Inducuntur ambo ad Cubosamam à se. Eturæ mensariæ Præfecto; apparet nigra in veste Froes, sed decenti, & graui; ornatu Villela magis extraneo, superindutus apertam antierius chlamydem laxioribus distentam manicis, coloratis subsutam, visendam

38.
P. Lud. Froes
Meacum ve-
nit Cubosa-
mam Imper.
adir.

nouitate quam composuerat ipsemet & inusitata obsoletarum vestium concinnatione, quæ illi fortuito in manus venerant, tantumque arrisit ornatus nouitas Cubosamæ, vt dimisso humaniter Viliela, inspiciendam iterum Chlamydem ex eo quæri mandauerit, inde Reginam & matrem Cubosamæ salutatum ducuntur, visumque iis aulicum gynæceum, cœnobio quàm aulæ similis, tantum illic silentij, modestiæ, ordinis, inter honorarias fœminas, quibus Reginam seniore, habitu, omnique specie, velut apud nos antistitam præesse iudicasset, accepit illos innixa lararij foribus, splendide ornati, prostante in ara, infantis Amidæ statua, diademate coronati, & circum aureis præcincti radiis. Delata pro more, munuscula, quaterniones cartaceos, & flabellum, iis grati animi suscepit argumentis, vt edi maiora erga Principes non possent, nempe illa primum liquoris nescio quid libauit, hinc per aulæ suæ puellas, Patribus porrexit eandem pateram ad bibendum. Etsi autem ab aula nihil cuperent (quo ipso ad cuncta obtinenda nihil ominatiùs) sed fuit inæstimabilis pretij, beneuolentiæ singularis tam honorifica significatio, quod indiceret Bonziis vel inuitis nostrorum venerationem, & eorum sedem Meaci firmiter stabiliret, quos inde Bonziji tantoperè moliebantur excutere: sed enim omnis hæc faustitas augustis finibus clausa est. Dum enim Iaponiam multi Reges distractam possiderent, nulla vsquam Regna volubilius dominos mutarunt, factionibus publicis redigentibus in proletarios, qui nudius tertius cum summo imperio regnabant; sic post quatuor menses, sua cum aula Cubosamam, & lætas Patrum expectationes cum vrbe Meaco, subitus turbo pessum dedit.

39.
Cubosamæ
exercitus.

Erat Cubosamæ moderatum ingenium, & mite; qui tamen arte prudentiæ, procul metu & armis, annos octodecim, gaudebat alta Regni sui pace. Duos Regni Principes administratos, insani agebant impetus, Mioxindonum vsurpati per vim Cauaci seu Regem, seu magis tyrannum; & Daiondonum hominem ferum, natumque proditioni quam machinatus est, illum totius imperij moderatorem summum; hunc inferiori gradu, sed nobilitate plusquam parem, simulatorem verò fidelis clientelæ tam doctum, vt sagacissimo licet Cubosamæ nunquam suboluerit eius proditio: quicquid verò tandem Domini sui nece ambitet parricida, secleris socium Mioxindonum adsciuit, & coniurato vterque facinore, in vnum arrectus oportunitatis articulum hiabat, quem ipse Cubosama incautus obtulit, Mioxindonum attollens in superiorem dignitatis gradum: huius enim honoris magnificentius agenda gratia Mioxindonus crimen dissimulans, militum duodecim millia secum duxit, velut aciem primam, quam Daiondonus proditionis auspex sequebatur; metatusque Meaco non plus leuca campum; per vnum e suis Cubosamam inuitat, dignaretur sua præsentia prandium, quod ei grati ob recentem honorem animi, & deuota in æuum fidei exile indicium instruxerat, amens qui crederet Cubosamam tam fore stolidè securum, vt non cogitaret, quid ingens exercitus

exercitus ad officiosum prandium spectaret? inuitationis illius interprete nihil egens, cum paucis in fugam se dedit, & prætorianis custodibus quadringentis: sed animosè magis quam prudenter iactante aulico, dederere hos merus maiestatem; & visum iri pellente nemine fugam ridiculam, in palatium rediit, sibi que postremum exitium, & consiliario importuno, fortius credulus quam periculum sineret, consciuit. Iunij decimo septimo, Pentecostes octauo coniurati ad pulsam tympanorum Meacum subeunt, palatium cingunt, quod fossa munitum solo ponte ductario patebat: inde parens Regina, quærit Imperatoris nomine quo tendant? & vbinam illa clientum reuerentia & fides in dominum? interroganti syngraphum Mioxindonus præbet, quo Regina caput, & quorundam eo proscriptorum postulat ad se mitti, hac conditione Meaco abscessurum, lectum senex de filia capere syngraphum proiicit; cursu ad Cubosamam fertur, & proditoris solum exclamata voce coram ventrem secat, & mortuus concidit. Perculsi spectaculo fortissimi equites strictis gladiis ad portas palatii occurrunt, sed multitudini impares, ventre sibi quisque pariter exsecto corruunt, faces Mioxindonus palatio subdit, Cubosama ut vir occumberet cum paucis ad pugnam procedit; sed mox lancea mediis, & sagitta confossus, & fesso plagis ingentibus capite exanimis sternitur: aliorum fuit lachrimabilis strages; cæsi ex summis proceribus ad centum, suam reliqui mortem propriis gladiis hosti præcipiunt; Regis mater cum minori suo viginti annorum filio iugulatur: Regina comites, & honorarias prope omnes, flamma extinguit, diripitur fumans ardensque Regia, & hæc tam atrocitas, & multa, breuiori quam horarum duarum spatio: tumultus ponebant cum adsunt Bonziji & cadaver Cubosamæ sublatum Plebeio funere, humo tegunt. Regina vndique ad necem quærebatur, sed illa Meaco, in cœnobium Bonziorum media distans leuca se furtim subduxerat, vbi quatrinduo post, tandem deprehensa, iussa est occidi, annorum erat septem & viginti, sed quæ nihil de fœmina saperet; infractum illius animum testatur epistola quàm fugæ comiti filia dictauit ad duos proditorum duces, haudquaquam enim, innocentia suæ excusatione, aut petitione misericordiae dignatur parricidas; sed obiurgat amborum crudelem, & detestandam barbariem aduersus dominum, hoc solo reum, quod perfidia immanis proditores duos summis honoribus auxisset. Sibi quidem post illum, vitam supplitio, mortem in voto esse; solutam corpore ituram se infonti coniugi, & domino sociam, & cum illo æternum paradiso Amidæ fruituram, addit & alia quæ excessitate animi in fœmina, miserationem omnibus expressere, inde Bonziis salutem singulis postremam dixit; & in lararium secedens ad simulachrum Amidæ subsedit in genua, illic Archimandrita cœnobij, manu capiti eius imposita, monet Amidam decies inuocet, quod perinde iis est, ut peccatis omnibus absolui; sic expiatam se animo infelix, & puram somnians, carnifici iugulum alacris præbuit, sublatis interim manibus, pergens Amidam vocare, donec secta gula, miseræ caput ablatum est. Cæsa

Cubosama, morti quoque se certæ Villela & Froes deuotos credidere, defuncto enim à tribus hebdomadis Christianitatis illius potenti patrono, nemo illis post Deum, remanebat tutor præter iuuenem illum, quem Mioxindono ab secretis scribam, fuisse diximus; sanctum quidem, & amicissimum, sed fulciendæ huic ruinæ debilem, & iam Daiandonus Christianorum hostis capitalissimus, eorum pagos ferro, & flamma deuastabat; Meaci verò proscribentem, quoscumque visus erat beneuolentia prosequi Cubosama. Die postero en adest à scriba Mioxindoni ad Patres funestus nuncius; ne abisterent Dei ope iugiter imploranda; ipsorum vitam quantum aulæ rumore ferebatur; in lubrico esse; officio quidem haudquaquam se defore; fideles in consilium accirent, & si quod restaret periculi vltimi effugium etiam atque etiam viderent iam magno numero ad Patres, vocante nemine fideles conuenerant, si quid opis valerent vel præbituri, vel ab iis accepturi. Rerum statu iis ob oculos posito Villela, in quo pedem Meaco efferre licebat nemini, nisi qui vellet in milites, hoc est in carnifices Daiandoni incidere; orationem clausit, affirmans deliberatum sibi esse ibidem consistere, & ante Christum mori, beatum verò se! si Christo sanguinem funderet, cui sudores hæcenus consecrasset. Nec fuit alia Christianorum mens; omnibus idem ardor pro Christi causa, cum illo moriendi; & mortem parabant iteratis confessionibus, nostri verò crebra votorum instauratione, & precibus ut odoraretur Deus sacrificium cui se accingebant: verum enimverò ita viris fortibus mors placebat, ut nollet æde sacra, & vita Patrum indefensa mori, quod certè non erat in eorum manu, & gladio situm nisi ad eos accessisset Christianorum Imoriensium bona pars, Mixiondoni milites, omnes genere clari, & alij centum quinquaginta, obibant hi excubiarum vices ad ædem sacram, & custodiam Villelæ quem propterea vnicè amabant quod illos in Christo genuisset, nec satis poterat minoribus animis studioque defendi, iam enim Daiandonus suo cuidam duci necandum illum cum socio, & æquandam solo Ecclesiam mandarat: verum ut cum suis imperata facturus, Christianos vidit occurrere ad pugnam alacres, consultius censuit amicum se fingere, iisque vrbane salutatis abire, Bonziz quoque ab eodem qui iugulauerat Reginam, grandi summa tentarunt Patrum capita emere, sed is tam nihili vitam suam non fecit, ut morte sua venderet alienam, & oriebantur quotidie huiusmodi metus, inter quos nisi prodigio seruari diu non poterant, quare audaci generositate Mioxindoni Scriba Villelam Meaco educere statuit, peregitque feliciter in media fortium militum phalange, qui ex Christianis Imoriensibus ad hoc operam suam illi detulerant. Froes comite Damiano, ædi sacre seruandæ, & consolationi fidelium substitit, quanquam ne id quidem nisi breui tempore valuit. Voüs enim superstitionis Iaponicæ Pontifex, & summus arbiter, aut rogatus, aut pressus Daiandoni armatis precibus, solenni decreto Patres legemque quam annuntiabant in exilium proiecit, rescisso diplomate, quo illis Cubosama in toto vbi vellent imperio libe-

ram

ram sedem indulserat, Vni decretum, Patri Froes occultis nuntiis significat illicd ex triumviris vnus vrbe Reſtoribus, humanitate vt inter Ethnicos non vulgari, monens vrbe quamprimùm excederet, anteuerteret expulſionem diſceſſu properato; interceptum alioqui, & trucidandum à militibus Mixindoni, & Naiandoni, quorum ille Imorim, hic Naram reditum maturabat; ſe firmo præſidio, ſecurum iter Imorim vſque præſtiturum, aut ſi mallet armata celoce Sacaium miſſurum. His denuntiatis Chriſtiani Eccleſiam nudant etiam fenestris, & foribus, ne quid ex ea Ethnicorum profanationi ſupereſſet, interuenientes alios viros, & feminas deſolati loci acerbum ſpectaculum, in fletus & gemitus diſſoluebat, atque vt ſolet primus rumor, veris maiora nunciare, Deo ardens matrona, cum audiſſet Patrem eo ipſo die capite plectendum, lecto exilit ægrotata, & ſperati martyrij deſiderio, illum adit, conteſtans ſe quoque Chriſtianam, & cum illo, pro Chriſto morituram, triumphabant ſoli Chriſtianorum luctu damnisque Bonzij, & decuriatim circum ædem ſacram deſertam ſpoliatamque ambulantes, impudenti cachinnatione, & dictariis in eam ludebant. Die proximo, Froes & Damianus Meaco exeunt; Mixindoni Scriba comitante, & Chriſtianorum manu præualida, quibus vale vltimùm dicturus, Damiani ore, potenter commendauit, durarent in Chriſto fortiter, nec de integritate morum remitterent, quam ſeirent profeſſioni ſuæ ſe debere. Poſt diſceſſum Froes, tota vrbe præconis voce, tubaque edicitur Tenchicufes (ſic Patres nominant) ſupremi Senatus à Voo firmata, promulgataque ſententia, perpetuo exilio damnatos, cum fallaci, quam ferebant & diabolica lege: exilio pariter, aliisque ad arbitrium pœnis arceri vniuerſos, à ſubſidio illis, aut receptu præbendo, & niſus eſt quidem Daiandonus Villelam, & Froes Sacaiio extrudere, quo ex nudis quibuſdam inſulis confugerant; ſed frustrata eſt conatum barbari, vrbis immunitas & fides, nunquam ſemel admiſſos vilius ſuaſu dimittere ſolita. Minimè verò Meaco pietas, & Chriſti religio cum Patribus exceſſit. Mirum t̄ vices illorum implebat Bonzius, olim ad fidem villelæ opera traductus, cum eſſet inter ſuos Doct̄or, & Monasterium regeret. Omnes quot hebdomadis ſapiùs in aulam ampliffimam ad ſolennes, precationum, concionum, lectionum ſtationes coire, ſextas ferias, præfertim ſanctiores, impenſo leproſis miniſterio colere, & publica flagellatione; ſui de cætero aſperè domandi tantus inerat cuique ardor vt à Villela per literas fuerit temperandus, redigendusque intra recti metas; nam alij domo per quadrageſimam non prodire; alij nunquam cilicia ponere; alij nonniſi oriza & aqua quotidiana ieiunia ſoluere & iſtiusmodi ſe cruciatibus damnare. Regno adhuc bellicis motibus nutante contigit Sacaij, prælium duplex ad muros committi, pugnarunt vtrimque Chriſtiani tum Duces, tum milites, & Duces quidem procul à Patribus notarum ſacrum I E S V Nomen in vexillis præferre; milites in aurea icone criſtam galeæ, aut frontem decorante, non ſolum pro teſſera, qua diſcernerentur ab Ethnicis, ſed qua etiam tuti eſſent à Chriſtianorum vulne-

ribus mutuis. Conflictu peracto, cum multi partium aduersarum Sacaium recepissent sese, contentione mirabili colligebantur ad festos dies, & officia diuina, agebantque iisdem in contuberniis, tanta vtriusque beneuolentiae sollicitudine, vt si filij forent eiusdem patris familias, non milites Regum lethales exercentium inimicitias.

40.
Sacaij Froes
quid?

Et si autem Sacaij habitabant Patres, qui tamen ibidem agebant Christiani, sed multo magis Meacenses, Imorienses, & alij, eorum exilium ferebant grauissimè, nihilque non mouebant, vt eos restituerent in sedes pristinas, libertatemque communis habitationis, ad hoc Voi consiliarios (vocabulo Cunges) pecunia tentant; ad hoc Regiæ arcis quam tenebant clauis, tribus proceribus deferunt, vno illo contenti præmio, vt Meacum Patres qua pollebant auctoritate reuocarent, dant & supplices de eodem Dairi libellos; resque demùm eò propellitur vt in numerum coacti, iusti, generosique exercitus (nam erant fere illustres sanguine) de domo decernerent, familiisque deserendis, & si nec precibus nec rationibus expugnari se Mioxindonus sineret, vim illi bellumque indiceret; sed Voi assecleros religione vetari se aiunt, argento Meacum legem inuehere, auitæ contrariâ exitialem, secumque incendia, vastitatem & cædes populis importantem, pronùm se Dairus ostendit Patribus admittendis, si prius ad aram Xachæ & Amidæ Christiani iurent, nec humanis carnibus eos vesci, nec magicis artibus dæmoni famulari, quod nisi per solum Christianorum Deum orbis conditorem cum iurare posse negarent Christiani, conditione reiecta Patres non admisit. Arma denique, & bellum spirantes, Villela sapienter ab eo consilio auertit. Restabat à Xinouarandono Auæ Rege lux spei tenuis; quem multorum vota Cubosamæ optabant successorem, id si contingeret sperabatur Patrum restitutionem haud ægrè permissurus aulicorum suorum primario, sibi que intimè dilecto, quem pridem Villela salutari fonte expiarat, has inter expectationes, crescebant numero Christiani, aderantque ab oris maximè longinquis viri grauissimi, Bonziique insignes, de fide ac lege interrogaturi amplius, & accuratius, de qua fortuitis hospitem quorundam sermonibus, pauca & obscurè, sed mira acceperant, multos inuitaui Froes Christi Baptismate; de quibus futura sit nimium proluxa narratio, si velim dignitatem referre personarum, vias quibus ad Christum venere mirabiles; ambages disputationum, quas inire cum iis oportuit, maximè cum professoribus Ienij cuiusdam sequacibus, quibus fabula est & vigilantium somnium quicquid de futura vita docetur, aut scribitur; præsentem verò nec prouidentiam nec Deum, sed fortunam præesse: aduere ex istis, vsque ab vltimis Iaponiæ finibus, quos Bandum nominant, Principum illarum academiarum lumina, & Magistri cum suis aliquot discipulis, pari ingenio, & claritate natalium; qui sensim disputando subacti, dedere tandem veritati manus, & Christum secuti eius quoque facti sunt præcones; ac si cui Patrum licuisset viginidierum itinere in Bandum se conferre certum videbatur, literatorum ingentem numerum eius doctrina expugnandum, sed rebellione Meacensi

regna

regna confinia, bello vel militibus obsidente, Turrianus Vilelam proficisci iussit ad Christianos in occasu fitos, qui strenui hominis, & linguæ periti, laboriosam operam poscebant, quod nouis in dies accessionibus auerentur, Sacaiio igitur, Aprilis ultimo discessit, anno 1566. & Maij vigesimo quarto Cocinozum applicuit: hinc soli iam Froes duplicatus labor, sed ex fructu laboris vberissimo animi voluptas, Sangæ potissimum, castello Sancij, cui pares studio christianitatis, & Sanctimoniam raros habebat Iaponia: hic festis per annum diebus, quos peculiaris veneratio commēdat, Patrem Froes in suum castellum leuca solū Imori distitum deducebat, fiebatque illuc Meaco, Tobo, Imori, Sacaiio, aliisque ex vrbibus cōcurfus, ad eos celebrandos, & mutuam omniū in rebus perturbatissimis consolationem, cunctos velut omnium pater hospitio & mensa recreabat largiter Sancius, imò & festi seria claudebat ludicro aliquo ad eos lætius recreandos, vt cum piscationem iis dedit scapharum centum in flumine quo castrum cingebatur: conciones ad populum duæ quotidie habebantur, nisi potius quatuor dixerim. Excipiebat enim concionem Frois, illicò Sancius, & de cæca nocte in qua egerant infelices, priusquam iis illuxisset Euangelij sol differebat; cum esset sectarum doctissimus, earum errores vi tanta tam clarè confutabat, vt magnoperè confirmaret Neophytos, & multos ab Ethnicis ad Christum pertraheret, sed hæc agendo eloquentius, quàm dicendo; liberalitate scilicet, in egenos, tametsi variis calamitatibus appetitus, pauper magis quàm diues haberi posset; meditando perseverantia, cuius illicio auebat tuguriolum sibi, sicca in lingua medij fluminis fabricare, vbi reliquum vitæ contemplando, secumque pugnando viueret; sed hoc nisi magna pietatis communis decessione nequibat fieri, adolescentem filiolum annorum tredecim suis quoque formabat moribus, totumque illi diei ordinem in statas precandi, & studendi horas diuiserat, inter quas erat triplex rosarij mane & serò de genibus coram altari recitatio. Demum hic & Sacaij Froes Baptismo lustrauit quamplurimos, magna ex parte aut literis, aut genere præstantes, in iis Medicus fuit scientia celebris, qui accitus ad Regem Farimæ præceptor, ea mente ad eum profectus est, vt illi cœlestem de animi salute Philosophiam studiosus traderet quàm naturalem corporibus vtilem, sed de Ludouico Froes, eiusque Meacum reditu, periculis, & rebus alijs, eritque tùm ampla scribendi materia tùm iucunda. Nunc ante omnes quos habebat Ximus Euangelij ministerio occupatos Frater Ioannes Fernandes hîc mihi se sistit, haud quidem laborum quos exhaustit cursum sed finem, & præmium representans.

Erat is natione Boeticus, patria Gordubensis, honestis parentibus, & mercaturam sericorum Vlyssone faciebat, annorum tunc duorum & viginti; sed destinarat illi Deus quæstuosiora commercia; inuitatus est enim aliquando à familiari iuvene ad audiendam domi nostræ symphoniam musicam, qua nunquam audisset mirabiliorem. Significabat is Congregationem ducentorum sodalium, qui ad pœnitentiæ opera suum illic

41.

Vita & mos
F. Fernandes.

D d d obibant

obibant ex quaque hebdomada diem: eò pellectus Fernandes cohortationem imprimis audiuit vehementem à Patre sodalitij præfecto; inde non illum quem expectauerat mulcendis auribus, sed alium mouendis ad Deum animis concentum excellentiorem, ex suspiriis, gemitibus, & vocibus aptum, inclamantium diuinam misericordiam; modulante plagarum crepitu hos sonos acerrima verberatione, qua pij sodales, extinctis luminibus corpora castigabant, musicæ huius armoniæ (sic Deo placuit) suauitate incantatus, mutatusque Fernandes, cum illic mercator intrasset, inde Religiosus prodiit, & emortuus caducis omnibus, quæ ante deperibat; ex quo proximè consecutum Societatis desiderium tam vrgens vt eam extemplo à Simone Rodericio peteret: at Simon iuuenem attendens, diuitem, inter negotiatores perhonestum, literarum expertem, dubitauit statim an esset constanter duraturus, in muneribus infimis laici adiutoris, nec prius quicquam polliceri homini ausus est, quàm longum, & multiplex eius periculum faceret: at præstantissimus iuuenis, in eo quod primum propositum sibi est, contemptus sui, & demissionis experimentum dedit adeo luculentum, vt omnium instar censei debuerit; nam interrogatus Satin frontis & pectoris haberet, ad obequitandum in asino, auerso corpore, sericisque vt erat indutus, Vlyssiponis vicum maximè frequentem? nihil cunctatus facturum respondit, vicitque re ipsa dicti fidem, iumentum conscendit, obiectis in iumentum habenas humeris, conuersa in caudam facie, & per calcatum famæ suæ honorem, & opinionum factum ex domo nostra in vicum maiorem, inde rursus domum nostram processit; vulgo ad minuti deliria cerebri plaudente; prosequente puerorum turba, & stultum acclamante, paucis quod agebatur diuinantibus, & cordatori iudicio suspicientibus, statim ergo admissus in societatem (quod in annum 1547. & Iunij 17. incidit, nono post mense Indiam petiit, documento futurus, nulla vnquam iactura cum Deo transigi; nam si fuit Fernandes conditione laici contentus vt posset Deo in societate famulari; in eum diuinitus euectus est apicem de quo affirmare consueuerat Turrianus, Iaponiensem Ecclesiam, tunc, & deinceps in Oriente sanctissimam, & à Xauerio fundatam, fuisse dempra Fernandis opera, in nihilum ituram, quin & Xauerius in Sinas vbi supremum diem clausit, profecturus, non est veritus Berzeo edicere (at quanto, & quàm Apostolicæ virtutis) si vellet Fernandem æquare, longam ipsi conficiendam viam; quanquam illa tunc erant Fernandis primordia, Berzei vltima; illi vitæ restabat sesquiannus, huic anni quindecim, Septemb. tertio Indiam attigit anno 1548. cum Aprilis 17. è Lusitania soluisset, sexto hinc mense, adhuc tyro Xauerio socius in Iaponiam nauigauit, felix forte illius missionis, nunquam eatenus tentatæ; felicior sancti consuetudine, cuius solo aspectu cum accenderentur in Dei amorem etiam frigidi, haud dubium quin multò ardentius Fernandis animus ad concipiendos illos ignes, & vitam quam duxit heroicam fuerit comparatus: communes cū illo habuit & cum Turriano labores, itinera, ærumnas, pericula, conções, Cāgoximæ & Meaci, eo rerum successu quem tertio libro de-

scripsimus. Annos decem & octo circiter glebā illam versauit superstitionis pertinacem, & duram, quoad suis magna ex parte subactam sudoribus, vidit in messes assurgere, quibus aliunde vix tulit Christus locupletiores, non memoro iterum Saxumam, Bungum, Arimam, Omuram, Firandum, conuersione innumerabili animarum; foundationibus sacrarum ædium; disputationibus aduersus Bonzios; vitæ periculis; perpoliendæ linguæ, pingendæque proprio Iaponum caractere, ingentibus tædiis excultas; nec suas quotidie Ethnicis docendis, suas cathecumenis parandi, spueris suas in magistros fidei fingendis, tributas horas, libros instituentis Iaponibus scriptos; Grammaticam vnā & duo Iaponica lexica ad complanandam nostris illuc in posterum venturis linguæ illius disciplinam prorsus difficilem, quibus nihilo segnius vocis quoque magisterium commodabat, quinto anno quàm vita excederet: ob vigilatas noctes in instruendis confutationibus Bonziorum, & improbitatem indefessi laboris, in misera victus penuria, legumine olere, & aqua contenti, sensim intabuit, sic vt dies quiuis fore illi postremus crederetur: haud tamen vel semianimus, à viuaci erga proximos opera cessabat; nec aliis studens suis ipsius curam vlla ex parte relaxabat; bis ad meditandum quotidie colligebat sese, ea copia lachrymarum quæ afflatis illi à Spiritu sancto diuinos sensus faciliè proderet, idiotam vocauit Cabralis, suis ex Iaponia literis, sed scientissimum virtutis, quanquam de idiota, præster audire Melchiorum Nunnium, eius in Iaponia testem, & obseruatorem, sic enim illum Generali præposito describit. [F. Ioannes Fernandes præcipuus est in Iaponia Euangelij præco, nam præter exempla sui vbique deprimentis, vbique coercentis, dictionem illius conditam gratia Iapones mirantur, quam solent vocare Muxuream, audiuntque magna voluptate conciones illius, agendi efficientia, ornamentis, & formulis aptas, familiaribus apud illos, quibus nulla gens quam quidem viderim, obseruantior patriæ comitatis, & ad satietatem vrbanius: laicum, & sine literis, disputandi tamen exercitatio, sacrarum vsus concionum & satisfaciendi querentibus de mysteriis fidei, cum oratione assidua, & piorum codicum lectione, diuinarum rerum luce tam clara perfuderunt, vt multos putem Theologos nec tam altè in fibras difficultatum descendere; nec ad explicandum, tam appositè illas percipere, audiebam ex P. Cosimo Turriano, fore vt nostri pauca possent in Iaponia præstare, si Fernandis ope destituerentur] huc vsque Nunnium, superest illius obitus, quem ex Turriani, & Iacobi Gonzales epistolis ducemus qui Firandi viderant morientem. [Nuper inquit, F. Ioannes Fernandem Deo placuit euocare, morbi eius præludia febriculæ, quibus lecto affixus iacuit aliquandiu; ex iis paululum recreatus, & propè quadrimum vt videbatur sanus, confessione sacra, & Eucharistia muniri voluit, Ioannis Baptistæ festo die; sequentem extra lectum egit, sub noctem cum decubuisset, persuadere nobis cœpit, fore hanc sibi dierum supremam; eius horas complures duximus piis cum illo de Christi cruciatibus, & morte sermonibus, & immortalis San-

ctorum gloria; sub autoram reuerſi, videmus ægtè iam verba forman-
tem, & prope ſimilem expiranti: de Deo tamen vt poterat, & rebus quas
conſueuerat in concionibus tractare, toto illo mane crebro Iaponicè lo-
cutus, Ieſum & Mariam poſtmodum inuocans animam efflauit, adfue-
re nobiſcum, animam acturo proceres. Antonius, Ioannes, Iſabella, & ex
Chriſtianis plurimi alij, quorum is fuit luctus, & comploratio, vt qui Pa-
trem, & ſanctum ſibi eripi dolereat, cuius proinde tum pedum oſculis,
tum ſteru largo parentalia præuertebant] ſic illi ex Iaponia Patres. Tan-
ti viri iacturam ſub idem temporis, auxit naufragium duorum, quos in
Iaponiam mittebat India, in ſubſidium ſociorum, Sacerdotem vtrum-
que, vtrumque omni ex Prouincia ſelectum, vtrumque magnas ſuſti-
nentem expectationes, rei Chriſtianæ magnificè augendæ. Sed enim fuit
alia Deo mens ab hac noſtra timida, & incerta; Iaponiæ illos prius ab-
ſtulit quam dediffet, & promptos eorum labores quiete ſubita præuertit.
Erât hi Petrus Ramirezius Goæ Rector, noſtris in Iaponia præfuturus; &
Ferdinandus Alcarazius concionator. Cocino vnde exierant Aprili menſe
ann. 1566. nauis quaſſa Malacam ſaluos potius quàm ſecuros peruexit, ſed
nauis Præfectus tot egit precibus vt illos etiam in formidoloſo quod
inibant mari portaret periculi ſocios, vt eius tam comem beneuolentiam
non potuerint declinare, nauis erat vetuſta, & debilis, cui ad exitum ve-
lut ſua parum ſufficeret caries, onerabatur ad crepidinem iniquo ponde-
re; itaque ad ſinum Siamenſem, primæ tempeſtati ſuccubuit, etſi eam tu-
to naui fœderatus, Sinenſis iuncus enauigauerit, & iunci quidem auxilium
peritura, laxati tormenti ſonitu petiit, ſed mox aut ſcopulo aliſa, vel ſuo
impari depreſſa onere videri deſiit, quàm multos ueheret non eſt memo-
riæ proditum; certum eorum neminem euaiſſe; imo quibuſdam extra
illam mercatoribus cum ea periſſe aureorum millia quadringenta, inter
quæ cenſentur pretioſa dona quibus Omuræ Regem Bartholomeum Rex
Luſitaniæ ornabat.

42.
Generoſum
Chriſtiani
martyrium.

Generoſius vitam clauſit, cliens Principis ſœminæ, Chriſtianus, illius
nempe quâ diximus odio Bonziorum, baptiſandum Patribus pagum ſuū
Nexicum obtuliſſe, culturâ illius Eccleſiæ promouebat Thomas, vir pla-
nè optimus, quondam illic Bonzius, tunc Chriſtianorum veluti curator,
qui poſt fidem ſuſceptam, peculiari à Patribus virtutis ſtudio informatus,
ex rapaci lupo in bonum paſtorem exierat, vt cui addi nihil poſſet ad mo-
rum probitatem, efficientiam dicendi, & firmandæ, augendæque fidei
amorem ſollicitum. Chriſtianus vna, & pauper effectus artem legerat.
infontem, & qua victum aratro quæreret, ex quo cum ipſi ad vtiliora ni-
hil reſiduum fieret temporis, & mallet animos quam terram colere, vxor-
em duxit quærendi victus adiutricem, anum deformem, pauperem, ore
in aurem alteram diſtorto viſu fœdam, verum Chriſtianam, & virtute
præſtantem, qua ille ſatiſfactione apud improbantes utebatur, haudqua-
quam voluptatis cauſa, ſed ſanctimonîæ gratia ab ſe adamatam, quod-
que formoſi animi virtutes egregias pro dote eſſet allatura. Rem pagi
domina

domina longè aliter accepit, vocatum acerrime obiurgat, iubet larvam illam domo eiciat, ducatque nobilitate sua dignam, quam esset ipsamet illi repertura. Excusans, ille necessitatem legis Christianæ, quæ solui matrimonia verabat, negauit posse vxorem dimittere, repulsæ impatiens fœmina, pœnam capitis comminatur, non modo renuenti morem gerere imperatis, verum etiam differenti, quibus haud conturbatior vir fortis, Patrem adit, eius consilium exquirat, suadentique aliò migrandum cum bona illius adpreccatione fugam mox arripit; ad hanc loci domina furere, iussa, minas, seque adeo spretam lulamque indignati, velle hominem retrahi, & habere non iam vxoratum sed mortuum: dissimulata rabie familiari mandat subsequi fugientem, satisfacere illi de violentia matrimonij imperati; culpam ignorantie hanc esse; nescisse se per leges Christianas, solui contracta coniugia nunquam posse, cœterum cum vxore iis legibus viueret, & bonis auib; ad eam rediret: his facile credulus Christianus, retro phaselum obueterat, cum videns celocem aduersam venire, aliamque ad latera cum hominibus armatis, intellexit statim quid ludi sibi luderetur, firmusque insons mori, quam Deo offenso viuere, itineris reliquum iis cum Christiano de vitæ huius: præ beata & æterna contemptu transegit colloquiis vt si de morte debellata, non debellanda triumpharet, pagum suum ingressus, ensẽque domi suæ exutus, processit ad milites qui iam in litus exscenderant, expediebantque ad cædem gladios, & prouolutus in genua, seque Deo sublati oculis, manibusque victimam offerens, mortem fortiter excepit, cadauer incolæ Christiani honorifico funere condiderunt. De hac prompta in mortem audacia, ad retinendam gratiam summi Regis scribenda venient centena roboris Christiani miracula; restat nunc breuis excursio in loca Christi fide, vel recens illustrata, vel incrementis illius ditata.

Est Xima insula ad occasum, milliarium sexaginta; duos continet principatus Xichim, cuius insulæ toti communis appellatio fit & Amacufam. Xichis anno 1567. Turriano & Almeida cœpit modo ducentos, nunc trecentos Baptismo tingendos exhibere, suumque præ aliis dinastam Xichidonum, ex nominalibus Ioannem, tamen perfidum, nec tam Christum, quam priuatas suas rationes, Christi specie amplexum, quem visuri paulò post sumus desertorem, & in Christianos crudelissimè bacchantem: quod nunc attinet, secuta Metropolis Principis sui factum, imitatieque hanc pagi, fana euertere, si quid in iis esset idoneum vsui, Xichim comportare, & in constructionem ædis sacræ illic conuertere, quam sumptu, & opere parcius exædificatam, idolorum ruinæ, & impietatis ex quibus confitit, fecere gloriosam. Mitto dicere de sanctinonia quam ex recenti Baptismo ferebant Christiani, diuinæ quidem miraculum gratiæ, sed quia nouis Iaponiæ Ecclesiis commune, iam non mirum, mori certè votum iis erat, læti puras efflabant animas, & gratulabantur sibi Deo quamprimum fruituri. Sani verò & viribus integris, adamasse se vitam, Patribus affirmabant cum Deos colerent, à quibus stulti eam postulabant;

D d d. 3 nunc

43.
Christiani
progressus
in Xichi &
Amacufa.

nunc morte sibi nihil optabilius; certò videlicet consciis, vitam hanc breuem & miseram immortali se, & beata mutare. Senex decrepitus annorum nonaginta promeriturus Baptismi bonum, suo aliquo factò, ferri se lecto in quo iacebat ægrotus in templum iussit; expiatus Baptismo, & domum relatus morte paulò post imminente, suorum brachiis assurgit in genua, elatisque in cœlum coram cruce manibus Deo gratias agens, placidè in Christo obdormiuit. Dum hac faustitate conferitur, & coalescit Xichi fides, Ximabara tantùm non extirpatur, crudelitate & inconstantia Principis qui ex eius approbatione & fauore, ad sectam Zondoxij à sceleroso Bonzio traductus, cepit illam exagitare diris modis, ablatant Christianis Ecclesiam, profanis vsibus polluit, Christianismi ciurrationem, & professionem sectæ suæ Christianis publicè edixit, Bartholomeo Rege literis, precibus, & minis frustra pro Christianis obnitente, quod à vaferrimo Bonzio edoctus Princeps, conscientiam pro muro aeneo Regi opponeret, quæ nefas putabat animæ suæ bono, & religioni quicquam præponere: erant in eo populo Christiani quingenti supra mille, in quibus ne puer quidem fuit, cui non vltro sufficeret animus ante vitam quam fidem perdere, septingenti simul, relictis omnibus, Cocinozum ad Turrianum nauigarunt, defuere nauigia cœteris, non defuit animus; quos etsi excubiæ militum, ad portus fauces, & vicorum, fuga prohiberent, sprete capitis pœna, quæ captandæ fugæ suspectos manebat, multi etiam irato, & periculoso mari, priorum fugam secuti sunt, quæ constantia barbarum ab vltiori sæuitia auertit, nam scelesti auctorem consilij Bonzium, sectamque Bonzj execratus, quæ sibi clientes & Bartholomæi Regis amicitiam ademisset cepto denique abstinit. Cœterum decessu Ximabarensum creuit Cocinozus, & cum initio ægrè quadringentos, ter mille nunc censuit Christianos, complexa est animo, asylo, hospitio profugos, sustentauitque pro sua inopia veluti ciues, & cognatos: erat enim hæc Chrtisti fidelibus in Iaponia lex nequaquam à nostris accepta, sed diuinitus insita vt omnes sibi mutuo fratres essent, nullo egestatis & diuitiarum; clari sanguinis aut plebeij; extranei aut ciuis delectu, imo nec Principum, quibus ij suberant eruentis inter se dissidentium inimicitias. Iam si vel specimen timidioris in fide animi quisquam præbuisset, velut contaminasset vniuersos, omnes priuati illius errati publicas suscipiebant pœnas, & infelicem illum neque vxor maritum, nec patrem filij, oculis sustinebant: Cocinozum Xichi venerat Christianus; quæ culpa nescio, à communione fidelium à Villela seiunctus, hunc variâ corporis maceratione subeunda dum parat Turrianus Christianorum cœtui reddere, ipse se quibusdam prodidit sui vinculi ignatis, ex quo tantùm cepere animo doloris, vt tanquam ipsimet rei essent, suadente nemine præter teneritatem conscientia innocentis, palam, & vltro procederent, & dura verberum expiatione, alienam culpam suo luerent cruciatu, neque ij solum, sed alij quacumque transisset etiam pueri suis è domibus in multos ordines prodibant, & quasi vicos illos miser exaugurasset suo transitu, aiebant

se illos sanguine purgare, quem sibi ex humeris longa flagellatione exprimebant, qui mos corporis afflictandi, supplicantium ritu, & serie, velex pœnitundine admissorum, vel miseratione Christi patientis Cocinozi adeo fernebat ut aliquando Rex Arimæ eius esse spectator voluerit, & commodum accidit ut sanctioris hebdomadæ quinta feria adesset: quadringentos vidit qua viros, qua pueros, quingentas scæminas, funerarum pallam decenter indutas, à templo ad semotam crucem; indeque ad templum longis, lentisque ordinibus, sæuire in sua corpora tam immiti manu, ut nec inter pueros vllus esset, cui non humeri multo sanguine fluerent. Quibus emollitus animo Rex, dixit Christianos condigna opera beatitatem sibi comparare, non erat tamen Christianus, quamquam omni ope, illorum faueret incrementis: sed multo impensius Rex Bungi, qui iam inde ab anno 1566. fratrem Almeidam, mitti Vsuchim impetrauit ut ea in arce, Deo ædem sacram, & Societatis Collegium figeret, & lucrifaceret Christo quamplurimos; Debetur eidem pagorum eius Mixes, & Indæ ad Christum accessio, post biennium peracta; destinabat & Christum pridem Amanguccio expulsum reducere, idque Tirofirus à Morindono tyranno contra fas omne regno illos exclusus Turriano, data fide facturum sponderat, si præsidio Bungenfis, sceptro suo restitueretur. Ac Teofirus quidem Amanguccium recuperavit altero ab hinc anno, cum Morindonus, aduersus Bungensem duo eius regna inuasurus, sua nudasset præsidia, septuaginta millibus armatorum, eaque Teofiro in prædam obiecisset; nam iis Teofirus potenti exercitu celeritate summa occupatis, Rex acclamatus est. Quæ deinceps secuta, sunt alterius temporis: quod nunc attinet Rex Bungi Morindonum, bellatorum millibus octoginta retrusit intra suos fines, & Victoriarum fauente arbitro quem per Turrianum continuo in vota poscebat, mense vno decem arces cepit, cum regnis duobus, quorum robur omne ab iis arcibus salusque pendeat. Verum ardentibus in Christum studiis, & prodiga, dixerim, destruendi sui voluntate, ad amplificandum eius nomen, Bartholomeo parem non vidit Iaponia. Eius vrbes fuere Facunda, Nangafachis, & Omura, illarum populos hac mente excolendos Patribus tradidit, ut suos quam Christi minus esse optaret. Hinc breui Facunda Christianos supra mille ducentos numeravit, Omura octingentos, totidem Nangafachis; intra sextum mensem Turriani opera Christo paruos. Sed hunc Omuræ causas animarum tractantem feliciter quam possent Bonziji sustinere, Nangafachim migrare oportuit, ne diu collecta illorum rabies tandem erumperet, minabantur enim regno seditionem; templo recens Bartholomei Regis extracto liberalitate incendium, alterumque Regi exilium.

Cumulabat hos fructus Prouinciarum Ximi, insularum Goti feracitas, Christianorum recentium ingenti numero; & pretio laborum quos illic Ioannes Baptist. Monrius & Gaspar. Vilella post Almeidam nauarant. Sed hic fortunatum etiam dixerim Alexandrum Valam,

D. d. 4. vtrumque

44.
P. Valla quã
beneuole è
Christi, in
Iapon. exce-
ptus.

vtcumque postea mœrori sua illi faustitas verterit, est hic vnus è tribus quos superiori libri vidimus ex Europa novos, cum immensa illa potestate, Orientis quàm longe porrigitur explorandi, legendique arbitratu suo locum vbi quàm citissimè essent & quam certissime in Apostolos mutandi, & Euangelio promulgando initium darent; Bellè id prorsus, & mira parturiens, si mentem attendas, sed perperam ad cò dispensatum, vt in frondes, & flores vanuerit, nullo Indiarum ne leui quidem compendio, nisi forte à Valla, qui cum annorum duorum spatio, quæ dicturi post sumus, præclara in Iaponia ederet, ex medio felicitis operæ decursu, reuocatus est in Europam, in quam restitui, datis Goa literis postularat, facit tamen in laudem Christianitatis Iaponicæ, & eorum à quibus sanctis educata est disciplinis, quod scribit Valla de suo Facundam, & Xichim appulsu anno 1568. ad sextum & vigesimum Iunij. Facundæ portu Bartholomei Regis, nondum anchoras miseramus, cum circumstet nos in scaphis Christianorum multitudo, suo singulæ vexillo crucem explicabant pulcherrimam, quod me dulci affecit voluptate, vt vero ab iis rescitum, ea naui Societatis Patrem vehi incredibili gaudio in urbem regressa, id ciuibus nuntiant, portum interim subimus, tantusque fit ad me videndum, & excipiendum concursus vt putem in vrbe, Christianorum hæsisse neminem, alij vestes, alij manus, pedes alij, & locum vbi constiteram osculis petere, tam effufis præ gaudio lachrimis vt desint verba quibus id explicem, expectabar in littore à turba mulierum, & puerorum ad eadem salutationis officia. Exscensione facta cum viginti circiter Lusitanis, fuit Christianorum gratulatio tam læta & gestiens, vt me prope sublimem in aère ad templum portarent, choro duplici puerorum, & puellarum *Te Deum præcinente* pergitque dicere de humanissima significatione comitatus quam illi mandauit Rex Bartholomeus exhiberi, & de aliquot ethnicis sua manu tinctis, tum [quo die, inquit, baptismum iis contuli, Christianis multū dolentibus Xichim versus discessi, ad senem optimum Turrianum ibidem commorantem: atque illic item iteratur ad me Christianorum turba, quæ inter brachia sublatum, in urbem inducebat, sed obstabat multitudo occurrentium tam densa, vt non possent eam percurrere, multis potissimum viam claudentibus, vt in genua proiecti, vestes, manus, pedes, obnitente me frustra, osculis libarent, quoad tandem post horam Turrianus cum adiutoribus Almeida & F. Michaële Vazio superuenit, puerorumque Symphonia *Benedictus Deus*, alternis vocibus decantante. Ad hæc animus meus erat sui gaudij tam impositus, vt superem, & viderer somnia non vera cernere. Turriano propior, aduoluo in genua osculaturus eius pedes (manus absit vt vellem præ reuerentia viri sancti) at is vicissim, vt erat sanctè humilis, & cumulate sanctus, idem mihi præstare contendebat Societatis indigno seruulo; quæ pugna mixtis vtriusque lacrimis ad horæ quadrantem nos tenuit, donec eius manum osculo admoui, post hoc fratribus duobus & Christianis

ftianis aliquot salutatis, ad sacram ædem processimus præcinentibus Psalms, & Hymnos pueris; ibi gratias Deo egi, quod me tam procul ad spectanda ea perduxisset, quæ in Italia habebam pro fabulis, & si distinctiùs perscribam non sint apud vos fidem inuentura, inde voluit Turrianus qui mecum erant Lusitanos, mecum apud se habere conuiuas. Quod sane conuiuium fuit iis quàm simillimum quæ sancti in eremo Patres, piis sermonibus lautiùs, quàm epulis ducebant: ciborum summa paucillum Orizæ nigerrimæ; alterum tantum piscis largissimè saliti, & iuris cuiusdam ex Oriza & Sale, cui conficiendo tunc est idonea Oriza cum mucor in crustam digitorum quinque ex ea erupe- rit, hic totus conuiuij luxus.

Hinc Valla post triduum, ex his delitiis animi ad opus, Cocinozum profectus, iterum paulò post, tributis in regna diuersa Patribus, in Gotum destinatur cum F. Iacobo Gonzales, vbi per casus admodum diuersos operarium semper egit *inconfusibilem*, in primis ethnicos centum octoginta cœlesti lauacro expiauit, & in iis opulentâ prædâ sed adhuc tacitâ, Regis filium sceptro designatum quod natu maximus ob valetudinem affectam, & lepram regno esset ineptus. Huius constantia, & ardens flammis nobilibus pietas, prodigium fuit diuinæ virtutis, quæ inde iam à primis, fidei susceptæ initiis Sanctum fecit. Annorum erat trium, & viginti; Baptismo vix tinctus, & Christi mox præco, vxori, & centum aulicis, Christum persuadet; exemplum secuti ex populo plurimi Christum amplectuntur; at is regis vrbis Ocichæ mutatione hac minimè contentus, vrbes alias, propè, proculque positas, sollicitat literis; hortatur publici Rectores ne grauentur aures præbere Patribus de fide, ac lege quam ipse susceperat, probaturos per sese tam veram & sanctam, vt ipsi quoque complexuri sint eam percupidè. Quod factum quidem vt pollicebatur sed faustis dumtaxat principiis. Nam extemplo in arma, & campum erumpere Bonziz, ne aucto postmodum Christianorum numero frustra essent, tentare, ante omnia Ludouicum (quod nomen Princeps è fontibus tulerat) quo stante in proposito fidei, de expugnando populo desperabant; mittere ad eum legatos, & consilij specie re ipsa illi peragenda mandaret iam enim iunctis cum Regis patruo viribus timeri volebant. Legationis cardo, religiones duas quas ipse inducebat, inuicem inimicas vno in populo probari non posse; scindi Regnum in partes, & quod erat necesse, denique euerti; offendi homines patrem lege auita, filium alia viuere, at quam? & quibus magistris tradita? barbaris aduerso ex orbe, si minus dæmonibus, certè hominibus pessimis qui Iaponiæ ignes subiectum venerant, iisque, vt Prouincias cæteras, arsuram & Gotum, nisi suo cruore incendiarij illos extinguerent. Ergo rediret, dum licebat, & proderat; paterno honori; securitati regni, rationibus suis consulere; natiuam sibi legem repereret, cuius vnus beneficio, & futurus Rex, & saluus, & fortunatè victurus. Sin autem; claudebant hac reticentia, qua se facturos in-

Conuersa
Valla in
Goto facta.

E e e nuebant

nuebant, quod armata potest audacia. At magnanimus iuuenis, non plaris hos fumos habuit, quàm minas pueriles, & stultorum absurda; seque ab iis quidem, paucis expedit, sic tamen vt intelligerent Bonzios prius fore Christianos, quàm se denuo ethnicum: nondum hic ad arma ventum est, sed communi Rectorum assensu decretum, vt Regi parenti committeretur, à Christo retrahendus, imputaturo sibi alioqui, si quid inde aduersi ei contingeret: ac parenti quidem sanctissimus, & necessarius ad salutem Christianismus censebatur, sed cedens tempori, & timori, decies octies, domi Principem conuenit, & tota Regis & Patris potestate rationes armauit quibus filio suadebat, saltem ethnicum simulari; vnum fuit ad omnia responsum, si regno sibi Christianismus staret, nolle Regem esse vt esset Christianus; priuatim victurum, aut si parum id foret exulem; vitam quin imo si quærerent, daturum se promptius quàm Bonzij cuperent & ô si morte hac bearet se Deus! quam sibi deinde regno immortalis vitaque reponeret; cuius etiam certa fiducia, nunquam esset retro à data illi fide abiturus. His corroboratus animis, Rectorum ingressus Senatum in eandem sententiam perorauit illic acuite ingenia cum Bonziis dæmone, vela in oppositum vertere, moli-ri an possent communi exemplo Principem frangere; si adigerentur omnes Christiani ad repetendum Xacam & Amidam, fortassis non ægrè Principem omnibus accessurum: conabantur nimirum molliter arte varia illum expugnare, quod dores egregia, & amabilitas indolis carissimum populis fecissent. Cognito Valla Rectorum decreto, Christianorum cœtum cogit, habitaque ad illos oratione vehementi, & solida de excellentissimo pretio mortis pro Christo oppetendæ; subiecit quod norat de nouo Rectorum consilio; eò igitur malorum si deueniretur, vt deposcerentur ad mortem aut desertionem; vtri essent sui que meminissent, vt quàm nihili hanc vitam penderent præ sempiterna, & beata constaret, addensque alia ad obfirmandos animos in præsentis metus interpellatus est admurmuratione primum leui, dein clamoribus quibus est adeo commotus vt verbum edere interclusus singultu & lachrymis non possit: contestabantur enim vna voce se pro Christo, & fide libenter & centies morituros, quod quam ex animo dicerent, illico patuit, legando ad Regem qui denunciaret, ne quemquam ipforum frustra confideret posse ad defectionem à Deo; & animæ suæ salute compelli. Sic affecti domum reuertuntur & quid ageretur suis quique familiis indicant; grandi statim in teneritate nouitiæ fidei, diuinæ gratiæ ostento, animos ad mortem inuicem pueri addebant; matres, quasi ad fores futuro, quamprimum carnifice, comebant ornabantque ad martyrium filias velut ad nuptias, nullus vbiuis nisi de martyrio sermo, amplexus per urbem dum sibi occurrerent, mutuo alacres, spe vti aiebant lætioris in cælo salutationis. Senex Christi feruens, nactus in auditorio Principem Ludonicum audenter constitit, hortatusque est illum summa libertate ad vitam pro fide, si res ferret ponendam; cum alioqui nefas

fit plebeios nisi pronos, depositis in solo manibus, semperque cernuos, suum Principem affari: at enim hoc bono Ludouicus nihil desiderabat ardentius, tum instinctus à Deo interius, tum crebris Vallæ colloquiis incensus: audita Rex, Christianorum legatione illa magnanima; et si ad uerteret, posse illos frangi, & occidi; flecti & mutari non posse; at experiendum censuit in vno aliquo ecquid esset imperij sui factura auctoritas; sobrinum ad hoc meditato signauit, Gucam nomine vt stirpe, sic nota prudentia venerandum, quem si fecisset à religione Apostatam, impulsu modico secuturos ceteros quò vir tantus præiisset: huic ergo mandat; suæ obsequentiæ, hoc petenti det testimonium; redeat ad deos patrios, testerurque palam, se nunc sui erroris aduertentem, vale dixisse Christianis, quibus Christi athleta intrepidus, imperij Regij interpretem alloquens: abi, ait, & Regi Sobrino meo edicito, si nolet me esse Christianum, expectaturum me duosque hos filios, quem libitum fuerit immittere vt nostra capita ad ipsum referat; habiturum mortuos, sed nunquam Deo infideles, hoc, inquam, à nobis sic illi edicito, & mæmneris addere quotquot sunt Ocichæ Christiani, eandem iis inesse mentem. Stabant in lubrico expectationes, eratque admodum procliuè ne Rex suo non tam inductui obsequens, quàm fratrem armatum, & Bonzios metuens, ederet aliquam de Christianis stragem, vel ad hanc ipsimet Bonzij ciues accenderent. Orabat Vallam Ludouicus, maturè sibi fuga consulere; qui enim primùm nudaretur ensis, certo pectus illius petiturum, sed à suasionè optimi Principis longè diuersus abibat Valla, procellæ huius causam sua faciens crimina, nec cernens qui posset à communi cladem auertere, nisi capite suo illam exciperet: diu cogitauit, fleuit, precando institit, quid foret Deo maximè acceptum ex eo quærens, roburque ad hoc fortiter capessendum; demum statuit Regi se sistere, vnam pro omnibus victimam, vel iussu illius, vel Bonziorum cædendam gladiis, dum taxat se vnum tempestas feriret, in se desineret, in hanc sententiam defixus, Christianorum præcipuos conuocat, non quò illos de re sibi certò decreta consulat, sed ab iis impetret, armis parcant, nec suæ necis vindictam exigant, Deo potius secum eandem offerant rogentque in pacis & clementiæ hostiam probari; ad hæc præter lachrymas, & complexus nihil responsi datum. Sanctioris itaque ieiunij tempore, sexto cuiusdam hebdomadæ die, ad vitam propriam pro aliena deuouendam hortatore atque idoneo, Regem adit, qui magnitudinem animi suspiciens (quæ nihil apud Iapones Sublimius) & caritatis illius excellentiam, quæ Christianorum patrimonium est; hæsit aliquantisper suspensus, & tacens, post medià insistens, conditione à Valla oblata, vtramque in partem abstinuit, maluitque illam referre ad Senatum. Senatus aut dictis vtrinque sententiis, aut consensione repentina, probrosum iudicans, & vile, damnare hominem ad mortem, vitæ prodigum suæ ad redimendam alienam, & tam raræ excellæque virtuti non parcere, & ipse rem iniudicatam pendere voluit, donec aliud scisceretur: at qui mortuum opta-

bant bonziji multis apud Senatum questi ut decernenda sibi causa crederetur, tùm ipsi reiecti sunt, tùm sopita exinde omnia; & serenum rediit tam mite, ut consuetas pietatis vices Christiani palam cum Ludouico resumerent, nam duabus ab hinc hebdomadis, recolentibus luctu anniuersario Christi mortem, non adesse modo suis cum aulicis sategit, verum & publicæ ad Christi sepulchrum flagellationis pars esse; sed Regis mandato persuasus ne malè sopitas inimicorum iras nouo hoc sui spectaculo suscitaret, paruit, cœptoque abstinuit, quamuis non sine aliqua deinde contractione animi, & mœrore, postquam rescinit, fuisse tunc in templo cum gladiis, ad hoc à Bonziis, summissos, ut religiosa cum cœteris distentum flagellatione ferro conficerent.

His indutiis potius quàm pace fructuosè gaudebant eæ insulæ, ducebatque ex iis Valla liquidissimas animi voluptates, cùm Generalis Præpositi redduntur ad eum litteræ quibus reuocabatur in Europam. His magno cum dolore perlectis, seque ipse inculpans plurimum, quod cœlum Indicum sibi noxium causatus, mutationem illam petiisset; reditum parauit, euocabatur quoque in indiam Vilela à Prouinciæ inspectore nec vsquam proditur cui bono; querelas solum tristes reperio Bartholomei Regis, iacturam illorum, & defuncti nuper Turriani, luctu acerbo prosequenti, miseram te! aiebat, Christianitas Iaponum quæ sic desereris. Obiit Turrianus, euocatur Vilela in Indiam, in Europam Valla reuertitur, quis auxiliator deinceps, quis defensor, quis pater, huic orphanæ Christianitati? at neque deerant aliqui, & accessere iis totidem, de quibus inferius, sed ij ad desiderium sancti Regis, magis nulli quàm pauci.

Amacusæ
vezuntur
Christiani,
Almeida
exulat.

Eundem ferè per diuersa cursum Amacusæ Christiana res tenuit hoc eodem anno 1569. Illuc Frater Almeida Toni postulatu, Turriani mandato cùm venisset, malè statim ominatus est de Euangelij progressu, quod inducturus aduenerat; nam qui dedituram se Christo insulam sponderat Tonus, ut plus aliquid posset, quàm Gubernator; at minus poterat quàm Tonum hoc est Principem oporteret, eamque Rectores publici, arrogauerant sibi potestatem, ut suo arbitratu omnia gererent. Almeida igitur multorum vsu annorum sapiens, non ante populum ad sacras conciones aggressus est cogere, quam à Tono quinque impetrasset. Primum, ut arcium Præfectis quas in sua habebat ditione placeret legem Iesu Christi sanctissimam Amacusæ liberè promulgari: alterum eandem ipsemet continuato octiduo audiret; Tertium auditam si probasset, vnum ex liberis assignaret sacris fontibus lustrandum, futurumque exinde patronum & caput illius Christianitatis: ad hæc locum attribueret ædificandæ Christo ædi sacræ; vltimum pagis per milliaria viginti Xichim vsque ad mare iacentibus facultas fieret suscipiendi sacra Christiana, Tonus Principis fide, prolixè omnia promisit; & cœpit Almeida, Dei nomine inuocato, sacrosancta fidei arcana in
confer

confertissima nobilitatis & populi multitudine explanare, Tono ipso non uti promiserat solum octiduo, sed multo saepius audiente, qui tunc qualiscumque animo fuerit, certe in posterum censeretur potuit factis Christianus, vrbis vero Praefectus vir sapientia singulari, & inter Iapones aeternum laudandus, inflammatus attulit ad fidem spiritus, primus omnium ipso Paschae die, aquis vitalibus initiatus est, & Leo nominatus; secuti sunt familiares quinquaginta; post socer, & partim ex aula Principis partim aliunde centum & viginti, crevitque breui ex ciuibus numerus, aliis septingentis; & per suburbia quadringentis. Spiritu increato Almeidae vocem, & Leonis curas potenter animante, dum perinde Leo cuiusque saluti quaerendae incumberet, ut si suam in ea haberet repositam. Iamque res eò tendere videbatur, ut paucos intra menses nullus esset Amacusae praeter Bonzios Ethnicus, sed enim tum solos, quis de sua patella, cultor Xachae, & Amidae saginasset? ventre igitur auctore, & extimulante malitia propria, decernunt legem Christianam rebus suis tam calamitosam opprimi non posse, nisi oppresso & extincto Leone, quo tanquam firmamento stabat; sed huic tali, tantaque nixo popularitate è viuis tollendo, videndum hominem nihilo viribus minorem; quem porrò, & unde? suggestit aliquis sin iis nequior, at subtilior daemone, nec unum sed duos, modumque scele- ris cum iis instruendi, fuere ambo Toni fratres; armis praerat alter, civilem aliter gerebat magistratum, iis aperiant oculos ut tandem aduertant, à fratre Principe quam nihili fierent, qui ritum exitiabilem & scelestum iis inconsultis induceret, nedum spreto illorum assensu, velut essent de plebe, nihilque ad Tonum attinerent, triumphare interea Leonem, Leoni committi, credique omnia; tot illum habere sequaces, quot essent Christiani; nec tam Religionis esse quam populi caput, figebat lethali aculeo haec spina plus satis ambitiosam fratrum invidentiam, adduntur tamen iis Naniae veteres de carnis humanae dapibus, de commercio cum daemone & quicquid in nomen Christianum, & Almeidae comminiscit, & exaggerare libuit: demum impij homines pietatis Religiosae larna sceleri obducta flebiliter, Iaponum Deos in sinum rebellium deponunt; strenue agerent, quod honor iis debitus, quod religio dictabat, sed intelligerent Leone superstite, omnia in cassum abitura, quam velut legitimo, & supremo iure pronuntiatam sententiam, perduelles Germani ex ore Bonziorum rapiunt, septingentos conducunt milites, & suo quodam palatio claudunt, quoad caelo albente, ad incendendam infantis domum, delendumque ferro tum eius cognatum tum familias amborum illos emitterent, ne quem tamen primus armorum strepitus rebellionis metum Tono iniiceret, praemonetur à fratribus de re tota, non adhuc consultanda, sed rata & fixa Tonus fidi amici perfunctus officio, respondet, Leonem si vellent mortuum nolle se vivere: at ij Tono ipsi barbarè inducunt, mox, ergo sibi ventrem secet, mandantque primario cuidam

Bonzio significandam hanc edictionem, verum is ad imminuendam facti inuidiam, tot illum precibus tot rationibus subegit, vt ab inferenda sibi nece abstractum, ad probanda fratrum de Leonis cæde consilia adduceret, inde ad Leonem idem Bonzius pergit, denuntiaturque illi ab armorum Præfecto, si vir esset, seipse occideret; vel pararet ad defensionem; quæ dum exponeret, circumspectabat trepidus, & labris tremulis hæsitabat, vidit enim longè confidentius munitum quàm expectauerat, sexcentos secum in armis habebat Christianos, paratos in vtrumque aut illum conseruare, aut pro illo mori, robusto vallo cingebatur domus crassioribus conferto tabulis & speculis distincto quibus singulis suos excubabat catapultarius, inuentum firmitate magis quàm elegancia spectandum; nempe coeptum simul propeque perfectum adeo in illud feruidè multorum festinatio defudat. Tonus enim auditam coniuratorum machinationem, præcipiti nuntio Leoni indicarat; Leo per suos ciuitati & suburbiis vbicumque degerent Christiani, quorum ingens momento confluxit multitudo, nec solum armati & pugnae habiles, morituri pro illo si belli fors ferret; sed teneræ virgines festo cultu ornatae, & pueri paruuli cum eo pariter morituri: cæcus enim rumor vulgauerat Præfectum vrbis ante omnes, Christianos deinde vniuersos, igni, & ferro destinatos: vnus tamen verè ad necem petebatur Leo cum cognato & vtriusque familiis ad septuaginta circiter capita, sed longè aliò crudelitas amens euauit. Denuntianti enim coniuratorum sententiam Bonzio, respondit Leo, qui se mortuum vellet; adesset ocyus seque occideret, hunc se interea fidenter operiri: metu alas addente Bonzius, tam multa de Christianorum numero præsidio, de munitionum firmitate, de confidentia omnium retulit, vt paradoxa narrare videretur, & qui se putarant incautis adfore improuisos, ipsi metu absteriti se pugna abstinerent; mitiusque iam cum illo tractarent, velut eius studerent securitati & quieti. Ergo alterutrum legeret per legatum proponunt Christi fide, aut insula cedere: at is audenter, & liberè vtrumque negauit: fide; quidem minimè omnium, ante sibi reuulsum iri cor quam Christi fidem exilium verò vnum sibi ab vno posse Principe imperari, si iuberet imperata facturum: certè Tono paruit flagitanti, ad sedandas turbas, & eundem periculis obuiana, necessitati secum vt vellet cedere; locumque tantisper extra insulam optaret, qui esset illi futurus gratior; inde ab se reuocatum iri; si Christi lex per insulam latius funderetur, aut fieret minus odiosa, maiori quàm prius honore, & gratia attollendum; obsecutus est poscenti, vir fortis, & candidæ generositatis non sine hostium admiratione, & Almeida auctore, cum familiaribus quinquaginta, secessit Cocinozum, asylo Sanctorum exulum iam sacram qui ultra mille eò confugerant, virtute omnes excellenti, & singularium meritorum: hoc secessu ab armis fratres Principis discessere, & Amaculæ pax sua rediit. Paucis ab hinc elapsis diebus contigit quod vt
Christia

Christianos iucundè animauit, sic incredibili pudore suffudit Ethnicos. Toni filius natu maior, seu leuitate iuuenili, seu quod eius in-teresset, occurrentem fortè puerum moratus, interrogauit de nomi-ne; mihi nomen Christophoro est, inquit puer; iuuenis quasi ad vo-cem barbaram, perstrictus, ecquid, ait, tu nuper, aliud vocabare? simul illius vetus nomen ethnicè edidit, planè refert puer vocabar hoc nomine, sed iam Dei gratià Christianus, nomen vna cum lege, mu-tauit. Tun' ergo Christianus, infert Princeps in modum dedignantis, hoc est; multa que effudit in Christianos, & Deum sacrilega; quibus puer tranquillè ac liberè, Deus, inquit, noster vnus est, & verus cœli, terræ, & vniuersorum conditor; vestri, nec Dei, nec veri, sed faxa, & trunci lignei sceleratorum effigies, quos sua flagitia æternis ignibus post mortem addixerunt; quibus similiter addicendi sunt om-nes eorum cultores; ad hæc iuuenis Princeps tam inexpectata, sicine, de diis meis, & audiente me? strictoque acinace, vel palinodiam mox cane, vel morere: quibus nihilo commotior puer, hæc retulit, laudem verò egregiam tueris, si occideris inermem? quid autem tu tibi tuo illo acinace denique expunges? per corpus laniatum, scilicet animam attinges? laxabis illi ad exitum vias, colligeturque à Christo gloriosa, pro quo en adsum promptus, hic Princeps, aut istam pue-ro simulasset formidinem; aut illa in puero magnitudine animi emol-litus, atque attonitus, mutato vultu & renidens, illum amplectitur, fictionem iocosam excusat, voluisse tantum eius constantiæ periculum facere, illumque comitantibus se auicis plurimum dilaudans, abscessit. Hanc Deus illis Christianorum primitiis, etiam pueris vocis illius effi-cacem indebat intelligentiam quæ tot millia martyrum Ecclesiæ pepe-rit; *Nolite timere eas qui occidunt corpus, animam autem non possunt occi-dere*, quem clarè ad sensum, puer minas Principis elisit. Christiani-tatem Amacusæ egregium illius facinus, pari eius & facti & verborum celebratione, propensisque in omni etiam tenella ætatula studiis fun-dendi pro Christo sanguinis: inter hæc Bungi Rex ad preces Turria-ni, Christianam rem Tono intimo affectu commendauit, subdens si quid bene mereri de se, non sperneret, habereque in occasiones qual-libet deuinctum, integraret Almeida prædicandi; suis verò suscipiendi Euangelij facultatem, addiderat literis in pignus benevolentia, munus æstimabilius donantis maiestate quàm pretio, quòd à potentissimo Ia-poniæ Rege ad Amacusæ dynastam mitteretur: tanti fecit hoc Tonus vt se non caperet, & cunctis passim delegendas Regis literas ostentaret, officiosa comitate supra quam sibi arrogaturus vnquam foret deliburas, quare Ameidæ restituitur illico prædicatio libera, cum amplissima po-terestate peragrandæ totius insulæ, & Christo adiungendæ: qua ille gna-uiter, & strenuè vsus, mense non integro quingentos ritè institutos sa-cro fonte lustrauit: quæ causa Bonzios exciuit denuo in turbas, nec iis sedandis valuit reuerentia literarum à Bungeni, nec Toni ad Regem
quas

quas tumultuantibus exhibebat Tonus, ad probandam illis necessitatem sui in Regem obsequij. Almeidam volebant in perpetuum exulem; ac ne soli debilius & frustra id vellent, germanos Toni duos, ad arma & minas iterum proritant, quibus vim metuens maiorem Tonus rogat Almeidam ne grauetur insula exite, salutantique vltimum, chirographo Principis munitas tradit vacuas tabulas quibus ipsemet promissa inscriberet, quæ iteratò illi confirmabat, eius nempe in insulam reducendi; natu maximum liberorum Christo per Baptismum sacrandi; cum pagis ditionis suæ decem & quatuor, in præludia quædam vberioris spei, quam contestabatur se ratam facturum conuersione totius insulæ; et si vitam in ea ponere oporteret. Profectum Almeidam, coguntur breui à Bonziis, iuuenes duo sequi, quos vice sua illic reliquerat; nec tamen ab armis discedunt perfidi, vt qui nequaquam Religionis negotium sed ambitus gererent, quem sortiti sunt adeò felicem vt Regis Saxumæ auxiliis, possessione insulæ fratrem extruserint, vna tantummodo ex multis fideli sibi arce, in quam se recepit, sed non diu postea in suam ditionem dignitatemque ascendens. Turriani siquidem commendatione Rex Bungi exercitum è Regni sui confinio Amacusam misit, qui fratres impios & perfidiosos obsidione arcta, ad deditionem, aut mortem ex fame adigerent: atque hic Tonus promissorum fideliter memor Almeidam à Turriano repetiit, & hoc 1570. in anno, de Christianitate Amacusæ subsistet stylus, quæ sequuntur ad nostros pertinebunt: ac trium imprimis operatorum appulsus felix, post longas octodecim mensum Meaci ex itinere Sinensi moras. Horum nomina P. Organtinus Gnechius Brixianus; P. Baltazar Lopez, & P. Franciscus Cabralis Turriano susceptus in nostrorum gubernatione, copiosum inferius daturi scribendi argumentum. Xichim socij omnes, quo applicuerant, ad eos statim conueniunt, præter Froem, qui media procul Iaponia distabat, post aliquot simul in commune de Cristiana re, ac nostra promouenda consultationes, diuersa in quibus laborem ponerent sortiuntur Regna, vnus cum Almeida Cabralis inspicienda sibi assumpsit loca seorsum singula, fundatis iam Ecclesiis Deo sacra, in quibus cum multos Christo adiunxerint, tum fuit maximè illustris opera qua Bartholomei Regis matrem, vxorem, & liberos duos, puellam annorum duodecim, priorem natu & Regni hæredem Principem, hos P. Cabralis centumque alios ex aula solenni Baptismo expiauit, accessit fundatio nouæ prorsus Christianitatis nongentorum circiter capitum & pagi quem ipsi incolerent, ab omni Ethnicorum consuetudine seiuncti, quod Bartholomei Regis piissimi præclaris in Deum studiis debetur potissimum, quem si ex Omuræ paruo Rege oculatior nobis prouidentia diuina Imperatorem toti Iaponiæ dedisset, Ecclesia illa dum hæc scribo propè ad nihilum deleta; coronas profecto regias duodeseptuaginta numeraret, quibus nunc Lucifer coronatur, totidem illic Regnorum paucis retro ab annis vsurpator, Omurensium Principum felices ad fidem accessus, celebrare

brauere vbique Christiani festis lætitiis, & gratiarum actione; sed ea paulò post gaudia sancti Senis Cosmæ Turriani tristis obitus in luctum conuertit.

Pridem illum ærumnæ missionis tot annorum operosissimæ, succo & viribus exhauerant, vt quod nihilominus labori non parcebat, multi attribuerent caritati deficientem naturam spiritu vegeto afflanti: at sensim deficiens nec habens de nostris in quem pondus illius Christianitatis moriendo, sat tutò deponeret, annuis literis iterabat preces ad Prouincialem, & inspectorem Prouinciæ Indicæ, vt virum cordatum mitterent, ætate ac virtutibus maturum, muneri denique grauissimo æqualem; fuitque diuinæ bonitatis, vitam eò proferret donec optatis fruatur: translata ergo in Cabralem missionis Iaponicæ gubernatione Xichi vltimam sedem fixit, exiguum illud quod supererat temporis, excolendis Neophytis daturus, sed vix hebdomadæ aliquot fluxerant, cum lenta febris correptus est, mercedis propinquæ nuntia, quæ bonos & fideles seruos apud Deum manet; quod is prudenter interpretans exinde secum, & in animi sui cura totus esse; vitam omnem suam confessione sacra recensere, spargere coram Deo continuas lachrymas, & multas quotidie horas precando exigere, duobus quibus superstes vixit cum dimidio mensibus. Septembri desinente malum in peius incrudit, isque se linqui vita & viribus sentiens, illa tamen sua magnitudine animi, & virtutis, per se in templum vt potuit descendit, vbi multo cum fletu, inter pia intimi affectus cum Deo colloquia, sacro viatico munitus est, id ei Villela officij præstante, quem nauis in Indiam expectatio illic interim detinebat: post eodem, & fratribus duobus religioso complexu salutatis, & fausta quam ex eo petierant adprecatione, præstolaturus aduentum domini secessit, sustinuitque circiter triduum tranquillo animo, & vultu alacri, cuius etiam in mortuo velut arridentis vestigia manserunt. Octobris 2. vitam clausit anno Christi 1570. ætatis quarto supra septuagesimum, Societatis vigesimo altero: ad exequias concursus vsque à trigesimo milliari, adfuerunt iis & Patres qui multum longinqui habitabant. Cautus funeris solennes, fecit luctus omnium, & comploratio, vocesque vocantium animæ suæ Patrem, firmamentum Christianæ rei, & virum sanctum; nec populi amor, & clara opinio hic meram posuit; Cùm enim Villela pro concione labores enarrasset quos vnus & viginti annorum longo tractu in salutem Iaponum exantlarat; & præmia quæ piè credi possent, fideli seruo fuisse reddita; qui perpetuis lachrymis dicentem fuerat prosecutus, populum vniuersum, inspiciendi cadaveris, desiderium ingens cepit, osculandique manus eius, & pedes; & reliquiarum aliquid ex eo auferendi; nec fuit in Patrum potestate hos motus disturbare, tametsi contenderent; caentes nimirum ne huiusmodi, vt solet Religiosus populi impetus, insolens aliquid attentaret. Cadaver itaque de nostrorum extortum manibus, certatim quisque manuum & pedum osculis, lachrymis, & pio raptu venerari; nam & sacræ vestes quas illi induerant, & talaris tunica in minutissimas

Mors & sanctimonia.
Turriani.

fecta particulas inter se populus diuisit, quæ quidem viri tanti fama haud quaquam cœpit ab eius obitu; nam à Christianis iuxta & ethnicis cognominari consueuerat, *Senex sanctus*, & quos lauabat sacro fonte, amiebant eius vocari nomine: ex tribus, interdum quatuor longinquis quis regnis, officij gratia adibat, & qui possent ab eo aliquid referre quanquam leuissimum, ob hoc tantùm seruabant pretiosè, quod ei aliquo in vsu fuisset: in fines Iaponiæ vltimos se porrexerat eius nomen, vbi apud Bandæ academicos celebrabatur mirificè, quamuis itinere dierum viginti ab eo remotos, colebant illum Principes, literati, etiam Bonzij, nuntiis, literis, & (quod illic reuerentia præscribit) muneribus. Lusitani quot annis in Iaponiam ex Sinis ad negotia commeantes vestitu nauium splendido, & machinarum fragore venerabantur Dei seruum, eiusque arbitrio portus suis nauibus legebant, qui plus quæstuum fidei sacrosanctæ, quàm sibi essent parituri, ex mercium diribitione: vbi cumq; is Omuræ, Cocinofi, & vbiuis degeret, augebatur immensum numerus incolarum, qui Sacaii, Meaco, aliunde, cum eo victuri confluebant, cuiusque spiritu excitandi. Discessurus autem ad necessarias Ecclesiæ tam latè dissipatæ occasiones quæ illum vocabant; cogebatur de media nocte clam se subducere ne retinentium lachrymis vinceretur; demùm ne supervacue id probem quod est in Turriani laudibus minimum; Rex Arimæ acceptas ab eo epistolas prius illas tametsi Ethnicus, capiti suo, honoris gratia, imponebat; præstabat eadem Rex Bungi, qui præter arma, & literas quibus ad preces Turriani, propugnabat strenuè, proferebatque Christi nomen; etiam aliquando, remouit à Regno exercitum quem ad illius internecionem miserat; ne Christianorum vastaret pagos, in eo Regno admodum frequentes: ac de Rege Bartholomeo, plura nimio suppeterent, nisi essent iam dictis simillima: viuentem ex animo Turrianum dilexit, luxit mortuum tanquam Patrem, quicquid potest minori reuerentiæ & honoris à superiore deferri, hoc ipse Turriano, & eius amicis detulit, quantumuis inopibus velut ex iis vnus, aut ipsi gradu non inferiores, gaudebatque à suis plus illi quàm sibi venerationis exhiberi; quod certè ab iis factitatum, casus satis ambiguus ostendit; Christianum Omuræ interfecerant Bonzij, vel vltro, & odio fidei; vel aciori ab eo reprehensione, & dicitur (quod erat pueris solenne) grauiter offensi, iam inualuerat Omuræ Christi lex, multosque censebat à Turriano baptizatos, horum nonnulli qui eandem spectauerant, urbem percussanti, implentque rumore patrati sceleris, & vindictæ ardore, nisi vellent videri læsam fidei causam vlcisci frigidius, & appressis ventri manibus indicant, fixum sibi esse in cœpto mori, (quem gestum vsus ventris ferro secandi, signum fecit Iaponibus commune deliberatæ mortis) ad arma, & Sarmenta conclamant, Bonzios ad eandem, eorum cœnobia ad incendium. Turrianus, dum cocunt ad impressionem maiori numero faciendam, rem ad se perlatam, referri iubet ad Bartholomeum Regem, vrgetque se det in publicum ad inhibendum periculi aleam qua Dei honor, & fidei quies iactabatur.

tur.

tur. At is opprimè gnarus quàm in similibus nihil valeret, remisit qui Patri diceret Iapones læsum honorem vlturos, vitam suam nihili facere, minoris alienam; solutos se parendi legibus apud suos dominos censere; nec iussis nec minis, ab armis discessuros; sed quod ipse vi nulla valeret, nedum tuctoritate obtinere, certò fore id posset Turriani nomen: mandaret iis suo nomine per quemuis, absterent, statimque nec pedem vltierius moturos, quod planè felicius què prælagierat successit ferro enim & facibus instructos à Turriano nūtius affatur alta voce, monetq, illius nomine, si Christiani sint, parendo testentur; ab armis & turba discedant, & suam se quisque reportet domum: hac edictione velut cælo per angelum edita, faces proiciunt, recondunt arma, densò vt erant manipulo adeunt sacram ædem, seque ad Turriani genna prosternunt, quos ille clementer increpitos, iussosque mortem occisi pueri æterno silentio, & obliuione sepelire, cum fausta adprecatione dimisit: sed extitit nocte insequenti, malus Ethnici nobilis, quorundam ex iis propinqui genius, qui sigillatim obeundo sedatos iterum proritaret: ab iis officio ex parte satisfactum, obtemperatum legi quam profitebantur, & quem obseruabant Magistro suo Turriano: partem alteram officij deesse; reposcendum scilicet honoris & nobilitatis violatum decus indignè violatum; Christianum dogma eò adicere neminem, vt velit infamis viuere; vnum fuit omnibus responsum, iisdemque propemodum conceptum vocibus; olim se Baptismo dum expiarentur, Deo fidem dedisse præcepta illius omnia seruandi, pridie vero Turriano, cædem pueri perinde in posterum habendi, vt si ea nunquam accidisset, cæterum ante morituros, quam vtrivis promissionem fallant, gestorum serie vrbs Rectoribus nuntiata, venere postridie, Patri gratias publicè acturi, saluam eius beneficio Omuram professi; alioqui tunc futuram cinerem, & funus.

Obseruantiam porro Turriano vt apud Christianos, sic apud Ethnicos fecerat eius virtus, & sanctimonia, abiectioe sui, & afflictioe, tolerantia malorum insuperabili atque perpetua, & nunquam non flagrante studio trahendorum ad Christum Iaponum durè exercita. Spectabant in eo dignum Xauerio magistro discipulum quem illic æquatunt ex iis etiam pauci, quibus Apostolicam laudem, egregia opera tribuerunt. Sed quæ virtutum & vitæ præstantia conciliabat illi omnium venerationem, acuebat in illum odia Bonziorum, à quibus tam sæuè exagitatus est, vt miraculo sit saluum potuisse manus illorum effugere: lapidatus est non semel à plebe in turbas concitata; proscripius & ad necem ex insidiis quaesitus; pro malefico traductus, & dæmonis assecla, sic vt prodeuntem vilium puerorum insectaretur foex, luto, saxis, omnique conuitio, semel configebatur telo, nisi arcus ab Ethnico in illum intenti, Christianus repente abscondisset funem; & erant hæc illi pericula crebritate familiaria, nec iis vnquam animo fractus est, solitus etiam dicere, nusquam se in vita quam Amanguccij egisse iueundius, vbi diuturno vexatus martyrio fuerat. Neque verò se alienæ saluti profusè commodans caritas, eius à

Deo

Deo auocabat mentem : argumento sint oculi , quorum bona ex parte vsum amiserat ex profusione lachrymarum, interioris affectus indice, velut autem ærumnæ in quibus vitam exigebat, essent desiderio eius leues, addebat his vltro voluntarias pœnas tam asperas, vt suo in Iaponiam ingressu, corpulentus habitus, & succo plenus, quinquennio post à familiari ex India non fuerit agnitus, adeo erat emaciatuſ, exesus, & aridus. Verum de hac eius & aliis dotibus, pauca sed magni ponderis, Melchior Nunnius; qui menses aliquot versatus cum illo in Iaponia fuerat; cuius ad Lainium Societatis Præpositum literæ, cum ex officio scribentis virtutes, & nœuos contineant fideli stylo vtumque referam; subdamque fortassis, conuenientiùs in eo arguenda.

[Nostris, inquit, præest in Iaponia Turrianus, quæ sexcentarum est leucarum insula, milliaribus ab India quatermille quingentis, annorum est circiter quinquaginta, nostro fel. mem. Patri magistro Francisco socius illuc venit, naturalis eius temperies optima, in discruciendo corpore adedò singularis vt acriorem illo viderim neminem, sui que inimiciorum, Amanguccij à P. Mag. Francisco iussus consistere, annos septem illic versatus est; carne, vino, pane, oleo, recenti pisce, lacticiniis, & simili quouis naturæ subsidio se prorsus abstinens, sola victitans condita, inspidè Oriza, oleribus, & huiusmodi vilibus, in omni sui domandi genere, patientia, humilitate, & abstinentia exercitissimus, exosus Bonziis, in vitæ periculo frequens. Pergit nihilo segnus in excolendo Bungi Regno inter tot labores, & aduersa constans. Iam defectus illius videntur pronitas in atrambilem; & valetudinis nostrorum minor cura; cum enim frigus ea in insula crudeliter sæuiat, ipseque sæuis doloribus stomachi dilaceretur perpetuo, asperitatem nostris eadem qua sibi mensura dispensat; nostri aditores nudis pedibus incedunt, etsi sint aliqui temperie fluxa, & debili: mihi quidem hæc illum monenti, vt moderaretur, satisfacit aiens, non posse aliter sine offensione vitam illic agi, & profecto de nobis Lusitanis, quicumque indui, edere, somnum capere, instituerit ex vsu Iaponum etiam diuitum & primariorum, in magna asperitate vitam trahet, adedò illæ regiones parcè suos, & austerè alunt;] Pauca hæc Nunnius de Cosmo Turriano; & quoad perpeſsiones sociorum etiam de seipso, Erat enim is vnus è sociis, quem annis superioribus vidimus magnos spiritus ad tolerantiam, in Iaponiam tulisse, sed post morbum lethalem diuturnum, ex victa misero aliisque contractum molestiis, partim necessariis partim spontè susceptis, reuectum fuisse in Indiam. Durauit tamen hoc vitæ asperum & vix tolerandum, non viuus modo sed strenuè laborans annos septendecim Villela, decem & octo Ioan. Fernandes, vnum supra viginti Turrianus, & annis subsequentiſ complures diutius, ceterè illam in corpus quam diximus duritiem asperam adamasse, non Turriani propriè, sed Xauerij sensus fait, & iustus & illis præsertim iniis pernecessarius, cum enim Bonzj pallore, nuditate, abstinentia omniſque specie austeritatis affectatæ metcarentur venerationem & stipes à popu-
lo

lo cui summa asperitas ob difficultatis quam horret victoriam, summa est sanctitas; si fuisset Religiosorum Euangelij præconum, & Sacerdotum veri Dei, mollior & tolerabilior quam vita Bonziorum, insultaturi erant iis Bonziji magno fastu; sensurusque de iis abiectius populus, velut infra perfectæ virtutis apicem longè iacentibus, quamobrem de illa Turrianus asperitate tam necessaria ad promerendam fidei sacrosanctæ auctoritatem, & gratiam, per annos vnum & viginti nihil vnquam remisit, eandemque sociis tum permisit, tum suo exemplo validè persuasit. cæterum in illos quam esset tenerè intimeque affectus, iidem reipsa experti scripsere: ægrotabat quidam è nostris fratribus adiutor multorum dierum itinere; hoc vbi resciuit Turrianus, nec obstantium precibus, nec astitis eaducto, nec vitæ discrimine tenet valuit quò minus ad eum aduolaret, & quanquam valetudine & cælo valde incommodo consolationem quam poterat, opemque per sese iacenti afferret, dignam Societatis homine vocem edens dissuadentibus, & lugentibus in via moriturum, pluris se vita facere caritatem: suos ad opus quoties mitteret, maxime in longinqua, salutabat flens perinde vt nunquam reuisurus, non modo iis metuens ab insidiis Bonziorum qui eos ad necem foris quàm in vrbe captabant securiùs; verum ob vitæ discrimina, quibus continuis omnes patent qui per Iaponiam terra marivè iter agunt, vel à torrentibus, niuibus, cibi tectique inopia, vel potissimum à grassatoribus quibus feruent omnia, & gratiæ loco est, si rebus omnibus spoliatos vita non spolient. Sic semel Almeida in leui cimba deprehensus inter Myoparones decem Piraticos dum littus Arimæ raderet, ab iis detracto quoque indusio cum vectoribus sociis nudatus est, & crudeli barbarie in cimba velis, remigio remone pariter nudata derelictus vno intra mare milliari, noctem illic sub dio frigidissima hieme, & circumquaque gelu acerrimo concreta nudi proffus egere, manè Solis radios quos expectaverant sefellit nubilum, & ventus frigidissimus, à quo propellebantur in altius mare, his tot acerbis duplex super ingruit procella, per se quidem minimè vehemens, ad debilitatem verò, & exilitatem cimbæ nauid minus anceps quam si (vt scribit ex iis vnus) lætarentur cum promontorio bonæ spei, sic vt fluctum omnem decumanum sibi, & vltimum crederent; quibus in angustiis cum ieiuni nudi, iactati, diem vnum, & noctem fluctuassent, vndarum impetu in fretum coniecti sunt, duabus interfluum insulis; allidendi omnino, vel aquis obruendi, nisi hoc illos effugio tutela diuina seruasset: his in Iaponia calamitatibus obnoxij erant Societatis operarij, ex quibus illæ in eorum discessu tristes lacrymæ Turriani; iucundæ in reditu, cum incredibili ob receptos incolumes voluptate Claudendum existimaueram hunc locum, viri Apostolici caritate in curanda salute animarum incomparabili; sed cum nihil ferè hic liber narrauerit in obsequium Ecclesiæ gestum, cuius Turrianus, vel effector, vel auctor non fuerit, testimonio Villelæ, omnia comprehendam, qui & viderat ipse, & eodem mense soluit in Indiam, quo Turri-

nus ex Iaponia in cœlum; nempe sanctum senem suo in Iaponiam ingres-
 su, in ea nullum reperisse qui Deum agnosceret; morientem, ibidem
 Christianorum triginta millia reliquisse, præter fato sanctos quandiu
 illam excoluit; ædes factas numero quinquaginta diuersis in regnis con-
 ditas, & primitias Martyrum quos proxima æras datura erat, ut nume-
 ro sic generositate gloriosos.

Atque hic de Ecclesia Iaponiæ subsiste ad hunc annum 1570. per-
 ducta; rebusque Ioannis Ferdinands & Cosmæ Turriani, octauo hoc
 libro ordine comprehensis, quos secum Xauerius, primus Iaponum
 Apostolus vexerat, ad inferendum illi imperio Christi Regnum.

Collegii Societatis IESV Paderbornæ à 1669.

FINIS.



FACULTAS R.P. PROVINCIALIS.

IOANNES PLATIERE Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta Facultates eidem Societati à Christianissimis Regibus Henrico III. 10. Martij 1583. Henrico I V. 20. Nouembris 1608. Ludouico XII I. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. 23. Decembris 1650. permittit ADAMO DEMEN Bibliopolæ Lugdunensi, typis mandare, ac diuendere librum cui titulus est *Historiæ Asiaticæ Societatis IESV, Pars secunda*, ex Italico R.P. DANIELIS BARTOLI eiusdem Societatis Romæ edito, Latinè reddita à R. P. LVDOVICO IANIN ex eadem Societate, in decem annos proximos. Datum Lugduni die 20. Maij 1667.

IOANNES PLATIERE.

PERMISSIO.

LE n'empesche pour le Roy, que la permission soit accordée audit Sieur DEMEN, à la forme du Priuilege cy-dessus. Fait ce 20. May 1667.

GALLIAD.

Soit fait suivant les conclusions du Procureur du Roy. Fait ce 21. May 1667.

DVLIEV.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Main body of faint, illegible text, appearing to be a list or a series of entries.

A line of faint, illegible text, possibly a section separator.


P A R T I E S I C


Faint text block below the section header, possibly a preface or introduction.


C A T A L O G U S


Faint text block below the title, possibly a subtitle or further details.


D I S P O S I T I O











HIST. SOC. INST.
ASIA
VE

Th
4862